

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

232 K 2

C.61^B

~~136~~

PB. 2. 3.

niet plakken
(boekband nr. 17856107)

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

Bibliotheca Colbertina.

CORONIS

Collegii Paris. Societat. Jesu.

AD

COLLATIONEM HAGIENSEM,

237 D 2

Quâ

ARGUMENTA PASTORUM HOLLANDIÆ

adverſus

REMONSTRANTIVM

Quinque Articulos

De Divinâ PRÆDESTINATIONE, *& capitibus ei adnexis, producta, ab horum exceptionibus vindicantur.*

Auctore

GUILIELMO AMESIO.

LUGDUNI BATAVORUM,
Ex Officinâ ELZEVIRIANA.
ANNO CIↃ IↃ C XVIII.

KONINKL. BIBLIOTHEEK TE SHAGE.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

Illuſtriſsimis ac Potentiſsimis Dominis,

DD. ORDINIBUS GENERALIBVS

Fœderatarum Provinciarum in Belgio.

Illuſtriſsimi Dominis,

CYmbulæ illæ minores, quæ navibus onerarijs adhæreſcunt, ad eoſdem ſemper feruntur portus, cum illis maioribus carinis, quarum appendices exiſtunt. Quum igitur harum regionum Eccleſiæ, quibus me totum adhærere fateor, in iſtis procellis ac turbinibus quibus agitantur & graviter iactantur, ad præſidium Amplitudinis Veſtræ confugiunt, ut ſub veſtro patrocinio ſartæ tectæ conſerventur, nemini certè hoc mirum videri debet, quod mea etiam ſcaphula in eandem tutelam ſe inſinuare, vel potius in-

gerere tentat. Vos quaſi ex arce, aut pharo ſapientiæ, & authoritatis veſtræ, lumen extuliſtis nuper fluctuantibus piorum animis, qui incertis ventis, iam nimis diu quaſſata vela dederunt, quum de ſacrâ Synodo convocandâ ſanctiſsimum feciſtis decretum. Cuius tam ſalutaris conſilij mihi certè non alia mens aut ratio videtur, quam quæ viſionis illius fuit, quâ Angelus Iehovæ confirmavit olim Moſem, quando flamma ignis apparebat ipſi è medio rubi. Spem enim non levem omnibus bonis adfert, ita res deinceps gerendas, ut quamvis rubus ardeat igne, non tamen exuſtus conſumetur; quamvis acriter probatæ ſint Eccleſiæ, à combuſtione tamen ſalvæ manebunt. Si ego igitur inter alios divertam nunc paulò, & propius accedam, ut videam viſionem iſtam magnam, & non contempler ſolum eius rationem, ſed eam etiam (unus è multis) fauſta proſequar acclamatione, gratia gratia ei; *quamvis nihil inſuper adferre poſsim, cuius ut ratio aliqua habeatur, apud viros tam gravibus conſilijs intentos, & in tanto faſtigio dignitatis poſitos. ullo cum iure poſsim expectare; veniam tamen*

huic

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

huic cœpto pollicetur benignitas illa ſpectabilis, quâ ſimile ſtudium in alijs fovere ſoletis. Atque hoc illud eſt, quod iſtac ago nuncupatione, non ut oppiſitis invidiam conflare ſtudeam accuſando, aut vobis faſtidium pariam blandiendo: ſed ut fœliciſſimum exitum cogitatis veſtris exoptem, & ab illuſtri gratia ac patrocînio veſtro, conatibus iſtis meis neceſſarium acquiram tutamen. Quod ſi ab I. A. V. impetravero, non meo ſolum ſtudio, ſed & ipſi veritati, cui operam iſtam navavi, ne dicam Eccleſiis, in quibus diu beneficio veſtro perſonavit, firmamentum nonnullum, ac robur ſuppeditatum iri ſpero. Plura non habeo coram vobis proferenda, Illuſtriſſimi Domini. Neque enim debeo, neque aveo ſic veſtris auribus obſtrepere, ut in publica commoda, in privatum pudorem, & in dignitatem etiam ac clementiam veſtram ſimul videar peccare. Deum optimum maximum in Ieſu Chriſto veneror, ut vobis propitius, & conſilijs veſtris præſens atque præſes, gloriam ſuam uſque & uſque, habitare velit in terrâ veſtrâ; & ut benignitatem ac fidem occurrere faciat inter ſe, iuſtitiam & pa-

cem oſculari ſe; fidem è terra germinare dans, & iuſtitiam è cœlis proſpectare.

I. V. A.

Obſervantiſsimus

Guilielmus Amesius.

PRÆFA-

PRÆFATIO
AD ECCLESIAS ILLAS BELGICAS,

Quæ in Confeſſione receptâ conſtanter perſiſtunt.

DIxerint licet iniqui rerum æſtimatores, ſive malevoli, ſive ignavi, ac nimis cauti, inceptum hoc audax, temerarium, ac planè inſolens habendum, quod ego me projiciam in concertationem hanc veſtram, & ſic ad cauſam iſtam aggrediar, ut partes alienas non ſine confidentia videar in me recepiſſe: hæc tamen obtrectatio, conſcientiam illius officij, quod vobis (pro exiguis illis viribus quas dimenſus eſt mihi Deus) præſtare ſum conatus, nullo modo aut franget, aut etiam concutiet, ac debilitabit. Si enim nihil aliud ſubeſſet, quam ut in hoc veſtro graviſſimo ſanè tempore, quo quicquid aliquando futurum fuit in caſtris contra Eccleſiarum quietem, hoc omne ſimul conveniſſe videtur, ego me rationibus veſtris adjungerem, & conjunctiſſimæ ſocietatis quaſi jure commotus, partem veſtri oneris in me ſuſciperem; & ad res feſſas, vel facultate aliquâ ſublevandas, vel conatu ſaltem & ſtudio recreandas, animum applicarem, & operam quam potui promptus navarem; quid tandem in tali conſilio foret, quod non laudem potius quam accuſationem ſperare poſſe videatur? At verò ego amplexus animo ſum aliquanto amplius: cauſam hanc nempe quam ſuſcepi, non veſtram tantum eſſe,

quam-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

quamvis inter vos jam ferveat maximè, ſed aliorum etiam omnium tam ſingulorum fidelium, quam cætuum vobiſcum ſentientium communem: & ad ſanctiſſimas illas Calvini, Bezæ, Martyris, Buceri, Whitakeri, Perkinſi, ac ſimilium animas vel maximè pertinere: in quorum beatiſſima nomina, non tam incurrunt Remonſtrantes obliquè, quam inſolenter & inſectanter invadunt: & quod maximum eſt, ad ſacroſanctos Prophetas, & Apoſtolos ipſos ſpectare, quorum inſignita maximè verba, planè inverſa video, ac novis argutijs ſophiſticè eluſa. Hæc autem qui attendet diligenter, & verè ſecum exiſtimabit, non putabit profecto ab homine Chriſtiano, & harum rerum ſtudioſo, minus quidquam alienum eſſe, quam ſitulam ſuam adferre, qua ſi incendium non poſſit extingui, poſſint tamen eorum animi nonnihil refici, qui ne ulterius graſſetur laborant. Quod verò ad iſtam periculi partem præ cæteris acceſſerim, hanc hujus conſilij juſtiſſimam habeo rationem. Quum ijſdem ferè telis ubique pugnatur à Noſtris, adverſus importunos iſtos errores, quibus uſi fuerunt in Collatione Hagienſi, (nec enim fortiora dantur quam ſunt illorum pleraque) & Oppoſiti primariam ſuæ defenſionis vim ſophiſmatis maximè ſpecioſis, maximéque lubricis ſimul congeſtis, in iſta ſede collocarunt, tanquam in armamentario quodam benè munito; illos operam ludere neceſſe eſt, vel ita ſaltem navare, ut facile poſsit eludi, qui eadem jacula ſæpius intentant, de repulſu iſtoc antepræparato nihil interim cogitantes. Vel igitur è medio nobis tollendum eſt hoc quicquid ſit munimenti, vel de argumentis, & Scripturæ teſtimonijs graviſsimis in perpetuum poſthac ſilendum. Quod cum ita ſit, an fieri debeat quod ego tentavi, hoc extra omnem deliberationem ponendum eſſe puto: an autem à me debeat, dubius & hæſitans diu mecum cogitavi:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

tandem verò in illam ſententiam, aliorum hortatu & excitatione commotus, deſcendi, ut à quovis quidem alio potius quam à me provinciam iſtam capeſſendam eſſe judicarem, à me tamen potius, quam à nemine. Hanc facti rationem, confido & ſpero, omnibus non iniquis fore probatam. Ad vos igitur jam accedo, dilecti Deo cœtus, non ut officium hoc meum promercali more commendem, ſed ut ſynceras veſtras mentes, per ſubmonitionem quandam expergefaciam, & excitem ad ſeriam cogitationem eorum, quæ à vobis jam in hoc viſitationis & probationis veſtræ die, tam Deus ipſe, quam omnes illi qui ſpiritu & zelo Dei ducuntur, vehementer poſtulant, & expectant. Qui contra vos & Confeſsionem veſtram, in iſtis articulis, quos hic agitatos habetis, veniunt, ij triplici uti ſolent armaturâ. Horrendas quaſdam blaſphemias in primâ acie collocant, quibus dum cauſam adverſam onerare ſtudent, animos Chriſtianos, & majeſtatem ipſam divinam non parum lædunt. Has ego refutatione ſolicitâ, non dignas eſſe duco. Satis eſt eas repuliſſe breviter gravi illo reſponſo, quod Senatus Romanus dediſſe fertur, orationi cuidam, à Iuliano Apoſtata in Conſtantini probrum factæ, & coram ipſis recitatæ, *modeſtiam majorem optamus authori.* Terriculamentis iſtis, proximum locum tribuunt, interpretationibus illis novis, quibus plurima Scripturæ teſtimonia, cum artificio quodam ſingulari, in ſuam rem convertunt: ubi robur & nervi illi ſunt quos habet eorum cauſa tota. In iſta verò parte, quid veræ, ſolidæque rationis inſit, ſcrutatus ego ſum inter alios, & in hoc ſcripto repræſento. Tertium vero cuneum in conſcientias ipſas piorum omnium adigunt. Contendunt enim doctrinam iſtam, quam nos profitemur, tam noxiam eſſe pietati ſolidæ, ut fidem, ſpem, timorem Dei, ac relligionem omnem ex animis hominum evellat, &

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

vel miſeram deſperationem, vel carnalem ſecuritatem, vitamque ſolutam, quaſi germanos fructus ferat. Quamvis autem quod huic veritati affingunt, ab Apoſtolo ipſo Paulo, cui idem legimus objectatum, jam olim novimus redargutum ſatis, atque etiam exploſum fuiſſe; nobis tamen ex officio incumbit, non verbis tantum negare quod ajunt, ſed & factis ipſis refutare. Iſtiuſmodi enim calumniæ, non leviter abſtergi diſputando, ſed religiosè vivendo penitus debent extingui. Hæc igitur vobis, qui cauſam iſtam ad cor & ad conſcientiam intimam revocaſtis, qui veritatem ſimul & ſanctitatem ejus inviolatam eſſe vultis, vobis, inquam hæc reliqua pars eſt; hic reſtat actus; in hoc elaborandum eſt; ut illam, vel neglectam hactenus diſciplinam, malis hiſce moniti ſeriò conſtituatis, vel diu collapſam reſtituatis tandem & confirmetis, quâ fides ac doctrina Dei ornari poſſit & honeſtari, ut ebrietas, ſcortatio, juramentum temerarium, & id genus reliqua, tam dicta quam facta putria, habeantur apud vos in deteſtatione juſtâ, ſeriâque cenſurâ coerceantur; ut quæ pleriſque omnibus inter luſus habentur, alea, ſaltatio, ſcena, ea fugiantur à vobis, tanquam flagitiorum graviorum periculoſa fomenta; ut dies Dominicus Deo ſacer concedatur, nec ad officia communia, nedum ad luxum & luxuriam à quoquam veſtrorum transferatur; ut privata pietatis exercitia, matutinæ ac veſpertinæ preces, lectitatio verbi, inferiorum inſpectio diligens, ac inſtitutio, ſine quibus religio non poteſt diu ſpirare, vigeant in familijs, & aſſiduè colantur; ut denique tam publicè, quam privatim, vis ipſa pietatis, in manu, linguâ, & corde ipſo frænando, agendoque, non forma ſola curetur. Hæc qui faciunt, ij ſic ſe gerunt ut convenit Evangelio Chriſti: ij ſynceri Dei filij ſunt, in medio gentis pravæ, ac perverſæ ſplendentes ut faces, ſermonem vitæ cum dignitate prætendentes: adverſus eos qui inſurgunt, erubeſcere

beſcere tandem cogentur, non invenientes ut dicant adverſus eos quidquam odioſi. Pietas quidem ipſa non poteſt effrænata quorundam ora prorſus oppilare, aculeos tamen linguarum ita retundere ſolet, ut vix cutem ipſam penetrare videantur. Quem, non dicam prudentem, ſed vel ſanum commoverunt unquam inſani Bolſeci clamores in Calvinum? Quis tam excors, aut inſenſatus erit, inter illos omnes qui Tomſoni mores noverunt, ut abſque nauſeâ poſſit eum ferre de ſeculi inſurgente improbitate (cujus ipſe pars magna fuit) querentem adverſus Perkinſi, Whitakeri, & ſimilium profeſſionem, qui frontibus, & pectoribus inſculptum ſemper gerunt *Sanctitas Iehovæ*? Ut paucis multa complectar, ſi omnes illi qui cum Calvino, Bucero, Martyre, Beza, Zanchio, Iunio, Whitakero, Perkinſo, & ſimilibus, judicio ac profeſſione conſentiunt, cum illis etiam in vitæ ac morum inſtituto æque eſſent conjuncti, inſectatores iſti contempti ſilerent. Quod ſupereſt igitur, Deum ex intimis ſenſibus oro, ut in cœtibus veſtris, & in fidelium omnium cordibns, hoc ſtudium veræ pietatis magis magiſque accendat, & opprobium auferat ab Iſraële.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

IN CORONIDEM
GVILIELMI AMESII
ANGLO-BRITANNI.

ILluſtris olim protulit BRITANNIA
Dogma hoc ſuperbum, quo negatur illa vis
Peccati in ipſas intimas mortalium
Mentis medullas & voluntatis ſimul
Diffuſa, primorum è malo parentium.
Divina quâ lux, vita, viſque extinguitur:
Dogma hoc nefandum, quo redemptoris DEI
Almæ negatur gratiæ efficacitas,
Divina quâ lux, vita, viſque redditur.
At ipſa noſtro ſeculo BRITANNIA
Hoc deliteſcens dudum apud Scholaſticos
Protraxit in lucem malum, & neci dedit.
IUVELIUS & re, & nomine hoc, Κειμήλιον,
VVITHAKER ille terror HeſperI Iovis,
RAINOLDVS acri fervidus molimine,
PERKINSUS inter optimos haud ultimus,
VVILLETUS *arma* qui *minaſque* contudit
Gigantis alti, qui DEO *bellum* intulit,
VVITGIFTUS & MATHÆUS, ambo laudibus
Clari eruditionis & ſcientiæ,
Uterque ABOTUS, Anglicanæ Præſules
Eccleſiæ, orbis Chriſtiani lumina,
Et major ipſe REX ſuâ BRITANNIA,
Stylo ſimulque voce noxiam hanc luem
Eccleſijs à Chriſti abegerunt procul.
Dogma hoc ſuperbum in BELGICIS Eccleſijs
Iam denuò poſt tot viciſſitudines
Secli repullulans, acuto AMESIUS
BRITANNUS ecce nunc ſtylo radicitus,
Fibris reſectis omnibus, planè eruit.
Tulit malum hoc & ſuſtulit BRITANNIA.

FESTUS HOMMIUS.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

Admonitio

AD

LECTOREM.

Nonnulla ſunt quæ ſtudioſus Lector paucis eſt mihi monendus.

1. *Per totum iſtud ſcriptum, ubi Collationis Hagienſis certus aliquis locus notatur, ibi verſionem D. Brandij ſemper deſignari. Eam enim ego conſtanter ſum ſecutus in totâ ſcriptione: & in principio ſingulorum argumentorum, ex illâ poſui numerum paginarum, ex quibus reſponſiones Remonſtrantium ſigillatim deſumpſi.*

2. *Abſtinuiſſe me ab illorum teſtimonijs adverſus Remonſtrantes proferendis, quæ ullâ cum ſpecie rejici poſſint ab illis, & vel eorum verba ſola fere urgere, qui actores fuerunt in ipſa collatione, ut Nicolai Grevinchovij, Iohannis Arnoldi, Simonis Epiſcopij, & Adriani Borrei, vel Arminij, quem illi authorem habuerunt totius incepti; à quibus, ut ſuimet optimis interpretibus, eorum quæ in collatione obſcure, vel ambigue dicta fuerunt, genuinum ſenſum ut peterem, æquum eſſe nemo negabit.*

3. *Ea quæ ex Nicolao Grevinchovio huc adferuntur, quorum pleraque patrocinio vel agnitione reliquorum maximè videantur indigere, ſingularem ab ipſis approbationem habere. Sic enim teſtantur, in libello quodam Belgico, qui de ſtatu quæſtionum agit, & inſcribitur,* admonitio adverſus malignum & falſum ſcriptum, *pag.* 23. D. Nicolaus non defendit in libro ſuo, niſi 4. aut 5. articulos Remonſtrantium: & hoc eodem plane modo quo in Hagienſi collatione defenſi fuerunt.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

INDEX LOCORUM
S. SCRIPTURÆ,
Qui fuſius in hac Coronide explicantur.

NUMER.

Cap.	Verſ.	Pag.
14.	28.	280.
	30.	253.

DEUT.

Cap.	Verſ.	Pag.
29.	4.	189.
30.	6.	185.

1. SAMUEL.

Cap.	Verſ.	Pag.
2.	30.	279.
13.	14.	280.

2. SAMUEL.

Cap.	Verſ.	Pag.
18.	33.	114.

PSALM.

Cap.	Verſ.	Pag.
1.	3.	341.
69.	29.	40.
119.	3.	350.
125	1.	297.

PROVERB.

Cap.	Verſ.	Pag.
3.	3.	204.
7.	3.	204.

ESAI.

Cap.	Verſ.	Pag.
14.	10.	294.
	27.	255.
46.	10.	255.
59.	21.	295.

IEREM.

Cap.	Verſ.	Pag.
24.	7.	198.
31.	18.	188.
	33.	134.
		201.284.
32.	38.39.40.	284.

EZECH.

Cap.	Verſ.	Pag.
36.	26.27.	192.

HOS.

Cap.	Verſ.	Pag.
2.	19.	296.

MATH.

Cap.	Verſ.	Pag.
7.	23.	117.
	24.	341.
11.	21.	112.
16.	18.	301.
19.	26.	312.
20.	16.	10.
22.	14.	11.
24.	22.	11.
	24	12.311.

MARC.

Cap.	Verſ.	Pag.
13.	20.	316.

LUC.

Cap.	Verſ.	Pag.
7,	30.	253.
8.	15.	342,
10	20,	37.
14:	23,	251
22,	32,	325,
23.	35,	316,
24.	29.	251.

IOAN.

Cap.	Verſ.	pag.
1.	12.	65.
3.	16.	145.149,154
4.	14.	297.
5.	24,	299.
6,	35,37,39,44,46	
	57.	299.

C. V.37.P.15.69.243

		334.
	39.	16.334.
	44.	245
	56.	258.
8.	31.	344.
	35.	352.
	47.	70.
10.	3.	14.
	15.	108.
	16.	43.
	26.	70.
	27.28.	335.
	28.29.	292.
	29.	17.
11.	43.	221.
	51.	110.
	52.	111.
12,	39,40.	243.
13,	1.	335.
	18.	15.
14.	16.	303.
	17.	242.351.
	23	350.
15	13.	129.
17.	6.	17.
	15.20.	325

ACT.

Cap.	Verſ.	Pag.
5.	31.	134.
7.	51.	270.
9.	15.	316.
13.	48.	31.68.
16.	14.	205.
18.	10.	43.
20.	16.	312.
	28.	109.

ROM.

ROM.

Cap.	Verſ.	Pag.
4.	16.	55.
5.	5.	261.
	6.	106.
	7.	114.
6.	2.8.9.10.11.	347.
	5.6.	134.
8.	14.	242.
	29.	25.
	29.30.	58.317.
	34.	118.328.
	35.37.38.	359.
9.	3.	114.
	11.	12.
	14.	78.
	22.23.	20.
11.	5.	13.
	7.	318.
	9.	76.
	11.	317.
	12	161.
	17.	286.
	29.	318.
14.	14.15.	106.

1. CORINTH.

Cap.	Verſ.	Pag.
1.	8.	335.
	8.9.	305.
	23.24.	242.
4.	7.	268.
8.	11.	106.
10.	13.	306.

2. CORINTH.

Cap.	Verſ.	Pag.
1.	21.	340.
5.	15.	102.
	19.	146.

GAL.

Cap.	Verſ.	Pag.
4.	15.	311.
	19.	356.

EPHES.

Cap.	Verſ.	Pag.
1.	4.	13.55.60.
	5.	64.
	19.	231.
2.	8.	258.
	10.	66.
5.	23.	335.
	25.	109.
	26.27.	63.

PHIL.

Cap.	Verſ.	Pag.
1.	6.	308.
	29.	181.
2.	13.	182.
4.	3.	37.

COLOS.

Cap.	Verſ.	Pag.
1.	20.	63.
	22.	306.
2,	12.13.	235.

1. THES.

Cap.	Verſ.	Pag.
5.	23.	307.

2. THES.

Cap.	Verſ.	Pag.
1,	11.	236.
3,	3.	308.

1. TIM.

Cap.	Verſ.	Pag.
2.	14.	315.

2. TIM.

Cap.	Verſ.	Pag.
1.	12.	337.
2.	19.	14.76.
	25.	258.

TITI.

Cap.	Verſ.	Pag.
1.	1.	34.
2	14.	113.

HEBR.

Cap.	Verſ.	Pag.
2.	14.15.	134.
3.	6,14.	344.
6.	17.	253.
12.	2.	338.

1. PETR.

Cap.	Verſ.	Pag.
1.	5.	338.
2.	4.	316.

2. PETR.

Cap.	Verſ.	Pag.
1,	3.	237.
2.	1.	106.

1. IOH.

Cap.	Verſ.	Pag.
2,	2.	156.
	4.6.14.24.	351.
	7.	61,
	19.	243.
3.	9.	347.
	14.15.	351.
	16.	130.
4.	13.	243,
5.	4.	355.
	18.	355.

IUD.

Verſ.	Pag.
1.	335.
3.	358.

APOC.

Cap.	Verſ.	Pag.
3.	5.	40.
16.	8.	41.
20.	6,	358.
21	27.	37.
22.	19.	40.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

E R R A T A.

pag. 6. lin. 14. pro *899.* lege *89.* p. 16. lin. pen. *pro homo nimium, homonymiam.* p. 19. l. 2. pro *quod, quos.* p. 56. l. pen. *conditionis.* p. 59. pro *quas, quæ.* p. 60. l. 16. *continentur.* p. 62. l. pen. *ad adopt.* p. 65. l. 20. *concomitante.* p. 68. l. 15. *ab ejus.* p. 71. l. 6. *Filios.* p. 75. l. 12 *donandæ.* p. 79. l. 34. *conceditur.* p. 87. l. 11. pro *nonne, non.* p. 85. l. 1. ante *quadam* pone *adoptione.* p. 89. l. 29. lege *perire.* p. 91. l. 29. *ullum.* p. 152. l. 32. *quadam.* p. 174. l. 18. pro *jam, nam.* p. 190. l. 27. *irreſiſtibilem.* p. 192. l. 26. & p. 203. l. 8. dele *non.* p. 208. l. 13. ante *poſtulaſti,* pone *non.* p. 248. l. 28. pro *&* lege *ut.* p. 255. l. 9. pro *iucunde, incude.* p. 258. l. 26. pro *2. Tim. 3. 25.* lege *2. Tim. 2. 25.* p. 267. l. 13. lege, *ut gratia & voluntas unum ſint* p. 271. ult. *conditionatæ.* p. 280. l. 14. *cadebant.* l. 20. *aſſertio hæc inſolens in fæliciter certe.* p. 282. l. 11. pro *gemina, genuina.* p. 284. l. 14. pro *enim, eum.* p. 286. antep. pro *cautis, cautio.* p. 287. l. 28. ante *mandantem* pone *&.* p. 288. l. 5. pro *ipſi* lege *ipſa.* p. 294. l. 24. pro *ne, ut.* p. 302. l. 29. pro *poto, poteſt.* p. 317. l. 1. dele *per.* l. 3. pro *funt, ſunt.* in marg. lege *Rom. 8. 29. 30.* p. 334. l. 9. pro *57. 37.* in marg. pro *1. Ioh.* lege *Ioh.* p. 335. l. 6. pro *quas, quos,* l. 22. ante *Corinth.* pone, *ad.* p. 338. l. 7. pro *1. 6. 20.* lege *1. ad Tim. 6. 20.* p. 345. l. 16. *Antechriſtorum,* lege *Antichriſtorum.* p. 350. l. 15. lege *committantur.* p. 357. l. 26. pro *abque* lege *abſque.* p. 360. l. 7. pro *divellei* lege *divelli.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

ARTICULUS PRIMUS, DE ELECTIONE Ex Fide prævisa.

Caput I.

Status quæſtionis eruitur.

Sententia Remonſtrantium de Electione.

SEntentia Remonſtrantium hæc eſt: Deum *æterno & immutabili decreto, in Ieſu Chriſto Filio ſuo, ante jactum mundi fundamentum, ſtatuiſſe, ex lapſo & peccatis obnoxio humano genere, illos in Chriſto, propter Chriſtum, & per Chriſtum, ſervare, qui Spiritus Sancti gratiâ in eundem Filium ejus credunt, & in ea fide fideique obedientiâ per eandem gratiam uſque ad finem perſeverant.*

Fricanda paululum eſt hæc ſpica, ut ambiguitatum omnium integumentis remotis, quid grani contineat, facilius poſſit intelligi, & quid illud ſit de quo diſſeratur.

Quintuplex circa eam controverſia.

In iſtoc igitur Electionis decreto adnotaſſe mihi videor, controverſiam haberi quinque partitam, atq; adeò totidem quaſi membra diligenter ijs conſideranda puto, qui in cauſæ penetralia deſcendere cupiunt. 1. Actus ipſe (*qui*) vel Decretum iſtud quale ſit. 2. Objectum (*quod*) cujuſmodi. 3. Terminus (*ad quem*) quis. 4. Conditio & ratio (*qua*) quæ ſit. 5. Fundamentum (*ſuper quod*) cujus generis ponendum.

1. Decretum Electionis quid Remonſtrantibus ſignificet.

Primum quod attinet, duo ſunt decreta (ab Arminio in declaratione poſita pag. 47.) quorũ alterutrum poteſt his ijſdẽ verbis deſignari per æquivocationem illam, quam Arminius in electionis voce latere facit: (reſp. ad quæſt. ſynod. quæſt. 1.) illud nempe imprimis generale pronunciatum,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

ciatum, quo *ſtatuit apud ſe Deus non aliud hominum genus ſalute donare quam credentes & in obedientiâ fidei ad finem uſque perſeverantes.* Deinde etiam & particulare vel ſingulare illud, quo *decrevit Deus certas quaſdam ſingulares perſonas ſalvare, quas credituras iam videbat & ad finem uſque perſeveraturas.*

Hæc utraque decreta Prædeſtinationis nomine à Remonſtrantibus inſigniri ſolent, quamvis prius illud præconceptio & præſcriptio tantum ſit officij debiti, & conditionis illius, quam in ſalvandis requiſiturus erat Deus: ſic Arminius ipſe deſcribit Theſ. priv. diſp. 41. theſ. 1. neque magis prædeſtinatio dicenda ſit, quam illud legis, *Facientes hoc vivent*, aut oppoſita illa, *Infideles damnabo*, & *Non facientes hoc damnabo*, ita ut omnes mortales hâc Prædeſtinationis ratione admiſsâ, bis ad vitam & bis etiam ad mortem deſtinari dicantur, neque tamen ſic ad vitam, quin omnes poſſint damnari, nec ſic ad mortem, quin ſervari poſſint omnes. Ambiguitate hujuſmodi involutus Articulus diſputationem ipſam non nihil involvebat etiam, nec ſinebat eſſe diſtinctam. Sic enim Fratres illi reverendi, qui ex adverſo ſtabant, theſin illam accepiſſe videntur, quaſi generale illud contineret effatum, & nihil ultra: ac propterea in Collatione primo ſcripto diſtinctiorem ejus declarationem poſtularunt. Sic etiam Remonſtrantes ipſi nonnuſquam intelligi eam volunt. Nam in ipſâ formatione ſtatus, quam Ordinibus in fine Collationis hujus tradebant, p. 489 Prædeſtinationem hanc quam in iſtoc Articulo expoſuiſſent, *extremum alterum* appellant vel terminum *à quo incipiendum ſit, quia cauſa eſt & fons unde gratia & reliqua ſequuntur.* Hæc de ſingulari illâ Prædeſtinatione (cuius ante mentionem feci) nullo modo poſſunt intelligi, quippe quod non primum omnium eſt, ſed ex quatuor illis quæ Arminius ut decreta ponit (Declar. p. 47.) eſt omnium poſtremum, neque fons eſt unde gratia & reliqua ſequuntur, ſed gratiam ipſam & fidem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

dem noſtram ſequitur: ſic enim Arminius, *innititur præſcientiæ fidei & perſeverantiæ.* Semet ipſos igitur arguere potius debent, quam alios accuſare (quod tamen iniquiſſimè faciunt p. 86. 87. 88.) ſi ad ſcopum tam verſatilem ſagittæ quædam non ſatis certò colliment.

II. De Objecto non debet illud neſcire Lector, per eos qui credunt intelligi iſtic, non omnes eos qui ſunt Chriſti membra vera. Infantes enim imprimis removere videntur ab iſtoc albo: ita ut eorum in Electione nulla ratio habeatur. Hoc Nicolaus Grevinchovius adeò non conceſſiſſe voluit, ut temeritatis egregiæ accuſet eum qui pro conceſſo & confeſſo poſuit, ex eorum etiam ſententiâ nonnullam eſſe etiam infantium electionem: *imò hoc ipſum* (*inquit p.* 150) *diſquirendi cauſa à te petij, ut probares ullam eſſe infantium electionem.* Neque verò omnes complectuntur eos qui per veram & viuam fidem ſunt inſiti Chriſto, ſed illos ſolos qui jam vixerunt. Sic enim ſententię huius optimus interpres Nicolaus Grevinchovius p. 136. *Quoties fideles ſtatuimus obiectum electionis, toties nos fidem & perſeverantiam in fide conjungimus.* Perſeveret igitur quis, oportet, uſque ad ultimum vitæ terminum, antequam capax eſſe poſſit ullius actus, fructus, ſenſus, qui ab iſtac electione manaret, atque adeò cum prius fideles ſint, quam deſtinati, non prædeſtinati fideles, ſed potius *poſt deſtinati* dicendi ſunt, quamvis ut beati ſint prædeſtinati. Diſtinguit idem (fateor) inter electionem quandam *incompletam*, quam omnibus fidelibus communem facit, & *completam* hanc, quæ neminem ſpectat niſi *morientem.* Nicol. p. 137. ſed partitione tam crudâ, tam aliâs exploſâ, ut bis cocta, ſi non mortem ipſam, faſtidium ſaltem adferret ſummum. Operæ tamen pretium erit ſtudioſo veritatis, eam cum Socini diſtinctione conferre cap. 13. Theol. prælect: ubi electionem unam infirmiorem facit, & alteram magis firmam.

2. Objectum Electionis quale Remonſtr. ponant.

Vide etiã hanc diſtinctionem apud Leſſium de Prædeſt. p. 247. & 248.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

3. *Terminus ad quem quis ſtatuatur a Remonſtr.*

III. Terminus etiam ad quem Prædeſtinationem iſtam tendere volunt, attendendus eſt â ſtudioſo Lectore. Hunc etenim in unica *ſalute* vel gloriâ illâ, quæ vitam iſtam ſequitur, collocandum eſſe docent. Ad gloriam ſolam prædeſtinari dicunt fideles (Nicol.p.132.) contra Scripturæ teſtimonium. Epheſ.1.4.5. & contra ſalutis naturam, cuius jus, quod adoptionis eſt *adjudicatio*, quæ eſt juſtificationis, & *pars* etiam vel gradus, qui in ſanctificatione præſenti donatur, non poteſt ab alio fonte manare, quam ipſa gloria, nec ſeparari debet ab ipſa, quacum a Deo coniuncta manet.

Neque certè diſſimulari debet Arminium ipſum (theſ. privat. diſput. 41.) Prædeſtinationem quandam ad fidem agnoſcere, & Nicolaum inſuper (p.116. 117) particularem illam facere atque comparativam, ad Paulum potius, quam Caipham, hac gratiâ donandum. Sed 1. talem non agnoſcit Articulus propoſitus, ultra quem tamen aſcendere non fas eſſe putant. p.493. 2. Prædeſtinatio illa quam ad fidem eſſe Arminius largitur, eſt Huberiana Prædeſtinatio totius generis humani, nihil aliud quam decretum continens de medijs fidei ſufficienter omnibus adminiſtrandis, ex affectu & voluntate, neſcio quâ, mundum totum æternâ ſalute donandi: atque adeò non eſt electiva prædeſtinatio, ſed ordinatio quædam cunctorum hominum communis, neque fidei ingenerationem certam adfert, ſed conſiſtere poteſt cum omnium hominum incredulitate finali. 3. Electio illa quam fingit Nicolaus (*fidei myſterium revelabo parvulis*) & generale quiddam eſt non magis unum quam alium deſignans, neque gratiæ donationem, ſed oblationem ſolam continet: ne dicam iſtoc ineptum planè commentum eſſe, quod alibi ſatis oſtendi. Non poteſt igitur negari, ſed ut verum agnoſcendum eſt, quod dixi gloriam ſolam, non gratiam, ad Prædeſtinationem divinam ab iſtis referri.

Neque

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

Neque prætereundum illud, quod ſalutem ipſam vel gloriam ſub ratione *finis* deſtinari negant (Nicol, p. 129. 130.) ſed tantum ut merces eſt aut præmium. Quæ conſideratio devia ſi bene perpendatur, hoc ſecum inſuper adfert, primum & proprium electionis vel prædeſtinationis hujus objectum, non homines ipſos, ſed præmium illud eſſe neceſſariò ſtatuendum. Homo non deſtinatur præmio, ſed præmium homini. Aliud verò eſt, quod nos ex Scripturis cum certiſſimâ ratione colligimus, προόρισμον ſcilicet, deputationem, ordinationem, & tranſmiſſionem quandam ad certum finem notare, & ad eam tria concurrere, *quid* ordinatur, *per quid*, & *ad quid*. Primum eſt *homo*, ſecundum *gratia*, & tertium, *gloria* quæ tamen gloria gratiam etiam includit, ut medium finis.

IV. De conditione ſciendum, quum Fides hoc titulo donatur ab illis non omnem veram & vivam fidem intelligi: ſed conſummatam ſolam. Eam verò poni, non ut conditionem, ſalutem quidem antecedentem, ſed electionem ipſam conſequentem (id quod à noſtris nunquam negatum fuit; ſummâ vero cum religione conſtanter traditum) ſed ut antecedentem: neque ut nudum antecedens, vel terminum à quo (quod tamen non raro præ ſe ferre videntur, cum æquè nos peccatum atque ſe fidem electionis cauſam conſtituere dicunt) ſed ut antecedens præſcriptum ac poſtulatum à Deo, quo præſtito, non ſalus tantum ut præmium ejus conſequitur, ſed & ſalutis volitio & deſtinatio. Hujuſmodi autem conditionis eandem naturam & vim eſſe, quam veræ cauſæ tribuere ſolemus, à Nicolao Grevinchovio his verbis edocti ſumus p. 24. *contendo naturæ legum ac conditionum præſcriptarum omnino conveniens eſſe, ut voluntas judicis à conditione poſtulatâ & præſtitâ moveatur ad præmium.*

4. Conditionem qualem Remonſtr. in electione requirant.

Neque verò exiſtimandum eſt fidem ſolam in iſtam dignitatem ab iſtis evectam eſſe: ſed & opera ſimul. Sic enim

Nic. Grevinch. p. 137. *Electio peremptoria in objecto prærequirit totam conſummatam fidei obedientiam, ſecundum illud Pauli, Certamen certavi, &c.* Sic Arminij filij in Epiſtola ante diſſertationem eius in 7. ad Rom. *Tenendum ex ſcripturis, veram converſionem præſtationemque bonorum operum eſſe conditiones prærequiſitas ante juſtificationem.* Si ante iuſtificationem, tum & ante electionem etiam, *uniformia namque & conformia ſunt* (Nicol. p. 111.) *Electionis & Iuſtificationis decreta.* Sic denique Arminius ipſe theſ. privat. diſp. 39. theſ. 4. conditionem novi fœderis deſcribit, ut *credat in Deum per Chriſtum, & in Chriſtum, & utrique amorem, cultum, honorem, timorem, & integram ex præſcripto obedientiam præſtet.* Imò Remonſtrantes iſti in ipſo reſponſionis limine (p. 899.) qualitatem illam, cujus ratio habetur in electione, *conſtare* dicunt *obedienti humilitate quâ fidem ſuam demonſtrant*, non fide ſolâ.

5. Fundamẽtum electionis quod nam Remonſtr. collocent.

V. Quintum illud quod attinet, Fundamenti vim & dignitatem in electionis decreto Chriſto attribui poſſe non diffitemur, ſi recto hoc ſenſu fiat; ita ſcilicet, ut ſit ipſe caput electorum, & principium vel fons bonorum omnium, quæ deſtinantur ipſis in electione. Sed aliud eſt quod volunt Remonſtrantes, & quod oſtentant etiam errore non levi, non uno. 1. Mediationem Chriſti cauſam προκαταρκτικὴν, vel externè moventem vel provocantem eſſe ſtatuunt, reſpectu volitionis divinæ in electionis actu (Nicol. Grevinch. p. 103.) id quod nullo modo convenit aut Dei, aut mediationis naturæ (ſicut alias oſtendi) neque Scripturæ teſtimonijs varijs, quæ Dei voluntatem cauſam fuiſſe docent, cur Chriſtus Mediator noſter fuit, non verò econtra mediationem illius moviſſe Deum propriè ad ſalutem noſtram volendam. 2. Volitionem tamen illam ita diſtinguere ſolent, ut ad Chriſtum tanquam cauſam non poſſit ullo modo referri. Eam enim diſtribuendam eſſe dicunt in impetrationis & applicationis inten-

intentionem (Nicol. p. 4. 7. 8. 9.) quarum intentionum unam, impetrationis nempe, Chriſti mortem ut fundamentum antecedere, non in illa fundari, res ipſa docet apertè: altera verò ex morte Chriſti non ſequitur ut effectum (Nicolao judice p. 8. 9.) ſed manebat adhuc indeterminatum, utrum Deus redemptionem illam cuiquam applicari vellet necne. 3. Reprobationis fundamentum æquè Chriſtum facere videntur ac electionis ad vitam. Illius enim decreti totius, quo credentes eligere, *& non credentes reprobare* ſtatuit Deus, Chriſtum dicunt fundamentum eſſe (Nicol. p. 107. Armin. declar. p. 47.) 4. Non Chriſtum ipſum ſimpliciter ut Mediatorē cauſalem iſtam vim habere dicunt in electione ſingularium hominum, ſed Chriſtum fide apprehenſum (Nicol. p. 108.) atque adeò credere hominem, & ad finem etiam in fide perſeverare tenent, antequam proprium fundamentum electionis eius à Deo ponatur. Imò fundamentum ipſum electionis, fidem ſcilicet, ab ipſo homine potius quam à Deo poni. Fides enim eſt actus hominis. Hoc illud eſt quod Arminius perſpicuè dixit, *electio innititur præſcientiæ fidei*. Declar. p. 47. ubi per præſcientiam fidei, nihil aliud intelligi poteſt, quam fides præſcita. Quum enim Arminius abſurdum eſſe putat, (Exam. Præd. Perkinſ. p. 24.) *permiſſionem lapſus a permiſſo lapſu diſtinguere, lapſu qua permiſſus eſt conſiderato*; in ſimilem non immeritò reprehenſionem incurreret is, apud illum & ejus diſcipulos, quiſquis præſcientiam fidei diſtinguere niteretur à fide præſcita: in hoc præſertim negotio, ubi præſcientia nullum locum habet, niſi qua in fidem fertur. Fides igitur præſcita vel prævisa (ex Remonſtrantium ſententia) eſt electionis illius fundamentum proprium, qua ſingulares hoſce homines potius quam alios, Deus decrevit ſalvare.

Ex iſtis jam liquere ſatis cuilibet attento lectori poteſt, & hujus theſeos intimus ſenſus, & controverſiæ totius

tius

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

tius genuinus ſtatus. Sigillatim quidem hæc omnia non perſecuti ſunt noſtri in Collatione: ſimul tamen proponere volui, ut ſumma cauſæ facilius & plenius intelligatur. In diſputatione verò ſequente, illa ſola veſtigia premam, quibus præcedebant noſtri in Collatione.

CAPUT II.

De partitione cauſæ.

Duo præcipuè impugnata in primo Articulo Remonſtr.

IN articulo illo à Remonſtrantibus propoſito, duo præ cæteris impugnabant oppoſiti. 1. Objectum & 2. Conditionem, vel cauſam annexam. Hanc autem partitionem non probant Remonſtrantes, imo non admittendam eam eſſe manifeſtum factum fuiſſe narrant p. 88. Sed æquius egiſſent multo, ſi reprehenſionis cauſam, non minus notam feciſſent, quam ipſam reprehenſionem. Ego ſanè nullam cauſam juſtam, ne cogitando quidem poſſum aſſequi, cur materiale quodlibet & commune objectum non poſſit ſigillatim conſiderari à ratione illâ formali, quâ actui ſubjicitur ſpeciali. Nonne ſeorſim oſtendi poteſt, imo & ſolet etiam, quid ſit in rerum naturâ viſibile, antequam vel coloris, vel luminis, ulla mentio fiat? Certè Paulus ipſe deſcriptionem bene longam facit & electionis ipſius, & benedictionum etiam aliarum, priuſquam fidem vel nominandam eſſe putabat Eph. 1. 1. ad verſ. 11.

Sed accuſationem illam ſatis eſt verbo arguiſſe: accedamus potius ad rem ipſam. Hic autem denuò monendus eſt Lector, theſin Remonſtrantium tam dubijs verbis fuiſſe poſitam, ut occaſionem juſtam opponentibus dederit ſic ſenſum ejus capiendi, quaſi nihil aliud in ſe contineret præter effatum illud generale, *volo ſervare credentes & in fide ad finem uſque perſeverantes:* id quod ſecundi decreti eſt apud Arminium (declar. p. 47.) non autem illud

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

illud etiam comprehendere propoſitum (quod Arminio eſt quarti decreti) *ſingulares & certas quaſdam perſonas ſalvandi*. Illud igitur in primâ parte opponebant & multis confirmabant, *electionem eſſe certorum aliquorum hominum*. Hoc ita generaliter poſitum nihil contra ſe facere non ineptè reſpondent adverſarij. *Si verò ſenſus eſt* (ajunt Remonſtrantes p. 89.) *Dei electionem ad ſalutem pertinere ad ſingulares quoſdam homines, quâ ſingulares homines, id eſt, qualitatibus deſtitutos, ac proinde extra Chriſtum ac fidem in ipſum, hoc negamus*. Imò verò (inquam ego) ſi ſenſus eſt, electionem hanc pertinere ad ſingulares homines, etiam cum deſtituti ſint adhuc finali illâ in fide & obedientiâ perſiſtentiâ, quæ non niſi in ultimo vitæ termino à quoquam poteſt haberi; hoc etiam negatis vos, & theſis illa veſtra, quam ſupra deſcripſi. An hoc igitur argumentis propoſitis probari poſſit ex eorum cum reſponſis oppoſitis collatione ſequente liquebit.

CAP. III.

Argumentum primum.

P. 89.

ARgumentum primum ab *Electionis* & *Electorum* vocabulo tam frequenter in Scripturis uſurpato deſumitur. Et firma eſt ratio. Si enim perſiſtentia ad finem conditio eſſet prærequiſita in electionis objecto (quod Remonſtrantes defendunt) tum nullum eſſet objectum ejus, id eſt, nemo electus eſſet ante vitæ finem: neque actu electus dicendus eſſet quiſpiam dum in vivis eſt, quia nullus electionis actus circa illum adhuc exercetur, neque Deus ut eligens ullam habet relationem ad ipſum. Sed huic paradoxo reclamant ubique Scripturæ, dum toties electos etiam iſtic viventes appellant. Explodendum igitur & prius illud.

Eligere, Electio, & Electi quid ſignificent in Scriptura.

Ad ſingula Scripturæ teſtimonia nonnihil dicunt Remonſtrantes, ſed nullibi quidquam adferunt pro electione tam ſerâ.

1. Matth. 20 16. Mat. 20. 16. *Multi vocati, pauci electi. Qualitas* (inquiunt) *hic ponitur à parte electorum, & conſtat obedienti humilitate, quâ adverſus Patrem familias non obmurmurabant.*

Sed 1. Qualitas illa non ponitur ut cauſa aut ratio electionis, ſed ut effectum: hæc enim cauſa ſubijcitur conſtantiæ quorundam in Dei gratiâ, ſunt *electi.* 2. Illa qualitas non reſtringitur ibi nec extenditur ad ultimum vitæ finem. 3. Si ratio electionis in obedienti humilitate ponenda eſſet, tum illi potius eligendi fuiſſe videntur qui obedientes manſiſſent in opere per diem integrum, quam qui horam unicam. 4. Comparatio non ſic inſtituitur à Spiritu ſancto, quaſi obediens humilitas ultimorũ horum efferretur iſtic, & hoſce diſcerneret à primis illis: quid enim eximij aut quid commemoratione dignum fecerunt hi, ſi non obmurmurarunt adverſus diſpenſationem illam patris familias, qua ſortem æqualem habebant cum primis, quamvis in vineam ibant illi, cum hora unica ad opus reſtaret. 5. Hæc una conſideratio firmiſſimum ſuppeditat argumentum adverſus fidem & perſeverantiam prævisſam. Si enim fides rationem formalem conſtituat in electionis objecto, idque non ex naturâ ſuâ ſimplice, ſed quâ perſiſtentiam habet adjunctam, certè hæc perſiſtentiæ hujus duratio ſic determinari debet, ut non pendeat ex incertiſſimo vitæ fine: ratio enim cujuſlibet rei certæ determinata eſt & certa. Si vero determinetur ad aliquod certum ſpatium durationis, tum ſuadet ratio & neceſſitas, ut ejus qui diu in obedientia permanſit habeatur potius ratio, & extrema defectio antevertatur aliquo pacto, quam ut uni horulæ ex ultimo termino vitę non maturato fortitudine ullâ ſingulari, ſed fortè caſuve tum accedente, tantum quaſi privilegium in re tam gravi concederetur.

Matth.

Matth. 22. 14. Eadem rurſus verba alij parabolæ ſub- 2.
jecta leguntur à Chriſto. Matt. 22.

Reſpondent Remonſtrantes. 1. *Vt ad Iudæos & gentes hæc* 14.
parabola ſpectat in genere, ſic Scriptura apertè docet Iudæos eſſe propter infidelitatem rejectos, Gentiles vero per fidem ſtare. Rom. 11. 20. & rectè quidem, ſed hoc interim animadvertere debent, vel ex hiſce verbis aliam eſſe rationem infidelitatis ad rejectionem, aliam verò fidei ad electionem, *propter infidelitatem rejiciuntur, per* non propter *fidem* non eliguntur, ſed *ſtant.* Nunquam in Scripturis traditur propter fidem ullum unquam, vel populum, vel hominem electum fuiſſe à Deo. Contrarium ſæpiùs inculcare ſolebat Moſes Deut. 7. 8. 9. &c. ſicut & Propheta Ezech. 16. Res ipſa clamat gentem aliquam non primò fieri populum Dei per fidem, & poſtea electum eſſe à Deo, ſed per electionem Dei populum ejus fieri. *Selegit te Iehova Deus tuus, ut ſis ei populus peculiaris præ omnibus populis qui ſunt ſub univerſo cœlo.* Deut. 7. 6. Dicit imprimis Deus *populus meus eſt*: & tum ipſe dicit *Iehova eſt Deus meus.* Zachar. 13. ult. Vel iſtinc igitur edoceri poſſint, qualis vera ſit electio fidelium, talis ſcilicet quæ non invenit fideles, ſed facit. *Qui enim de mundo mundum eligi fecit, quod eligeret non invenit.* Auguſt. in Ioh. 15.

Reſpondent 2. *Vt ad ſingulares homines applicatur hæc parabola, tribuere eam electis veſtem nuptialem, quæ fides eſt.* Verè itidem & hoc, ex parte ſaltem, ſed rogo inſuper, annon merum Dei donum fuit hæc veſtis? an non tum à Deo ſuis donata, cum nihil diſcrepabant à cæteris mortalibus, niſi quod inter miſerrimos fuerint? Utrumque in Scripturis manifeſtè docetur. Ezech. 16. 3. 4. 8. 9. 10. quod ſi verum fuerit, tum electionem has veſtes antecedere palam eſt, & non ſequi.

Matth. 24. 22. *Propter electos decurtabuntur dies.* Reſpon- 3.
dent Remonſtrantes, *Marci* 13. 20. *exponi hoc his verbis: ele-* Matt. 24.
22.

ctos quos Deus elegit, quod ſignificat electos cum fide ſuâ, quippe quâ ſolâ Deus delectatur. Sed qui magis, miror, ex verbis illis Marci *quos Deus elegit* colligitur fides ut antecedaneum quid ad electionem quam ex ſimplici illo Matthei titulo *electos?* Si in Marco fuiſſet, *qui Deum elegerunt*, non adeò jejuna fuiſſet collectio: ſed ex verbis poſitis non poteſt illud elici. *Solâ fide* inquiunt *Deus delectatur*: ergò non eligit niſi *cum fide*, vel ex fide. Reſpondeo breviter ipſiſſimis Dei verbis, *Amore propendit Iehova in ſuos, propter dilectionem Iehovæ quâ diligit eos.* Deut. 7.7.8.

Delectationis materiam non invenit Deus in ſuis, ſed infert: & ipſo actu ac propoſito jam inferendi, non minus delectatur, quam re ipſa jam collata.

4. Matt. 24. 24. Ejuſdem cap. verſ. 24. *Vt & electos (ſi fieri poſſet) ſeducerent.* Reſp. Remonſtr. *Nemo ſeducitur niſi à fide: electi igitur ibi ſunt fideles.* Sed ſi electio ſit ratio ſeductionem prohibendi, tum 1. Perſiſtentia ad finem non prærequiritur ad electionem, ſed electio prærequiritur ad perſiſtentiam. 2. Tum etiam diſpar ſors hominum quorundam ab alijs etiam in hac vitâ ab electione fluit.

5. Rom. 9. 11. Rom. 9. 11. *Vt præſtitutum Dei ſecundum electionem maneat.* Reſp. Remonſtr. *Electio hæc ibidem dicitur ex vocante facta, id eſt, ſecundum fidem ex gratiâ.* Hæc eſt firmiſſimi loci ludibrium. Nam 1. Non dicitur ibi *electio* ex vocante fieri, ſed præſtitutum ſecundum electionem. 2. Non dicitur hoc præſtitutum *fieri* ſed *manere* vel firmum manere. Et electio igitur, & præſtitutum illud, quod fuit ſecundum electionem, vocationem iſtam antecedebat ut principium, quod per medium hoc jam perfici cæpit. 3. Ex vocante bene poteſt exponi verbis illis, quibus hic utuntur, *ex gratiâ ſecundum fidem*, ita ut Gratia ſit miſericordia divina in electione perlucens, & fides ſit effectum ejus, ſed hoc modo nihil Spartæ prodeſt. Si verò cum Arminio exponant, *ex vocante*, id eſt, *ex fide quâ vocanti paretur*; vel *ex vocante*,

cante, id eſt, ex vocato, perverſionem illam exploſam ſatis habent à doctiſſimo juvene, Iodoco Lareno, in reſponſione ad Analyſin Arminij p. 44.

Rom. 11. 5. *Reliquiæ ſunt ſecundum electionem.* Reſp. Remonſtr. *Apoſtolus ſubjicit hanc electionem eſſe gratuitam, non ex operibus, & per conſequens ex fide. Rom.* 4. 16. Vera dicunt *electio gratiæ* vocatur in textu, non autem paſſivè quaſi gratia eligeretur ab homine, ſed activè quia Deus ex gratia eligit hominem. *Si verò ex gratiâ* (inquiunt) *tum ex fide.* Itane vero? Vocatio eſt ex gratiâ: numquid illa etiam ex fide fit, & non potius ad fidem? Chriſtus Ieſus benedictus Salvator noſter etiam ipſe ex gratiâ datus, promiſſus, miſſus à Deo Patre, numquid ex fide? Apoſtoli (fateor) ſunt illa verba, *propterea ex fide, ut ſit per gratiam:* unde etiam non ſine ratione colligere licet, illud eſſe per gratiam, quod eſt ex fide, ſed è converſo etiam deducere illud omne ex fide eſſe quod per gratiam fit, præpoſterum hoc & perverſum foret. 6. *Rom. 11. 5.*

Epheſ. 1. 4. *Deus nos in Chriſto elegit. & verſ.* 11. *In quo electi ſumus.* Reſp. Remonſtr. *Nemo eſt electus in Chriſto, niſi qui in Chriſto eſt. In Chriſto verò nemo eſt niſi fidelis. Nemo ergo in Chriſto electus eſt niſi fidelis.* Eodem planè & modo & medio ſyllogizare licebit & mihi. Omnes qui vocãtur, aut etiam redimuntur, in Chriſto vocati & redẽpti ſunt. 2. Cor. 5. 18. 19. (ne longius abeam) *omni ſpirituali benedictione benedicti ſumus in Chriſto.* Epheſ. 1. 3. Et ipſi Remonſtrantes (in artic. 3.) neceſſarium eſſe dicunt, ut homo, a Deo, *in Chriſto*, regignatur, ad credendum, vel boni quidpiam, ſive perficiendum, ſive cogitandum. Et (art. 4.) omnia bona opera quæ excogitari poſſunt (atque adeò initium ipſum & fidei & reſipiſcentiæ) Dei gratiæ *in Chriſto* tribuenda eſſe. Sed nemo eſt vocatus aut redemptus in Chriſto, niſi qui in Chriſto eſt, in Chriſto verò nemo eſt niſi fidelis, nemo igitur in Chriſto vel vocatus vel etiam redemptus 7. *Epheſ. 1. 4.*

 eſt, niſi

eſt, niſi qui prius fidelis erat. Talis eſt vis argumenti hujus. Res ipſa verò ſic ſe habet: *in Chriſto* hic nullo modo referri debet ad electionis objectum, vel homines qui electi dicuntur, quaſi ij in Chriſto prius fuerint: ſed ad actionem Dei, ſicut verba ipſa clarè ſatis indicant. Non enim habetur ὄντας ἐν αὐτῷ, ſive τοὺς ἐν αὐτῷ, ſed *elegit nos in illo* ἐν αὐτῷ, hoc eſt *per eum* ut verſu 7. ἐν ᾧ, h. e. *per quem* habemus redemptionem. Ut Col. 1.16. ἐν αὐτῷ *per illum* omnes creaturæ conditæ ſunt (Non quod inanimatæ etiam in illum crederent) ſic & hic ἐν αὐτῷ per illum electi ſumus. Neque tamen ita propriè, ut cauſa poneretur ipſius principij in hac actione, ſed termini ſolius, id eſt, gratiæ ac gloriæ tam præparandæ quam conferendæ: ita tamen, ut in Chriſto etiam tunc fuiſſe nos, cum electi fuimus, verè dicamur: non actuali inexiſtentia, quæ eſt per fidem, ſed virtuali (ut ita dicam) continentia, quæ aliam non habet rationem quam propoſitum ipſum divinum.

8. 2. Tim. 2. 19. 2. Tim. 2. 19. *Dominus novit qui ſunt ſui*. Reſp. Remonſt. *Deus novit eos pro ſuis, qui juſtitiæ quæ eſt ex fide operam dant.* Tales Deum noviſſe norunt omnes: ſed quæritur inſuper an non prius eos noverit quam ad finē uſque in illâ juſtitiâ perſtiterint? ſi hoc ſentiant, Scripturę apertè contradicūt. Gal. 4. 9. *Nunc autem cognoſcitis Deum, aut potius cognoſcimini à Deo.* Imò novit Deus omnes illos pro ſuis, in quibus fidem & ſtudium illud accendere decrevit, quod proprium ſuorum eſſe novit. *Dico* (inquit Auguſt. in Ioh. 10.) *novit Dominus qui ſunt ejus, ipſæ oves aliquando ſe ipſas neſciunt, ſed paſtor novit eas, ſecundum electionem ovium ante conſtitutionem mundi.*

9. Ioh. 10. 3. Ioh. 10. 3. *Ille vocat oves ſuas nominatim.* Reſp. Remonſt. *Oves hic conſiderantur quâ Paſtoris ſui vocem audiunt.* Sed quæritur adhuc, an ideo ſint oves, quia vocem Paſtoris audiunt, vel ideò audiant, quia ſunt ejus oves. Non dicent, ſpero, eſſentiam fluere ab operatione, ſed operationem potius

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

potius ab eſſentiâ. Secundum prædeſtinationem Dei multæ ſunt oves foris adhuc errantes, quæ poſtea auditturæ ſunt vocem paſtoris. Aug. in Ioh. 10.

Ioh. 13.18. *Novi quos elegi.* Reſp. Remonſtr. *Novit Chriſtus quos ſibi Apoſtolos elegerat: quid mirum?* Nihil ſanè quicquam: ſed mirum tamen eſt perſpiciaciſſimos Remonſtrantes non aliam hic electionem videre quam ad apoſtolatum, cum diſcrimen apertum facit inter Iudam apoſtolum, & cæteros, *non de omnibus vobis loquor.* 10. *Ioh. 13. 18.*

Cap. IV.

Argumentum ſecundum.

P. 92. 93.

Rationis vis eſt hujuſmodi:

Qui donati fuerunt Chriſto antecedenter ad fidem, ij electi etiam fuerunt antecedenter ad fidem. Ratio eſt, quia hæc donatio fluit ab electione. Sed quidam donati fuerunt Chriſto antecedenter ad fidem. Ioh. 6. 37. 39. & 10. 29. & 17. 6. Ergo quidam electi fuerunt antecedenter ad fidem. Reſp. Remonſtr. ad teſtimonia illa ſingula quæ aſſumptionem confirmant. Sed quam Sophiſtice? *Quid ſit dari vel donari Chriſto.*

Ioh. 6. 37. *Quicquid Pater mihi dat ad me venit. Si illud dari accipitur pro dari ad ſervandum, fideles ſunt illi qui Chriſto dantur: ſi pro dari ut in Chriſtum credant, illud non fluit ex electione ad ſalutem.* Reſpondeo, 1. Diſtinctio hæc eſt abſque differentia; dare ad ſervandum, dare ad credendum. Fidei opus & uſus proprius non alius eſt quam ſervare, *fides tua te ſalvam fecit.* 1. *Ioh. 6. 37.*

Contradictionem etiam implicat nimis apertam, ut quis Chriſto Ieſu, vel ſalvatori, donetur, quâ tali, ita ut habeat ipſum pro ſuo ſalvatore (hoc enim eſt credere in eum) & tamen non ipſi donetur ad ſalvandum. 2. Per *venire*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

nire hoc in loco, non corporalis ſed ſpiritualis adventus intelligi debet, id quod nihil aliud eſt quam credere. verſ. 35. *Qui venit ad me, qui credit in me.* Fides igitur eſt fructus, vel conſequens aliquod ſaltem donationis illius: *Quicquid dat, veniet.* Non poſſunt igitur applicari hæc ad donationem illam, quæ eſt ex fide ad ſalutem, qui ſic enim dati ſunt, de ijs non rectè dicitur, *venient*, *credent*: dudum enim crediderunt & ad finem uſque perſeverarunt in fide. 3. Neque verò donationem illam deſignant quam Remonſtrantes ad fidem eſſe volunt, ſic enim ex eorum ſententiâ non quidam, ſed omnes & ſinguli Chriſto donantur, *Iure* nempe *ſalvationis in omnes, & bono ſalutis pro ſingulis acquiſitæ*, (ut Nicolai verbis utar, p. 49.) & jure etiam *Vocationis* & ſufficientium etiam, ac neceſſariorum, omnium adminiſtratione mediorum (quæ eſt communis Remonſtrantium opinio) omnes igitur donari Chriſto docent ad credendum. Vel igitur dicendum omnes ac ſingulos ad Chriſtum venire, credere, & in ſtatum ſalutis reſtitui, vel aliuſmodi donatio eſt concedenda. Nam *quicquid Pater mihi dat, ad me veniet.*

2. Ioh. 6. 39. Ioh. 6. 39. *Hæc eſt voluntas ejus qui miſit me, ut ex eo quod dedit mihi Pater nihil perdam.* Reſp. Remonſtr. *Agi hic de fidelibus, qui Chriſto donantur ſervandi*, ut liquet ex verſ. 40. Bene eſt, ſi vero verſ. 39. donatio ad ſalutem intelligatur, tum eadem etiam & verſu 37. neceſſariò eſt intelligenda. Poſterior enim ſententia rationis & probationis locum habet ad præcedentem illam, *quicquid ſcilicet datum fuerit venturum illud ad Chriſtum, & in eo permanſurum: quia hæc eſt voluntas Patris, ad cujus exequutionẽ deſcẽdit ille de cælo, ut quicquid datum fuerit non perdatur, ſed ad Chriſtum veniens reddatur ſalvum.* Analyſis hæc contextus indivulſi (Lectori per ſeſe ſatis obvia & manifeſta) apertè monſtrat eandem donationem utroque deſignari loco, niſi homo nimiùm vitioſam, aut quatuor terminorum æquivocationem perfe-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

ctiſſimæ Chriſti rationi tribuere quis audeat,

Si vero eadem ſit, tum fidem hominis antecedit, ſicut ante probavi: donatus venit & credit, non donandus. Et ſanè nihil apertius eſt in Scripturis, quam homines (vel omnes, vel aliquos) datos fuiſſe Chriſto, ad ſervandum antecedenter ad eorum fidem, nam *ideò venit filius hominis, ut ſervaret eos.* Matth. 18. 11. Luc. 19. 10. 1. Tim. 1. 15. Idque *ſecundum voluntatem Dei & Patris noſtri.* Gal. 1. 4.

Ioh. 10. 29. *Pater, qui eos mihi dedit.* Reſp. Remonſtr. *De-* 3.
dit fideles, verſ. 27. Fideles quidem illos eſſe, qui ab æter- *Ioh. 10. 29*
no dati fuerunt Chriſto, hoc extra controverſiam habetur. Sed an prius fideles oves fuerint, & vocem Chriſti audiverint, poſtea vero Chriſto donati, hoc ipſum quæſitum eſt. Affirmant Remonſtr. nos falſum eſſe credimus. 1. Quia ſimilitudinis ipſius ratio contrarium ſuadet. Oportet enim ut oves & in ovium naturâ, atque etiam (vel dono vel pretio) in poſſeſſione paſtoris exiſtant, imò aſſueſcant paululum ejus ductui priuſquam vocem ejus dignoſcere ſatis poſſunt. 2. Quia verſ. 26. 27. Ovilem ſtatum non conſequens aliquid, ſed antecedentem cauſam facit auditionis & fidei. 3. Quia verſ. 16. oves illas expreſſè vocat, quæ nondum credidiſſent.

Ioh. 17. 6. *Manifeſtum feci tuum nomen hominibus, quos* 4.
mihi dediſti. & verſ. 9. Rogo *pro ijs, quos mihi dediſti è mundo.* *Ioh. 17. 6.*
Reſp. Remonſtr. Agi hic de donatione ad functionem Apoſtolatus: totum caput eo tendere: & utut ſit, Apoſtolos hos non fuiſſe Chriſto datos, niſi quia fideles, quia erant probi ac ſinceri Iudæi, credentes in Chriſtum venturum. Effugium novum & planè ineptum. Novum dico, quia neminem interpretem ab ijs proferri poſſe credo (niſi vel Huberum vel Socinum eo titulo velint cohoneſtare) qui totum iſtud caput, aut etiam verſiculos illos propoſitos ad Apoſtolos reſtringendos eſſe docet. Vel Arminium ipſum hac in re adverſarium habent contradi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

centem expreſsè. Sic enim ille (in orat. de ſacerdot. Chriſti. p. 18.) *precatio quam Chriſtus pro ſe ipſo offert, & interceſſio quam pro fidelibus, utraque nobis à Iohanne cap. 17. luculentiſſimè deſcribitur. Continet enim illud caput perpetuum canonem precum & interceſſionis, quas Chriſtus Patri offert in cælis.*

Neque minus ineptum quam novum eſt commentum hoc totum. Nam 1. Si de Electione ad Apoſtolatum accipiantur illa verba, tum æquè ad Iudam pertinent, ac ad cæteros Apoſtolos: inter cæteros enim electus ille dicitur. Luc. 6. verſ. 13. 16. atque adeò de Iudâ dicebatur etiam *mundus eum odio habuit, quia non fuit ex mundo prout Chriſtus ipſe non fuit ex mundo.* verſ. 14. cum tamen alibi *fur* ac *diabolus*, & eo ipſo in loco *filius perditionis* ab ipſo Chriſto vocetur. 2. Si Apoſtoli ſoli per electos intelligantur, tum cæteri omnes erant ex mundo illo, qui odio habebat Chriſtum & Apoſtolos ejus: Hæc enim diſtributio eſt ipſius Chriſti. Sed beata Maria alijque multi tunc vivebant, qui neque Apoſtoli erant, neque tamen ex mundo illo. 3. Electio, de quâ Chriſtus hic loquitur, *ex mundo* facta dicitur, & ex illo immundo mundo, qui odio proſequutus eſt Chriſtum, non igitur ex probis & ſinceris Iudæis credentibus in Chriſtum venturum, quales hoſce diſcipulos deſcribunt nobis iſti. Neque tamen omnes Apoſtoli tam probi fuerant ante vocationem, ut in Iudâ patet, & in Mattheo publicano pluſquam probabile videtur, niſi fortè hanc probitatem intelligunt, quam Socinus ita anxiè ut præcedaneam conditionem ad electionem & vocationem inculcat. Præl. Theol. cap. 12. 4. Parallelus ille locus Ioh. 15. 16. 18. 19. ubi eadem habentur verba, apertiſſimum reddit, electionem iſtam ad palmites illos omnes extendendam eſſe, qui ſunt in Chriſto, verſ. 1. & ad amicos illos omnes pro quibus animā poſuit, verſ. 13. & quibus notam fecit voluntatem Patris: quamvis præcipuè ſpectentur Apoſtoli in locutionis utriuſque modo. 5. Chriſtus

ſtus ipſe apertè teſtatur, verſ.20. ſe non pro ſolis Apoſtolis orare, ſed pro alijs etiam credituris, quod eodem deſignat titulo verſ.24. *Pater quos dediſti mihi, velim ut ubi ſum ego & illi ſint mecum. Conteratur hic igitur cogitatio carnalis* (ut Auguſtini verbis utar) *atque diſpereat. De mundo ſibi à Patre dicit Filius datos homines: quibus alio loco dicitur, ego vos elegi de mundo.*

CAPUT V.

Argumentum tertium.

P. 93. 94 &c.

SCriptura docet Deum in quibuſdam ſuam miſericordiam, in quibuſdam juſtitiam oſtendere, Rom. 9.22.23. *idque ſecundum præſtitutum ſuum. Eph.* 1.5. *antecedenter* (puta) *ad fidem humanam.* Reſp. Remonſtrantes. 1. *Deum non oſtendere miſericordiam ſuam ad ſalutem, niſi in fidelibus, vel in ijs qui eum timent. Luc.* 1.50. Quod nec verè dicitur, nec ad propoſitum. Non verè, quia miſericordia ſumma & ſalutifera oſtenditur in Chriſto donando vel mittendo. Tit. 2.11. Epheſ. 1. 7.8.9. Miſericordia exercetur & oſtenditur ad ſalutem in ipſa converſione & fide donandâ. Sic Paulus de ſe ipſo, *Miſertus eſt mei Deus.* 1. Tim. 1.13. 16. de converſione ſuâ loquens. Neque etiam ad propoſitum quidquam facit, quoniam argumenti nervus in eo ponitur, quod Deus miſericordiam oſtendit *ſecundum præſtitutum ſuum.* Præſtituere autem miſericordiam potuit antequam fidem contemplabatur in homine, tametſi non oſtendiſſet aut exercuiſſet eam niſi in fidelibus. Illud utcunque vel à cæco percipitur, multos eſſe miſericordiæ ſalutaris effectus antequam ejus vaſa curſum hujus vitæ abſolverunt: illum tamen integrum abſolviſſe oportet eos (ex ſententiâ Remonſtrantium) qui fideles dicendi ſunt in electionis negotio, aut actus iſtius capaces habentur, ſicut antea monſtratũ fuit.

Deum miſericordiam ſuam declarare ſecundum præſtitutũ ſuum.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

2. Addunt Remonſtr. contextum ipſum Rom. 9. 22. 23.
Rom. 9. 22 23. evidenter indicare vaſa miſericordiæ eſſe *filios promiſſionis.* verſ. 8. Non igitur (inquam) ante promiſſionis fontem, id eſt, miſericordiam adhibitam, fideles exiſtebant: ſed vi & virtute miſericordis illius promiſſionis. Alias non video cur non æquè patres ac filij promiſſionis dicantur, quatenus ad ipſos applicatur: *qui ſunt ex vocante* verſ. 11. non igitur ex vocato aut ex opere vel actione ullâ, quæ propriè eſt vocati. Sed revera non dicuntur ipſi ex vocante eſſe, multo minus antequam miſericordiam conſequuti fuerint, fideles fuiſſe, ſed præſtitutum Dei manſiſſe firmum dicitur ex vocante, idque ex amore vel miſericordiâ oſtensâ erga Iſaacum antequam boni quicquam feciſſet, & per conſequens antequam credidiſſet. Verſus igitur undecimus Remonſtrantium cauſam non adjuvare, ſed planè jugulare videtur: ſicut & 16. & 18. *Non eſt currentis neque volentis, ſed miſerentis Dei: cujus vult miſeretur:* Adeò ut quid audeant affirmare, potius quam quid probare poſſent oſtendere eos voluiſſe putem, cum hujuſmodi teſtimonia in medium ſuſtinebant proferre. Verſ. 30. & 33. quid ad rem faciant, nondum adſequor: non enim juſtitiam & fiduciam quenquam aſſecutum dicent (ſpero) ſine miſericordiâ præcedente.

Parilitatem quandam inferre conantur ex verbis Apoſtoli inter electionem & reprobationem: ſed ſine ratione. Privilegium enim exemptionis & liberationis à pænâ meritâ, bene poteſt aliquibus concedi ſine ullâ ratione conditionis impellentis aut antecedentis, & pæna tamen cæteris infligi ratione ſui meriti. De expoſitione quam adferunt ad Apoſtoli obſcuranda verba Eph. 1. 5. dictum fuit antea in argumento primo.

CAP.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

CAPUT VI.

Argumentum quartum.

P. 95. &c.

Quoſcunque Deus ad ſalutem elegit, eos decrevit quoque certis medijs eo tendentibus ad ſalutem perducere, nempe per S. Evangelij prædicationem vocare, & per Spiritum ſuum trahere, ut verâ fide ad Chriſtum veniant. Rom. 8.30. Act. 13.48. Tit. 1.1. Hæc autem media non communicat Deus omnibus, non omnibus dat Verbum audiendum, non omnes verbum audientes ita trahit per Spiritum ut veniant: non omnes igitur, ſed certos aliquos hominis elegit ad ſalutem: id eſt, non æqualiter voluit ſalutem omnium, ſed quorundam ſingulari quadam ratione, idque antequam eos ut fideles contemplari potuit.

Media ad ſalutem non conferri omnibus.

Remonſtrantes hic poſt oratiunculam quandam habitam de hujus argumenti naturâ, reſpondent imprimis ad propoſitionem, *ſyncerè negando, Deum quos ad ſalutem elegit decreviſſe etiam per Verbum & Spiritum ita trahere, ut veniant ad Chriſtum, ſi hoc abſolutè intelligatur.* Verum tamen eſſe quod ab ijs tam ſyncerè negatur, exinde patet. 1. Quia ſpirituales omnes benedictiones ab electione fluunt. Eph. 1. 3. 4. ubi etiam obſervandum eſt Remonſtrantes (p.114.) verba illa verſ. 4. *ut ſimus ſancti & inculpati* de electione ad ſalutem & gloriam interpretari: quo poſito, neceſſariò ſequi videtur, omnem ſpiritualem benedictionem ac proinde vocationem ipſam & converſionem ab electione ad ſalutem pendere. 2. Patefactio myſterij voluntatis Eph. 1.9. & ipſa κλήρωσις ſortitio vel vocatio verſ. 11. etiam ab illâ Prædeſtinatione indicatur fluere, quæ eſt hominum ſingularium (qui priores ſperaverant in Chriſtum) & ad ſalutem vel gloriam *ad laudem gloriæ Dei*, in hæreditate & redemptione obtinenda perfecta (verſ. 12. 14.) 3. Vocatio nihil aliud eſt quam electionis executio, unde eſt quod

vocati dicuntur electi, & vocatio electio. 1. Cor.1.26.27. *Cernitis vocationem veſtram*: ſtultos *elegit*, infirmos *elegit*, ignobiles *elegit*; ubi etiam annotandum eſt electionem ſingularium hominum eamque comparativam deſignari ab Apoſtolo, *non multos ſapientes, non multos potentes, non multos nobiles, ſed, &c.* atque adeò cauſam propriam vocationis efficacis ad electionē illam referri ab Apoſtolo, quam Chriſtus εὐδοκίαν vel beneplacitum Patris appellat, cum ejuſdem rei eandem inſtituit reſolutionem, Matth. 11. 26. 4. Vocatio eſt eorum quos Deus προητοίμασεν εἰς δόξαν ante præparaverat ad gloriam (Rom. 9. 23. 24.) 5. Eliguntur homines ab initio (vel à principio & primò) ad ſalutem per ſanctificationem & fidem habitam veritati, ad quæ poſtea vocat eos per Evangelium (2. Theſ. 2. 13.) 6. A Verbi ipſius & Spiritus naturâ, & uſu confirmari poteſt quod affirmamus. Verbum enim eſt ſemen illud regenerationis, quo Deus regenerat ſuos ad vitam æternam, idque illam ob cauſam, quia voluit. Iacob. 1. 18. 1. Pet. 1. 23. Spiritu verò obſignantur ijdem & arrhabonem accipiunt illius vitæ. Eph. 1. 13. 14. non igitur cogitare nobis licet operari Deum efficaciter per ſemen illud vitæ, ubi non conſtituit vitam eam communicare, aut etiam ſigillum illud imprimere & arrhabonem tradere, ubi nondum certò conſtituit utrum vitam daturus ſit nec ne. 7. Ex Remonſtrantium ſententiâ ſic argumentari licet. Iuſſiones, promiſſiones, comminationes, exhortationes, &c. quæ ad externam vocationem pertinent, veram ſemper voluntatem Dei ſignificant de converſione & ſalute eorum, erga quos adhibentur: ſic illi ubique inculcant. Ergo (inquam) neceſſe eſt ut non æquè Deus velit converſionem & ſalutem eorum, erga quos his medijs non utitur, ac eorum vult, quos omnibus his medijs urget, ut ad ipſum venire velint. 8. Ut planiſſimis Prophetæ verbis concludam, *Beatus quem eligis & facis appropinquare* (admoves vel adjun-

gis

gis tibi & Eccleſiæ) *ut inhabitet in atrijs tuis.* Pſalm 65. 5. Fons omnis boni ſalutaris eſt electio Dei ad beatitudinem, rivus illinc certiſſimè dimanans, eſt vocatio efficax, quâ facit Deus ut electi veniant ad ejus atria, id eſt, Eccleſiam.

Hactenus propoſitionem illam firmavimus quæ à Remonſtrantibus negatur: nunc operæpretium erit rationes illas audire, quibus illa negatio nititur. 1. *Quia vocatio illa, quæ per Evangelij prædicationem fit, conceditur etiam non electis.* Conceditur eodem modo quo ſolis lumen conceditur ijs qui cæci ſunt. Non eorum cauſa propriè communicatur illud lumen, ſed videntium: ipſos tamen extrinſecus verberat, & aliquo modo irradiat. Eodem planè modo in ſpirituali hâc illuminatione contingit, ut ad reprobos multos aliquo modo perveniat, quamvis ad electos propriè cum pertinet, tum etiam à Deo dirigitur. Reprobis etiam conceditur reſurrectio à mortuis: in èlectis tamen ab electione fluit, quod à Chriſto ſuſcitati ſunt ad vitam æternam, Ioh. 6. 39. Sed *media* (inquiunt) *præcedunt ordine ipſam fidem in Chriſtum, ergo aliam habent cauſam.* Sic etiam ordine ſimili præcedebat Chriſtum fides Abrahami, & gratia illa quâ tam ipſe, quam cæteri ex veteribus, in Meſſiam venturum credebant olim, numquid igitur neceſſariò etiam ſequitur aliam cauſam & fontem ſalutarem illam gratiam habuiſſe, quam Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum? Valet iſtic vetuſtiſſimum illud & veriſſimum effatum: Media præcedunt finem in executione, ſed finem ſequuntur in deſtinatione & intentione. Verè igitur à Suarezio Ieſuita dicitur (de Prædeſt. l. 1. c. 8. p. 22.) *Argumentatio ab effectu ad actum prædeſtinationis eſt ſophiſtica.*

2. *Si media fluunt ab electione reſpectu electorũ, tũ neceſſariò dicendũ eſt fluere eadem à reprobatione reſpectu reproborum.* Illiberare argumentũ, quo ab electione ad reprobationẽ diſcurritur. Reſurrectio fluit ab electione reſpectu electorũ, non

tamen

men à reprobatione propriè fluit, reſpectu reproborum. Illuminatio externa per Solem, fluit ab intentione viſionem eliciendi reſpectu videntium; non tamen ab intentione occæcandi fluit reſpectu cæcorum. Cum igitur conſequentia hæc nullam continet illationis vim, ſuperfluum foret ſubconſequentias illas examinare, quas eruere ſtudent ad invidiam ex radice hâc tam carioſa. Illud unum tamen expediendum eſt verbo, *ſi ſalus electorum tantum intendatur in vocatione, quid reprobi cum illis compellantur, admonentur, invitantur, illuminantur?* &c. 1. Dicant ipſi mihi cur ſolem Deus lucere facit ſuper animalia cæca? cur pluviam deſcendere facit in rupes? quod hic reſpondendum putant, id putent etiam dictum de vocatione non venturorum. 2. Compellari illos cum electis dico, quia ſimul cum illis agunt. Sic enim Deo viſum, cum hominibus humano more agere, non penitus illos in vocatione diſtinguens, qui humanis oculis non poſſunt diſcerni. Externa ſalutis media ſic diſpenſantur electis, ut ijs etiam externè communia fiant, qui externè ijdem ſunt cum electis. 3. Ideo etiam ex parte fit, ut electi, veri fideles, erudiantur exinde, dum cernunt alios, ejuſdem vocationis externæ participes, in peccato tamen relinqui, docentur enim ſub hoc exemplo, fidem non eſſe humanarum virium, non naturæ communis, ſed gratiæ divinæ ac peculiaris. Admonentur etiam quid ipſis quoque accidiſſet citra Dei miſericordiam ſpecialem. 4. Ipſi etiam vocati & non electi, per vocationem illam, ſæpè utiliores evadunt, tam ſocietatibus humanis, quam ipſi Eccleſiæ, in officijs externis. 5. Manifeſtatio etiam, & gratiæ divinæ, & reatus humani, eſt inter fines propoſitos.

Cur reprobis verbum prædicetur.

Iſtiuſmodi fuerunt rationes quibus Remonſtrantes moveri ſe dicunt ad propoſitionem illam negandam & ſimilis planè notæ ſunt reſponſiones illæ, quibus probationes ejuſdem declinare ſtudent. Ubi primarium ſibi locum vendi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

vendicat nobilis illa ſalutis noſtræ catena. Rom. 8. 29. *Rom.8.29.*
Quos prædeſtinavit imagini Filij ſui conformandos, eos & vocavit, &c. Aureus iſte locus fatalis eſt quaſi ſcopulus eorum omnium, qui electionis gratiam admittere nolunt; calcitrant contra ſtimulos, cum aciem ejus retundere ſtudent. Qui ceciderunt ad lapidem iſtum, confracti ſemper adhuc fuerunt, ſuper quem verò ceciderit eum prorſus diſſipavit. Videamus igitur quæ nova ſit illa ratio, vim & impetum ejus declinandi, quam præ cæteris omnibus eligendam iſti putant. *Eo*, nempe, *loco neque agi de hâc Prædeſtinatione ad ſalutem, neque de medijs de quibus jam eſt ſermo, ſed de Prædeſtinatione ac vocatione Fidelium ad crucem, & afflictiones, & per eas ad gloriam.* Huic interpretationi incrementum accedit a gloſsâ Iohannis Arnoldi defenſ. Arminij. p. 284. *Senſus loci eſt eos, quos Deus pro ſuis agnoſcit, credentes ſcilicet & Deum diligentes, prædeſtinatos eſſe ad conformitatem imaginis Filij Dei in cruce, & per crucem in gloriâ, eoſdemque ad eam conformitatem in cruce vocari, contrà judicium mundi ipſis maledicentis juſtificari, &c.* Ejuſdem ſententiæ eſt Catecheſis Socini cap. 10. Sed quam abortivus hic ſenſus degeneret ab aureâ veritate, diligentius hoc eſt per ſingula momenta diſpiciendum.

Catena ſalutis.

Non agi iſto loco de Prædeſtinatione ad crucem, ſed ad ſalutem.

1. Duo ſunt inter ſeſe diſtincta (verſ. 28.) afflictiones cum ſimilibus, & perſonæ circa quas ita verſantur, ut in bonum cedant. *Omnia cooperantur in bonum, ijs qui diligunt Deum.* Sequentia verò *ijs qui ex præſtituto ipſius vocati ſunt, &c.* manifeſtum eſt ad perſonarum deſcriptionem ſpectare, non ad afflictiones, & earum originem, ſicuti iſti volunt. 1.

2. Vox illa prima quæ in deſcriptione perſonarum habetur κλητοὶ, *vocati* nuſquam per totam Scripturam eo ſenſu legitur, ut afflictos directè deſignet, quaſi terminum actus denotati. De κλητοῖς θλιβομένοις *vocatis afflictis*, nulla fit mentio in tota Scriptura: ſed de κλητοῖς ἁγίοις, 2.

 vocatis

vocatis ſanctis, ubique. Rom. 1. 7. 1. Cor. 1. 2. &c. ubi ſemper objectum illud, ad quod vocantur, directè nihil aliud eſt quam gratia. 1. Theſ. 4. 7. & gloria. Eph. 1. 18. afflictio eſt accidentaria conditio ſola, non illud quod ſcopi rationem habet. 1. Pet. 5. 10. *Vocavit vos ad æternam gloriam pauliſper afflictos.*

3. Adjectum illud *ſecundum propoſitum* vel præſtitutum (κατὰ πρόθεσιν) vocationis illius & genus, & naturam, apertè ſatis demonſtrat. Quid enim Paulus hoc nomine deſignare ſolet ex alijs locis apparet. Eph. 1. 11. *In ipſo in ſortem adſciti ſumus poſtquam prædeſtinati ſumus ſecundum præſtitutum ejus, ut ſimus laudi gloriæ ipſius.* 2. Tim. 1. 9. *Servavit nos & vocavit vocatione ſanctâ, ex ſuo propoſito & gratiâ.* Rom. 9. 11. *Ut propoſitum Dei ſecundum electionem, ex vocante maneat.* Num quiſquam ita cæcutit, ut non videat propoſitum hoc ad gloriam & gratiam conſtanter ab Apoſtolo referri?

4. In catenæ ipſius initio primus ille annulus, vel prima particula, *quos enim præſcivit*, non obſcurè monſtrat, quò gradus illi tendunt. Probationis enim iſtiuſmodi vim continet; *omnia cooperantur in bonum vocatis ſecundum propoſitum: nam Deus hos antequam eſſent præſcivit, &c.* Quæ ratio invalida planè fuiſſet, ſi non ſalutem & gratiam, ſed afflictiones ſolas, tam vocatio illa, quam hæc præſcientia, ſpectaſſet. Afflictiones enim & perſequutiones quamplurimis (ex Rem. ſententia verè fidelibus) in lethalem cedunt offenſionem. Matth. 13. 21. Alienum etiam hoc afflictionis commentum à mente & ſententiâ illâ, quam Spiritus ſanctus, hac voce denotat, ut alij multi loci, ſic unus ille. 1. Pet. 1. 2. *Electis ex præcognitione Patris ad ſanctificationem Spiritus, &c:* liquidò ſatis oſtendit, ſicut & alter ille, Rom. 11. 2.

5. Ejuſdem annuli particula poſterior, *hos & prædeſtinavit*, & priorem explicat, & explicationem priorem confirmat etiam.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

etiam. Προόρισμος enim, vel *Prædeſtinatio*, propriè ſignificat præordinationem ad finem, vel ad aliud aliquid, ſub ratione finis & boni: finis enim & bonum convertuntur. Impropria valdè eſt illa ſignificatio, qua ad crucem & afflictiones aptatur, ut in ſeſe conſiderãtur. Poſiti revera dicimur ad hoc, ut afflictiones patiamur. 1. Theſ. 3. 3. Sed hoc non tam ad illas referri debet, quam ad gloriam, quo deducunt illæ, ut ſcilicet per multas afflictiones ingrediamur tandem in regnum Dei. Act. 14. 22. Cum igitur impropria & inuſitata ſit hæc prædeſtinationis acceptatio, & nulla ſit urgens ratio cur iſtic ab uſitato ſenſu diſcedamus, nimis abjectè de lectoribus ſentiunt, quorum credulitati tam dilutum interpretamentum obtrudunt.

Finis illius actus nullum ſcrupulum relinquit, *ut conformes fiant imagini Filij ſui: ut is ſit primogenitus inter multos fratres.* Conformitatem hanc non eſſe ad imaginem afflictionum Filij (quod tamen Remonſtrantes pro confeſſo habent) ſed ad imaginem gloriæ, id varijs probatur documentis. 1. Prędeſtinatio ad conformitatem imaginis Chriſti Filij una eademq; res eſt cum prædeſtinatione ad adoptionem Filiorum Dei per Chriſtum. Eph. 1. 5. Hoc deſcriptionis, & verborum affinitas, vel potius identitas, abundè ſatis indicat. Idcirco enim conformitas hæc potius *ad imaginem filij*, quam *ad filium* fieri dicitur, ut magis appareat quâ in re ponatur hæc ſimilitudo, videlicet in Filiatione. Sed hæc adoptio ad gloriam & dignitatem ſpectat, ergo & illa conformitas. 2. conformitas Filij quaſi annexam habet ſibi conformitatem hæreditatis, verſ. 17. *Si Filij ergo hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti.* Sed hæreditas ad gloriam pertinet: ergo & conformitas Filij. 3. Imaginem Filij quaſi verbis expreſſis de gloriâ expoſitam habemus ab eodem hoc Apoſtolo. 2. Cor. 3. 18. *In eandem imaginem transformamur, ex gloria in gloriam.* Sicut & Iohannes etiam Epiſt. 1. c. 3. v. 2. *Quum fa-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

ctus fuerit manifeſtus, *ſimiles ei*, vel in ſimilitudine ejus, *erimus*. 4. Declaratio illa ſubjuncta, *ut is ſit primogenitus inter multos fratres*, nihil aliud quam gloriam ſpirare videtur. Significant enim primogenituram Chriſti ex iſtâ conformitate elucere ſimul & illuſtrari. Hoc verò non ad afflictiones & crucem, ſed ad gloriam perpetuò in Scripturis ſacris refertur. Sic enim ad Coloſ. 1.18. *Et ipſe eſt caput corporis Eccleſiæ, qui eſt principium & primogenitus ex mortuis, ut ſit primarius in omnibus*. Primogenitura non pertinet ad ſtatum mortuorum vel afflictorum d ad eos qui ſunt ex mortuis, quemadmodum apertè etiam ad Philippenſ. 2. 9. ut afflictionum & humiliationis conſequens, non pars, memoratur, *quapropter etiam Deus eum in ſublimitatem ſummam extulit*, *ac donavit ei nomen quod eſt ſupra omne nomen*.

7. Eadem etiam vis eſt ſequentis illius annuli: *quos autem prædeſtinavit, hos & vocavit*. Nam 1. ſi detur illud, quod aſſumunt Remonſtrantes, afflictiones hic tam in Prædeſtinatione, quam etiam in Vocatione ſpectari, tamen analogiæ vi exinde ſequetur, ſicut ad crucem prius prædeſtinantur homines, quam vocantur, ſic etiam ad ſalutem prius eoſdem prædeſtinari, quam vocari, quod peſſundat planè Remonſtrantium defenſionē totam, quâ contendunt vocationem ordine antecedere prædeſtinationem illam, quæ eſt ad ſalutem. 2. Vocationem hanc talem eſſe docet, ut omnia ad bonum cooperari faciat, quod de afflictionibus nullo modo poteſt affirmari.

8. Ejuſdem valoris eſt quod ſequitur, *quos vocavit, eos & juſtificavit*. Nam 1. multos vocavit ad crucem, quos tamen non juſtificavit. Quod & uſus communis, vel experientia quotidiana confirmat, & exemplum illud divitis Mar. 10. 31. quem vocavit Chriſtus Salvator noſter, ut ſublatâ cruce ſequeretur ipſum, tamen non juſtificavit. Abijt enim contriſtatus, quia habuit poſſeſſiones multas. 2. Nuſ-

quam

quam in Teſtamento Novo ſic adhibetur juſtificationis nomen, quum abſolutè ſumitur, & actum Dei notat, ut ad judicia mundanorum hominum referatur ſola, ſine ullo reſpectu ad ſententiam illam divinam, qua Deus homines liberat ab ira ſua adverſus peccatores revelanda. Cum igitur nec vocis uſus fert, nec ulla ratio cogit ut *judicium mundi maledicentis* in iſto juſtificationis actu, vel ſolum vel etiam præcipuè ſpectetur, ab audaci ſanè temeritate non poſſunt Remonſtrantes excuſari, qui tam crudo commento ſententiam apertam detorquere ſtudent ad opinionem ſuam privatam.

Neque minus valet quod ultimum locum obtinet, *quos* 9.
autem juſtificavit eos etiam glorificavit. Nam 1. in iſtâ clauſulâ certiores nos facit Apoſtolus, totam hanc ſeriem nihil aliud ſpectare, quam ad glorificationem eorum omnium probandam, qui vocati ſunt, ſecundum propoſitum. 2. Manifeſtò ſtatuit juſtificatos omnes adipiſci gloriam, atque adeò juſtificationem cauſæ à mundanorum hominum calumnijs non iſtic ſolam intelligi: quia multi quoad cauſam, & perpeſſiones ex illâ pendentes, juſtificantur à Deo, qui tamen ad gloriam nunquam aſcendunt.

Per præſcitos, prædeſtinatos, vocatos, & juſtificatos, 10.
hoc in loco, illi ſoli debent intelligi, pro quibus Chriſtus ita traditus fuit, ut cum ipſo etiam omnia donata ſint ijs. verſ. 32. Sed tales non ſunt omnes illi qui ad crucem vocantur: ergo nec illi omnes prædeſtinati, vocati, juſtificati & glorificati ſunt. Ubi etiam obſervandum eſt, argumentum hoc inſtitui *à minori affirmativè*, id eſt, ſi quod minus faciendum videbatur, factum eſt pro nobis, ergo etiam quod magis faciendum videtur, priore illo ſuppoſito. Sed indignum omninò videtur, ut Chriſti mors in comparationem talem adducatur, cum vocatione ad crucem & ad afflictiones.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

11. Huc etiam referri debet, quod eſt verſ. 33. 34. de electis Dei, & à Deo juſtificatis, nec non interceſſione Chriſti ſervatis. Cum enim hæc non conveniant niſi verè ſalutis hæredibus, & ad ſalutem electis (ſicut Nicolaus ipſe fateri videtur p. 137.) & tamen ijſdem omnibus tribuuntur, quibus vocatio, prædeſtinatio, & juſtificatio præcedens; ratio nulla patitur, præcedentes illos titulos ad crucem & ad afflictiones reſtringi.

12. Ut finis tandem ponatur infinitæ materiæ, 1. Cum prædeſtinationem hanc ad afflictiones eſſe dicunt, vel meras & nudas intelligunt perpeſſiones, vel ſimul etiam & ferendi modum, & victoriæ certitudinem, & coronam ſequentem includunt. Si meram crucem, tum conformitatem ad imaginem Chriſti in eo collocant, quod perituris multis apoſtatis accidit: ijs enim perſequutionem oriri ſæpè propter ſermonem, vel propter Chriſtum, Chriſtus ipſe docet. Matth. 13. 21. Si verò gratiam, victoriam, & coronam, etiam conjunctim intelligi putent, tum in ſententiam illam concedunt, quam declinare ſtudent, de Electione ad ſalutem & medijs connexis. 2. Cum vocatos iſtos ad gloriam prædeſtinari per afflictiones Remonſtrantes ipſi concedunt, vel abſolutè hoc fieri intelligunt, vel ex conditione. Si abſolutè, tum cauſam tradunt: ſi verò ex conditione ſuſpendant, tum, 1. Apoſtolum corrigere videntur, qui connexiones has omnes neceſſarias facit. 2. Nihil majus afflictis tribuunt, quam non afflictis. Quilibet enim etiam afflictione remotâ, ſi fidei & perſeverantiæ conditionem adferre poſſit, ad ſalutem & gloriam apertum habet aditum. Quid igitur opus fuit ut tanto conatu, per tot pericula, tam recepta ſententia probetur. Atque ita hunc locum intelligendum eſſe Arminius ipſe expreſsè dicit. Diſp. privat. 40. theſ. ult.

Satis jam Dei gratiâ ſtatuminatum opinor principalem *Act. 13. 48.* illum & nervoſum locum: cui ſimilis planè ac ſuppar habetur

betur Act. 13. 48. *Crediderunt quotquot erant ad ſalutem ordinati.* Ubi *reſpicere Lucam* (dicunt) *non aliquam præordinationem aut prædeſtinationem Dei ad ſalutem, ſed præſentem conditionem, diſpoſitionem, habilitatem, ſeu aptitudinem gentilium, de quibus loquitur, quâ Dei gratiâ præditi erant, ut ad vitam æternam pervenirent, ſic verbum Dei audientes, ut de eo gauderent & ſermonem Dei laudibus extollerent: unde opponuntur hi incompoſitis illis Iudæis, qui ſermonem Dei repellebant, & ſe ipſos indignos decernebant vitâ æternâ. verſ.* 46. Hujus tam luculenti loci nefariam depravationem acceptam ferimus infauſto Socino, cujus omninò ſententiam & ferè verba ſequuntur Remonſtrantes: ut videre eſt lib. 4. cap. 13. de Chriſto Servatore. & Catech. cap. 10. Sed facilè erit hos opinionum fumos difflare.

1. Vox illa quam adhibet iſtic Evangeliſtica, τεταγμένοι, *Quid ſignificet vox τεταγμένοι.*
nuſquam eo ſenſu per totam Scripturam ſacram, aut etiam in ullo autore Græco, legitur, ut internam qualitatem deſignet. Qui Græcam linguam vel à limine ſalutarunt, ma-
gnam differentiam intelligunt eſſe, inter τάσσεσθαι & δια- 1.
τίθεσθαι. 2. Tam Arabica Iunij verſio, quam Tremellij 2.
Syra, in ordinationem & poſitionem divinam conſen-
tiunt. 3. Uſitatus hujus verbi ſenſus in Teſtamento novo 3.
conſtitutionem & electionem extrinſecam notat. *Quæ ſunt poteſtates, ſunt à Deo ordinatæ.* Rom. 13. 1. *Ordinarunt ipſi diem.* Act. 28. 23. &c. non omnia deſcribam exempla, ſed unus ille tam inſignis locus inſtar omnium erit. Act. 22. 10. 14. qui vocis hujus rationem luculenter nobis exponit. Promittit ibi Deus dicendum eſſe Paulo Damaſci quid *ordinatum* (τέτακται) fuit illi ut faciat, & verſ. 14. dicitur ipſi ad Anania quid *conſtitutum*, vel *deſignatum* illi fuit (προεχειρίσατο) ubi divinitus quaſi jubemur, *ordinationem* eodem accipere ſenſu cum *deſignatione* aut electione di-
vinâ. 4. Chryſoſtomus ipſe, qui optimè intelligebat vo- 4.
cem Græcam, ordinatos hos interpretatur ἀφωρισμένους τῷ θεῷ

θεῷ, id eſt, ut Eraſmus vertit, *præfinitos à Deo*: à quo etiam
Eraſmus ipſe mutuatus videtur genuinam illam hujus lo-
ci paraphraſin, quam ſic format; *crediderunt ex gentibus,
non quidem omnes, ſed quotquot divina miſericordia deſtinave-
rat ad vitam æternam: ad quam nemo pertingit, niſi a Deo vo-*
5. *catus & electus.* 5. Auguſtanæ Confeſſionis Theologi
(quibuſcum conſenſum intimum in his articulis Remon-
ſtrantes oſtentant) non aliter hunc locum quam de præ-
deſtinatione divinâ interpretari ſolent, imò in ipſo Con-
cordiæ libro hæc ipſiſſima verba ad electionem appli-
cantur æternam: *Prædeſtinatione æternâ noſtra ſalus ita fun-
data eſt, ut etiam inferorum portæ adverſus eam prævalere ne-
queant. Scriptum eſt enim, oves meas nemo rapiet de manu meâ.
Et alibi: Crediderunt quotquot ad vitam æternam erant ordina-*
6. *ti.* Hæc Concordiæ formula. 6. Diſpoſitio illa, quæ eſt
internæ qualitatis non ſolet (neque ſine ὑπερβολικωτάτῃ
καταχρήσει poteſt) ad præmium referri. Ad habitum, ad
formam, ad actionem aliquam, diſponi dicuntur tam ho-
mines quam alia qualitatum iſtiuſmodi ſubjecta: non ad
mercedem, aut præmium. Minus igitur conſentaneum
videtur, ut hujuſmodi affectus ad vitam æternam refera-
tur, ab ijs preſertim qui præmij rationem in illâ vitâ præ-
7 cipuam haberi contendunt. 7. Æquè etiam alienum vide-
tur, ut prius ad vitam diſpoſitos eos fuiſſe dicatur, & po-
ſtea ad fidem, cum fides ipſa (ſi ulli doti convenit hæc
appellatio) primaria ſit diſpoſitio ad vitam æternam. Sic
enim ad præmium prius diſpoſiti eſſent, quam ad diſpo-
ſitionem, quæ ducit ad illud. Quam abſurdum quam
incongruum, quam ἀκατάληπτον clamare ſolent Remon-
ſtrantes, cum homines dicimus ad vitam prius eligi &
diſponi à Deo, quam ad fidem. Numquid Deo hoc au-
8. ferunt, ut homini tribuant? 8. Diſpoſitio intima ad vitam
eſt conditio ad vitam. Si igitur diſpoſitio talis ante fidem
exiſtat, tum & præter, & ante fidem, certa datur con-
ditio

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

ditio Teſtamenti ſeu fœderis novi. 9. Cum diſpoſitio- 9.
nem ad vitam ſtatuant in homine nondum credente,
hanc illis ineſſe dicere neceſſe habent, qui vitam deſide-
rant, ambiunt, & in mandatis divinis, prout poſſunt, am-
bulant ad eandem conſequendam. Sed non omnes tales
credere (quod tamen ſtatuendum Remonſtrantibus eſt
ex hoc loco) vel ex juvene illo patet, qui ad Chriſtum
flexis genubus acceſſit, nihil aliud quærens, niſi vitam, ſic
etiam præcepta Dei colens, ut Chriſto aliquo modo dica-
tur eo nomine charus. Marc. 10. 17. 21. Tam bene certè diſ-
poſitus fuiſſe videtur ad vitam, quam quiſquam ferè non
credens poteſt: non tamen credidit ille, ſed mæſtus diſ-
ceſſit. 10. Non diſpoſitionem præſentem, ſed præviam 10.
ordinationem hic denotari verbum uſurpatum oſtendit.
Non enim tantum præteriti, ut appellant, ſed & pluſquam
perfecti temporis eſt *τεταγμένοι ἦσαν ordinati fuerant* (ſic nam-
que propriè vox illa vertenda, quamvis *Erant* ſæpè eodem,
& ſenſu, & tempore, ſolet adhiberi) ordinationem igitur
notat quæ diſpoſitionem præſentem longè fuerat ante-
greſſa, æternam ſcilicet Dei prædeſtinationem. 11. Gau- 11.
dere de verbo & laudibus illud extollere, non ſemper fi-
dem veram conſequentem habet (quod tamen de ordi-
natis ad vitam textus hic affirmat) nam populus totus pe-
pendiſſe dicitur à Chriſto cum ipſum audiebat, Luc. 19. 48.
& de factis dictiſque ejus tribuiſſe laudem Deo. Luc. 18.
43. non totus tamen credebat. Imò gaudium ſyncerum ex
fide, quaſi fructus, exſurgit, non antecedit eam: gaudium
igitur non poteſt intelligi per diſpoſitionem iſtam ad vi-
tam æternam. 12. Reſtrictionem continent hæc verba, 12.
& differentiam cauſalem. Ratio enim cur credebant,
& cauſa primaria notatur, eadem ratione quâ Chriſtus
ipſe dixit: *Omnes quos dedit mihi Pater venient ad me.* Nec
tenori Scripturæ convenit, ut adæquata ratio fidei à præ-
via hominis diſpoſitione petatur, ſicut his in locis petitur

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

Commēt. ad hunc locum.

ab ordinatione divinâ, ut graviſſimis igitur D. Calvini verbis concludam: *Ridiculum cavillum eſt referre hoc ad credentium affectum, quaſi Euangelium receperint qui animis ritè diſpoſiti erant. Nam ordinatio iſta non niſi de æterno Dei conſilio poteſt intelligi, nec dicit Lucas fuiſſe ad fidem ordinatos, ſed ad vitam: quia Deus ſuos ad vitæ æternæ hæreditatem prædeſtinat. Docet autem hic locus fidem ab electione Dei pendere.*

Titi 1.1.
Quomodo fides dicatur Electorum.

Tertius eſt locus (Tit. 1.1.) qui prioribus illis optimè concinere videtur, ubi *Fides* dicitur *Electorum Dei* eſſe. Cum enim Paulus Apoſtoli titulum ſibimet aſſumſiſſet, id eſt miſſi, oſtendere etiam voluit ad quid fuit miſſus, vel ſecundum quid conſtitutus fuit Apoſtolus: addit igitur ſe eſſe *Apoſtolum ſecundum fidem electorum Dei*, vel *circa fidem electorum* (ſic enim κατὰ poteſt exponi, ut οἱ καθ' ὑπεροχὴν νόμοι, *leges circa exceſſum*) id eſt, ad fidem illam & ingenerandam & confirmandam, ad quam vocantur Electi à Deo, &c. Hanc veram eſſe Apoſtoli mentem ex collatione ſimilium locorum apparet. Cum ſcopum & finem totius apoſtolatus explicare nobis voluit idem ipſe Paulus Eph. 4. non aliò enim ſpectare docet, quam ad ædificationem corporis Chriſti, donec perveniamus nos omnes *in unitatem fidei & agnitionis Filij Dei.* Eodem planè modo, quo hic ad Titum, *ſecundum fidem Electorum Dei & agnitionem veritatis.* Quod ibi fuit *corpus Chriſti*, hic ſunt, *electi Dei:* quod ibi *unitas fidei*, hic *fides* eſt: quod ibi *agnitio Filij Dei,* hic *agnitio* dicitur *veritatis:* quod ibi *ad*, id hic *ſecundum* notat. Cum itidem idem declarandum ipſi fuit de ſeſe. Rom. 1. 5. eandem adfert ſententiæ formam; *Per quem accepimus gratiam & apoſtolatum ad obedientiam fidei inter omnes gentes, pro ipſius nomine.* Neque multum diſtat quod 2. Tim. 1. 1. dicit, *Apoſtolus Ieſu Chriſti per voluntatem Dei, ſecundum promiſſionem vitæ, quæ eſt in Chriſto Ieſu:* id eſt, ad patefaciendam & perficiendam promiſſionem Dei, qui promiſit nobis vitā in Chriſto Ieſu, in quo nos elegit ante mundi con-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

conſtitutionem. Hæc igitur fides donativum illud gratuitum eſt, quod per Evangelium communicat. Neque omnibus datur theſaurus iſte; *Fides non eſt omnium*. 2. Theſ. 3. 2. ſed peculiaris eſt ſelectis quibuſdam, *fides electorum.* Ex iſtoc igitur teſtimonio cum optimâ ratione deduci poteſt. 1. Proprium ſcopum eſſe Dei in mittendis Apoſtolis, & ſalutis medijs fidem veram ingenerare ac promovere. 2. Fidem iſtam per talia media donari quibuſdam ex dilectione ſpeciali, id eſt, electionis virtute.

Excipiunt hic Remonſtrantes. 1. *Per fidem hic intelligi doctrinam fidei, quam Apoſtolus ibidem appellat cognitionem veritatis. Hujus autem doctrinæ ſic fuit Apoſtolus Paulus, ut eam electis, id eſt, ſanctis & credentibus annunciaret, ſicut Iudæ. 3. Fides dicitur tradita ſanctis ſeu electis, & ab ijs recepta fuit. 2. Poſſe etiam per fidem electorum intelligi fidem, quam electi habent, ſine cujus reſpectu nemo electus eſt.*

Sed. 1. Fides hæc non dicitur in textu *cognitio*, ſed *agnitio* veritatis. Vox eſt, ἐπίγνωσις, cujus propria ſignificatio non debet iſtic negligi ubi emphaſin habet & vim. 2. Si agnitio hæc veritatis una eademque ſit res cum fide illa, tum Fides hoc in loco non ſignificat doctrinã. Diſcrimen enim non parvum eſt inter *agnitionem veritatis* & *veritatem* ipſam. Veritas eſt doctrina fidei, ſed agnitio veritatis eſt receptio illius doctrinæ, id eſt, fidei donum in homine. 3. quid ſibi volunt non ſatis capio, cum Apoſtoli officium eſſe dicunt doctrinam iſtam fidei annunciare fidelibus. Nam 1. Apoſtoli præcipuum fuit munus & cura *evangelizare non ubi nominatus fuit Chriſtus, ne ſuper alienum fundamentum ædificaret, ſed quibus non fuit annunciatum de eo.* Non ſolis igitur nec præcipuè fidelibus prædicabat Apoſtolus. Si verò ideò hoc dictum putēt quia fidelibus etiam prædicabat, tum nullam relinquunt cauſam, cur ut proprium quiddam tribuatur id fidelibus, quod æquè ſaltem (ſi non magis) eſt alijs commune.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

2. Cum electionem verſari circa fideles dicunt, ſic id intelligi volunt, ut prius fideles illi ſint, quam electi. Si eandem iſtic rationem ſequantur, tum prius homines fideles fuiſſe docent, quam fidei doctrinam habuerint ſibi annunciatam.

4. Confundunt ea quæ diſtinguenda ſunt, cum non re tantum, ſed & ratione eoſdem electos & ſanctos faciunt. Electi ſunt homines ut fiant ſancti, Eph. 1. 5. 1. Pet. 1. 2. Prius igitur eligi eos neceſſe eſt quam audire poſſint ſancti.

5. Fides hæc eſt obedientia fidei, ſicut Paulus ipſe interpretatur. Rom. 1. 5. *ſecundum fidem Electorum* igitur, eſt ſecundum obedientiam illam fidei, quâ electi ſubjiciuntur Deo. 6. Fides hæc non poteſt dici electorum, *quia ſine ejus reſpectu nemo eſt electus* (quod alterum eſt Remonſtrantium effugium) quia tum. 1. non tam propriè diceretur Fides Electorum: electio enim ſequeretur fidem non fides illam: electio eſſet fidelium, vel potius ex fide, non fides electorum: electi non eſſent ſubjectum fidei, & natura prius, ſed ex adverſo. 2. Illa ſola fides intelligeretur, quæ eſt Electionis conditio prærequiſita, id eſt, conſummata fidei obedientia, quæ tantum habetur in fine vitæ: ſed hæc fides non ita reſtricta eſt: denotat enim præſentem ſtatum, ſicut ex verbis appoſitis liquet, *agnitio, pietas, ad ſpem vitæ*, & ex eo maximè quod Titum ipſum Filium ſuum jam tum fuiſſe dicit in fide illâ. Hactenus confirmatam dedi partem primam argumenti tertij. Ad aſſumptionem per duplicem diſtinctionem reſpondent. 1. *Decretum non dandi media non fluere à voluntate Dei abſoluta ſed juſto ejus judicio adverſus indignos tali beneficio.* 2. *Deum trahere omnes ſufficienter, licet non efficaciter quoad eventum.* De tractione divinâ, & converſionis modo, in quarto articulo eſt diſquirendum. De causâ decreti non hic agendum, ſed in alterâ parte quæſtionis hujus primæ. Satis erit in præſenti monuiſſe, quod cum omnes indigni

ſint

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

ſint iſtis beneficijs, & aliquibus tamen (ijſque ſæpè indignioribus) conceduntur ſalutis media, imo efficacia redduntur, cæteris in peccato relictis, & hoc fiat ex firmo decreto, idque ante finem vitæ, vel exhinc neceſſariò, ſequitur, diſcretionem primam ſalvandorum à cæteris ab electione & gratiâ ſpeciali ſuum ortum habere.

CAPUT VII.

Argumentum quintum.

P. 101.

MEntio frequens in Scripturâ fit Libri cujuſdam qui dicitur *Liber Dei, Viventium, Vitæ,* cui quidam, non omnes, dicuntur *inſcribi.* Hanc inſcriptionem nihil aliud eſſe aſſumitur, quam ordinationem ad ſalutem per immutabile Dei decretum: atque adeò quoſdam homines ex ſingulari favore & privilegio ad vitam ordinari. Huc afferuntur Scripturæ loci quidam. Phil. 4. 3. Apoc. 21. 27. Luc. 10. 20. Quod argumentum imprimis adverſus generalem illam Prædeſtinationem pugnat, quam ſolam Remonſtrantes poſuiſſe videbantur in theſi: ſed valet etiam contra ſpecialem electionẽ ex fide prævisa, quam ex priore deducunt. Sic enim res ipſa docet, milites qui bello, vel Senatores, qui concilio publico, aut etiam palatio, conſcribi ſolebant, & quicunque ad aliquod officium, vel dignitatem ordinati, quaſi in matriculâ ſcribuntur, non prius in eo munere ſolent exerceri, & poſtea conſcribi, ſed prius conſcribi, & poſt ad exercitium ipſum vocari. Eodem planè modo ordinantur primo electi in decreto divino ad locum & officium ſalvandorum, poſtea vocantur ad muneris functionem & fruitionem dignitatis aſſcriptæ. Videamus igitur quid à Remonſtrantibus in contrarium affertur. 1. *Negant libro vitæ inſcriptum eſſe nihil aliud ſignificare quam Dei æterno, & immutabili conſilio ad ſa-*

Quid ſit inſcribi Libro Dei, Viventium, & Vitæ. Phil. 4. 3. Apoc. 21. 27. Luc. 10. 20.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

lutem ordinatum eſſe. 2. *Affirmant dupliciter in S. Scripturâ de inſcribendo vitæ Libro agi: nempe aliquando de inſcriptione libri vitæ, cujus oppoſitum eſt deleri ex eo. Apoc.* 3. 5. & 22. 19. *quòd nihil aliud eſt quam ſecundum præſentem fidei, juſtitiæ, & obedientiæ conditionem probum & Filium Dei haberi. Luc.* 10. 20. 21. *Alteram vero inſcriptionem deletionem non habere oppoſitam, & ſignificare electionem ad vitam æternam ſecundum Dei æternum & immutabile conſilium: hanc vero non ad alios pertinere quam ad perſeverantes in fide, quâ tales. Pſalm* 69. 29. *Apoc.* 13. 8. & 21. 27.

Sed 1. diſtinctionem iſtam ſic formarunt, ut obſcuret magis propoſitum, quam illuſtret *inſcriptio oppoſita deletioni, & inſcriptio non oppoſita.* Vetat logica, & ratio recta, diſtributionem conſtituere ex contradicentibus; *nam contradicentia ſunt omnia*, ut in Scholis dicitur, & æquè poſſunt ad quodlibet aptari. Præterea temerè dicitur & inconſideratè, quandam inſcriptionem opponi deletioni, quandam verò minimè: quaſi dicerent quoddam calidum opponi frigido, & quoddam non opponi. Quæ ratione & re diſſentiunt, ita ut non poſſint eidem, ſecundum idem, ad idem, & eodem tempore, attribui, ea omnia ſunt verè oppoſita: ſed non dicent ſpero poſteriorem illam inſcriptionem in librum cum deletione ex eodem conſiſtere poſſe ſimul: non minus igitur deletioni opponitur ſecunda hæc inſcriptio, quam altera; imò verò multo magis opponitur. Nam deletionem excludit, non in præſentiâ tantum, ut prior, ſed in æternum. Nec minoris eſt vitij quod argumentum illud non planè notant, in quo differentia harum inſcriptionum conſiſtit, an ſcilicet in ſcribente, vel in libro, vel in modo, vel etiam in fine ſcriptionis ponatur. 2. Prior illa inſcriptio quam per *probum & Dei Filium haberi* definiunt, indeſinitè nimis ponitur. Habetur quis talis vel ab hominibus, vel ab ipſo Deo: ab hominibus ex regulâ charitatis, ex effectis, & indicijs in

oculos

oculos incurrentibus. Multi ſic habentur ab hominibus, qui tamen à Deo non probantur. Hinc diſtinctio ſolet à Theologis quibuſdam adhiberi, inter *librum eccleſiæ, & librum Dei, communem & ſingularem, vocationis & electionis*, inter inſcriptionem etiam *apparentem & veram, ſimplicem & ſecundum quid*, &c. Sed nihil horum à Remonſtrantibus probari videtur. Debuiſſent igitur diſtinctius quod voluiſſent explicare. 3. In eo quod negant inſcribi in librum vitæ, eſſe prædeſtinari ad vitam, non noſtræ ſolius Confeſſionis Theologos, ſed Auguſtanos etiam, imò Wittenbergenſes ipſos adverſarios habent. Sic enim Hunnius: *Eſt extra diſceptationis aleam poſitum, inſcriptum eſſe in librum vitæ, idem eſſe quod ad vitam electum & prædeſtinatum eſſe: unde & Formula Concordiæ pro iiſdem planè habet eos qui electi ſunt, & quorum nomina ſcripta ſunt in libro vitæ.* *Quæſt. & Reſp. de Prædeſt. pag. 403.* 4. Cum ambiguè poſuerunt reſponſum totum, ad refutationē ejus demonſtratio requiritur generalis, quæ nullam elabendi rimam admittit. Hanc verò ſic inſtituere conabor. Liber vitæ eſt propriè apud Deum non inter homines. Inſcriptio eſt actio Dei, non hominis. Eſt vel decretum, vel ex decreto manans. Decretum hoc circa ſingulares & certos homines verſatur: nemo enim milites vel Senatores conſcriptos unquam dixit, eo quod ſtatuta ſit conditio, quæ ad munus iſtiuſmodi poſtulatur: conſtitutio talis non dicitur inſcriptio, ſed certorum hominum electio & accenſio certa. Inſcriptio igitur in Libro vitæ eſt certorum hominum adſcriptio in mente divinâ ad vitam. Iam verò adſcriptio hæc vel apparens eſt, vel vera. De apparente non nunc quæritur: veram intelligunt Remonſtrantes (ni fallor) in utraque diſtinctionis parte. Vera hæc inſcriptio ſeu adſcriptio ad vitam, vel eſt abſoluta, vel conditionata: ſi conditionatam dicant, ſaltem primam illam; tum vel ipſa inſcriptio ex conditione ſuſpenditur, vel vita ſola ad quam fit. Si ipſa inſcriptio, tum à principio non exiſtit,

non

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

non verè, & re ipsâ, vel actu, facta eſt. Quod enim ex conditione pendet, ante conditionem illam impletam non fit. *Conditio propriè* (ajunt Iuriſconſulti) *eſt quando aliquid confertur in caſum dubium, qui poteſt ſe habere ad eſſe & non eſſe, & ſic in futurum eventum. Ex conditionali ſtipulatione tantùm ſpes eſt debitum iri*, ut Iuſtinianus tradit. Si inſcriptionem dicant abſolutam, ſed vitam conditionatam, tum disjungunt ea quæ Deus conjunxit, & adjudicationem illam vitæ quæ fideli fit in ſententiâ juſtificationis, æquè incertam faciunt ac futurum quodque contingens. Si abſoluta ſit, tum vel ab æterno, vel in tempore facta: vel firma & immota, vel ex occaſione mutabilis: ſi temporaria & mutabilis, tum nec Deo, nec Libro, propriè convenit ea inſcriptio. *Liber* enim & *Inſcriptio* firmitatem & conſtantiam ſummam arguunt, & *Liber* ac *Inſcriptio Dei*, æternitatem illius firmitatis in decreto & notitiâ divinâ manifeſtò deſignant. Quam evaſionem hic meditari poſſint, id ipſis & Lectori cogitandum relinquo. 5. Quod oppoſitionem inculcant inter Inſcriptionem alteram, & Deletionem contrariam, hoc de oppoſitione negante & contradicente benè poteſt intelligi: ita ut deleri ex libro nihil aliud ſignificet, quam non ſcribi in eo, ſicut expreſ-
Pſal 69.29 ſis verbis à Davide videtur exponi, Pſalm 69.29. *Deleantur ex libro vitæ, id eſt, cum juſtis non conſcribantur*, vel non accenſeantur juſtis: & ſatis etiam indicatur ijs ipſis locis,
Apoc. 3.5. quæ à Remonſtrantibus hic afferuntur, Apoc. 3.5. ubi *Deleri de libro vitæ*, nihil aliud eſſe proximis verbis monſtratur, quam *non agnoſci à Chriſto coram Patre & Angelis ejus.*
Apoc.22.19. Apoc.22.19. eodem modo debet explicari, ſicut enim *adjectio plagarum* verſ.18. non ſignificat eos, quibus minitatur plagas illas antea ſenſiſſe, & ex adjectione ad librum illum factâ graviores adhuc perpeſſuros; ſic *ablatio partis ex libro vitæ* verſ.19. non probat eos partem aut ſortem in illo libro poſſediſſe priùs, quam ultrà non retinebunt. Hoc

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

namque contradictionem ſecum inferret, ut ijdem homines, eodem tempore (eoſdem enim in utrâque parte obteſtatur Apoſtolus) & plagas illas, & partem iſtam haberent: & actualem etiam poſſeſſionem vitæ (quæ per partem intelligitur, ſicut actuales plagæ ex adverſo ponuntur) ereptioni ſubjectam faceret. Sed plagas illas infligendas, vitam autem denegandam, pronunciat Apoſtolus ijs omnibus, qui ſacrum volumen corrumpere tentabunt: quæ denunciatio phraſibus illis exponitur, quæ peccati & pænæ proportionem juſtam oſtendunt, *Addentibus Deus addet, auferentibus Deus auferet:* ſic enim Græcè ponitur, quaſi per Anaphoram, ἐὰν εἵ τις ἐπιτιθῇ, ἐπιθήσει ὁ Θεὸς, ἐὰν εἵ τις ἀφαιρῇ, ἀφαιρήσει ὁ Θεὸς. 6. Si oppoſitionem hanc privativam eſſe velint, ſic ut Inſcriptio ſimplex realis vera præcedat, & Deletio ſimilis à tergo ſequatur, tum 1. Scripturæ contradicunt apertè, quæ expreſsè affirmat ſectatores beſtiæ non habuiſſe nomina ſua conſcripta in libro vitæ à jacto mundi fundamento. Apoc. 16. *Apoc. 16.8*
8. Neque inde hoc de ipſis negatur, quia nunquam Eccleſiæ ſua nomina dediſſent, ſed ex adverſo, quia profeſſione Chriſtiani fuiſſent, & nunc Antichriſtum quaſi adorabant, ne apoſtaſia talis in præjudicium cederet electioni divinæ, interponitur illa clauſula ut Apoſtatarum profeſſionem à verè fidelium ſtatu longiſſimè remotam eſſe diſcamus. Si igitur iſtiuſmodi hominum vel nomina, vel partes, ex libro vitæ auferri dicantur, vel id negativè ſumendum, ut antea expoſui, vel Chriſti verbis declarari debet: *Quicunque non habet, etiam quod putat ſe habere auferetur ab eo.* Luc. 8. 18. Nunquam enim tales in viventium albo verè numeratos fuiſſe, & Iohannes affirmat, & Chriſtus etiam ipſe, Matth. 7. 23. *Nunquam novi vos.* Certè ſi unquam in librum vitæ verè conſignaſſet eos, talem ijs nuncium nunquam remiſiſſet. *Fundamentum enim Dei ſtat, habens hoc ſigillum, novit Deus eos, qui ſunt ſui.* 2. Tim. 2. 19.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

Hæc etiam interpretatio cum conſtantiâ Dei, & decretorum ejus indelebili vi non benè conſiſtere poſſe videtur. Nullam inductionem admittit liber divinus, lituram patitur nullam. Rectè Auguſtinus: *Si homo dixit, quod ſcripſi, ſcripſi: Deus quenquam ſcribit & delet?* 7. Non rectè dicitur ſeptuaginta duorum Luc. 10. 20. nomina in cælis conſcripta dici, *ratione habitâ quod eſſent Chriſti diſcipuli*, tunc enim Iudæ proditoris nomen in cælis etiam conſcriptum fuiſſet, tanquam *filij Dei*, etiam tum cum inditum à Scripturis habuit contrarium planè nomen, videlicet, *filij perditionis*. Vbi illud inſuper non ſatis conſentaneè videtur apponi, hoc etiam dici reſpectu revelationis illius, cujus mentio fit verſ. 21. cum revelationem illam non aliam eſſe volunt, quam objecti aut verbi propoſiti, & illam omnibus communem faciunt, qui verbum habent prædicatum. Niſi omnium Iudæorum nomina, etiam perditiſſimorum, qui Chriſti conciones aliquando audiebant, in Libro vitæ conſcripta fuiſſe dicent. 8. Cum Librum illum vitæ, quem immutabilem eſſe concedunt, fideles illos complecti dicunt ſolos, qui ad finem jam perſeverarunt, rationem & fidem, & libri, & ſcriptionis, amovere videntur ab iſtoc tam divino libro. Nam ſcriptio iſtiuſmodi firmitatẽ pręcipuè denotat rei futurę: ſed iſta limitatio fideles ut præteritos conſiderari vult, & vitam ut præſentem: nam inter perſeverantiæ finem & initium vitæ, diſtantia nulla datur. 9. Ridiculum illud eſt quod differentiam tam grandem faciunt, inter *Librum vitæ*, Apoc. 3. 5. & 22. 19. & *Librum Agni*, Apoc. 13. 8. & 21. 27. quaſi liber *Agni* immutabilis eſſet & certi decreti, ad fideles & perſeverantes ſpectantis, alter autem qui *Vitæ* dicitur, communior multò, & incerti eventus: cum omnes tamen in Agno, vel Chriſto, redemptos eſſe defendunt alibi, & ſolos in fide perſeverantes ad vitã ordinari.

Nicolaus Grev. pag. 32.

CAP.

CAPVT VIII.

Argumentum ſextum.

P. 104.

DIcit Chriſtus Ieſus Ioh. 10. 16. Oves ſuas etiam illos inter Ethnicos fuiſſe, qui verbum ejus nondum audierant, ut in eum crederent. Deus etiam Populum ſuum eos eſſe dicit, qui nondum omnes credidiſſent Act. 18. 10. Sic autem eſſe, vel dici non potuerunt niſi electionis vi, ejuſque ſingularis. Datur ergo ſingularis electio etiam nondum credentium. Hæc mens & vis eſt argumenti, quâ valet adverſus Remonſtrantium ſententiam de electione ſingulari, cui duo hæc reſpondent Remonſtrantes.

Ioh. 10. 16. Act. 18. 10. Oves Chriſti, & Populus Dei quomodo vocentur nondum credentes.

1. *Deum & Chriſtum loqui ſecundum præſcientiam, quâ norunt qui ſunt credituri, qui Oves, & Populus, futuri, quâ & electio ad ſalutem nititur. Hoc verbis ipſis demonſtrari, quoniam non homines appellantur, ſed Oves, & Populus. Tales enim non erant actu, ergo præſcientiâ: ut & D. Calvinus rectè exponit. Act.* 18.10. *Ex iſtis igitur locis rectè poſſe colligi, electionem niti præſcientiâ, nominantur enim ita, reſpectu certæ Dei præſcientiæ, illos id futuros, quâ electio nititur.* 2. *Locum illum Act.* 18. 10. *intelligi poſſe de actu credentibus: multi enim Corinthiorum jam tum credebant.*

Ubi 1. operæpretium erit notare, quam incerta, & dubia, ſit hæc tota reſponſio. Non concedunt his locis agi de electione æternâ, non negant tamen, ſed in medio relinquunt. Præſcientiam ſpectari dicunt (& quis negat?) ſed an præſcientiam nudam & ſolam velint, hoc tacent. Actorum locum aliter *intelligi poſſe* affirmant, an verò debeat, id non pronunciant. Potuiſſent illi ſanè, ac debuiſſent etiam apertius ac ſyncerius quid intelligunt monſtrare. Sicut Socinus, quocum in hoc negotio conſentiunt, levato velo animi ſui ſententiam prodit. *Eos nempe hic dici*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

Chriſti Oves, qui propter probitatem aliquam quæ in ipſis fuit, ad credendum apti & accommodati erant. Prælect. Theol. cap. 12. 5. 12. 2. Obſervandum etiam Chriſti verba inverti penitus ab iſtis. Chriſtus enim ratione͂ reddit quare multos ex Gentibus adducere deberet (δεῖ ἀγαγεῖν) ad ovile ſuum, quia oves ejus erant. Iſti econtra, ideò eos oves, & dici, & eſſe, volunt, quia venturi erant ad ovile Chriſti, id eſt, credituri. Chriſtus adductionem & vocationem à paſtoris & ovium ratione deducit: hi vice verſâ, rationem omnem ovilem ab adductione & adventu pe͂dere faciunt. 3, Pervertitur etiam hoc pacto electionis totius ordo. Electionem ad ſalutem niti dicunt præſcientiâ illâ, quâ novit Deus qui Oves, & Populus ejus, futuri eſſent, vel eſſe vellent. Nititur igitur electio divina præſcientia ſaltem electionis humanæ: accedere enim hoc modo ad Chriſtum, & Deum, nihil aliud eſt, quam eos in paſtorem, & Deum, eligere: id quod Chriſtus ipſe, ut præpoſterum nimis, ex animis fidelium expectoravit. Ioh. 15.16. *Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos.* 4. Nugax prorſus eſt illa ratio, quam ſolam non ſemel inculcant: *Non erant oves actu, ergo erant Dei præſcientia.* Quis enim negaverit fuiſſe illos Oves in Præſcientiâ divinâ? Numquid inde ſequetur non fuiſſe eos in Prædeſtinatione divinâ? Chriſtus ut Mediator fuit in Præſcientiâ Dei ab æterno, 1. Pet. 1.20. ſed fuiſſe eum etiam in Prædeſtinatione, Chriſtianus opinor negabit nemo. 5. Similis valoris eſt quod ex nomine *Ovium* & *Populi* deducere nituntur: non dicuntur *Homines* ſed *Oves*, & *Populus*, ergo præſupponitur eos in præſcientiâ Dei fideles fuiſſe, & ſpectantur hic ut fidei qualitate ornati. Poſuit etiam Chriſtus animam ſuam pro Ovibus, verſ. 15. & ſervavit Populum ſuum à peccatis ſuis, Matth. 1.21. non tamen ſpectabat eos, ut qualitate fidei ornatos, cum redemptionis opus aggrediebatur. 6. Mirum eſt, quod D. Calvini conſenſum interpretationi ſuæ prætexunt, cum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

cum in ejus commentarijs in Act. 18. 10. ne nomen quidem præſcientiæ legatur, & ſententia noſtra, tam luculenter explicetur & confirmetur, ut nihil ſupra. Sic enim ille: *Dominus Populum ſuum vocat, qui licet meritò tunc alienus poſſit cenſeri, quia tamen ſcriptus erat in Libro vitæ, & mox in familiam cooptandus, non impropriè ornatur hoc titulo. Scimus enim extra gregem ad tempus vagari multas oves, ſicut ovibus multi lupi permixti ſunt. Ergo quos Dominus paulò poſt acquirere ſibi decrevit, reſpectu futuræ eorum fidei, in populo ſuo jam agnoſcit: ſed meminerimus inſeri in Chriſti corpus, qui æternâ Dei adoptione ad illud pertinent. Sicut ſcriptum eſt, Tui erant, & tu mihi eos dediſti. Ioh. 17. 6.* Populum dici eos affirmat reſpectu fidei futuræ: ſed futuræ, ex inſcriptione in Libro vitæ, ex decreto certiſſimæ acquiſitionis, ex æternâ etiam adoptione, quâ Chriſto ſervandi donati fuerunt. 7. Succedanea illa interpretatio, quâ Deus Act. 18. 10. de actu jam converſis perhibetur loqui, arguitur ex ipſo contextu. Nam 1. dictum hoc Paulo fuit *per viſionem*: ſed converſorum numerum ſatis notum habuit Paulus ex evidentiâ rei: nihil opus viſione & revelatione novâ. 2. Quamvis multi Corinthiorum credidiſſe dicuntur, amplius tamen aliquid ſonat *multus populus*, aut multitudo populi, quam ut illis tribuatur gentilibus jam converſis qui *multi* dicuntur per comparationem paucorum eorum qui inter illius loci Iudæos tunc recipiebant Evangelij doctrinam. 3. Non congruit ratio conſequentiæ, ut Paulus ibi cum fiducia pergeret & protectionem exſpectaret certam, quia populus multus jam converſus fuit. Niſi fortè velint animum Paulo additum à Deo ex magno ſatellitio, quaſi militari, quo ſtipatus, tutus à Græculorum intemperiè, quæ in illum efferveſcere potuit, & intrepidus rem ageret; quod quàm à ratione & uſu hujus legationis abhorreat, nemo non videt. 7. Si enim collegiſſet illic Eccleſiam juſtam tum conſentaneum fuerat ut aliò ſe conferret ad ſimilem

operam navandam ubi maximè opus erat. Si populus etiam tam numeroſus converſus jam fuit non illud argumento eſſet immunem Paulum futurum ab hoſtium oppreſſione, ſed quoniam convertendus adhuc multus populus erat ex decreto divino per Pauli operam, idcircò & pergendum erat Paulo, & non metuendum ab hoſtium vi ac tumultu.

Caput IX.

Doctrina Confeſsionis & Catecheſeos Belgicæ de Electione ſingulari.

Pag. 105.

HActenus cum Scripturis pugnantem audivimus Remonſtrantium ſententiam & defenſionem in iſtac articuli parte: jam ſuperpondium illud ponderandum accedit, quod ex Catecheſi & Confeſſione Belgicâ deducebatur. Ubi de Formulis eccleſiaſticis, eodem litigatur modo, quo mulieres olim puerperę, de filio vivo, coram Salomone, certabant, 1. Reg. 3. ubi clamabatur utrimque cum æſtu, *Filius meus eſt qui vivit:* Sic enim iſtic ab utraque parte conteſtatum habemus, *Catecheſis mea eſt, quæ vivit & viget: Confeſſio etiam mea.* Salomon igitur aliquis optandus eſſet judex, in quo ſapientia Dei luceret ad rectum exercendum judicium: ſtatim obſervaret ille, quinam illi ſint, quorum æſtuant viſcera erga Catecheſin & Confeſſionem, ne afficiantur morte: & quorum vox ac votum etiam ſit in iſtâ lite, *Neque mihi neque tibi ſunto, ſcindantur.* Sed cum ſententiam hujuſmodi non pronunciarunt adhuc illi quorum intereſt, tentandum nobis eſt an non ſignis & notis quibuſdam intelligi certè poſſit, quid verum, quid fictum, in contentione totâ.

Quatuor producta ſunt loca adverſus Remonſtrantium theſin, Catecheſ. q. 54. & 52. Confeſ. art. 16. & 37. de qui-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

de quibus omnibus reſpondent illi, *non ſolum non contra ſe quidquam facere, ſed etiam pro ſe maximè.* Videndum igitur, ſed paucis, non quid affirmatur, ſed quibus rationum nititur momentis.

Primus locus ex Catecheſi q. 54. ubi habetur *Deum ex univerſo genere humano cœtum ſibi ad vitam æternam elegiſſe.* *Quæſt.54. Catech.* Reſp. Remonſtr. *Nihil hoc adverſus nos: imò perſpicuè pro nobis, quoniam ex verbis proximè ſequentibus (per ſpiritum ſuum, & verbum in verâ fide conſentientem) reſpexiſſe Deum hanc Eccleſiam tanquam in verâ fide conſentientem apparet.* Sed integrum reſponſum videre juvabit: *Credo Filium Dei, ab initio mundi, ad finem uſque ſibi, ex univerſo genere humano, cœtum ad vitam æternam electum, per Spiritum ſuum & verbum, in verâ fide conſentientem, colligere, tueri, ac ſervare: meque vivum ejus cœtus membrum eſſe, & perpetuò manſurum.* Hæc ſunt verba, ex quibus obſervandum eſt, Catecheſin ibi docere, quod Chriſtus colligit, tuetur, ac ſervat cœtum, ad vitam æternam electum, inde manifeſtum fit ex Catechiſmi ſententia in ipſa collectione, aut vocatione, cœtum hunc ut electum ſpectari, atque adeò vocationem efficacem ab electione pendere. An nihil hoc adverſus Remonſtrantes? 2. Cœtus electus & Eccleſia eodem ſenſu dicuntur in Catecheſi, ita ut Eccleſiæ veræ nulla ſit pars, quæ non rectè dicatur ad vitam æternam electa. Sed Remonſtrantes docent perſeverantiam ad fidem eſſe conditionem prærequiſitam ad hoc ut homo, aut cœtus aliquis, eligatur ad vitam, ita ut Militanti eccleſiæ quæ nondum pervenit ad finem, non poſſit Electio tribui, ſed Triumphanti ſoli. Nihilne tamen hoc adverſus Remonſtrantes? 3. Electio ibi ponitur ut prima cauſa totius diſcriminis, quod inter hunc cœtum eſt, & reliquum genus humanum: *Ex univerſo genere humano, cœtum ad vitam æternam electum colligit.* Remonſtrantes hoc ultimum eſſe volunt, & conſummatam fidei obedientiam ſequi. An non hoc aliquid?

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

aliquid? 4. Non nihil etiam eſt quod Catechumenus ibi docetur credere, ſe vivum hujus electi cœtus eſſe membrum, & perpetuò manſurum. Non enim perſeverantiam ad finem prærequirit hæc reſponſio ad hominem conſtituendum electum, ſed fidelem quemque electionis vas in præſenti facit, & ex electione perſeverantiam, non illam ex perſeverantia deducit. 5. Verba illa (*per ſpiritum & verbum in verâ fide conſentientem*) ut ad Chriſtum colligentem referuntur, media illa manifeſtè notant, quibus electio divina ſuum finem aſſequitur, electi cœtus, reſpectu deſcriptionis, habent locum & cauſas, & notas ejus continentis, utroque modo Remonſtrantium cauſam evertunt. Sed non magis probant conſenſum in verâ fide prærequiſitum ad electionem eſſe, quam ad collectionem aut vocationem primam, vel etiam ad redemptionem per Chriſtum. Collegit enim & redemit Chriſtus Eccleſiam ſuam: talis autem tum demum eſt, ajunt Remonſt. cum in verâ fide conſentit.

Quæſt. 52. Catech. Secundus locus eſt Quæſt. 52. Ubi habetur, *Chriſtum omnes ſuos electos ad ſe in cœleſtia gaudia & gloriam traducturum.* Quæ verba ſi cum antecedentibus conjungantur ſimul, & ex ijs explicentur, non nihil adferunt ad argumentum firmandum: in Collatione igitur non temerè prioribus appoſita fuerunt. Seorſim quidem ſumpta non multum ad propoſitum faciunt, niſi quod Catechumenus ibi ſemet electionis participem in præſenti credit, quod cum Remonſtrantium ſententiâ non poteſt conſtare. Sed tamen exceptiones oppoſitæ nihil quidquam valent. 1. *Per electos pro modo Scripturæ fideles intelliguntur.* Verum eſt ijdem homines qui tandem fideles evadunt, electi dicuntur, tam in Scripturis, quam in Catecheſi, ſed quæritur inſuper an non ſint electi antequam fideles exiſtant? Qui ſic ſtatuunt, ij non morem Scripturæ obſervant, quæ Dei prærogativam eſſe docet, non ut eligat dignos

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

dignos (quod hominum eſt) ſed ut dignos faciat eligendo. 2. *Electi quos Chriſtus in gloriam ſuam recipiet, ſunt benedicti Patris. Matth.25. Fideles ſunt benedicti illi Patris, ac proinde fideles ſunt electi illi.* Quis unquam negavit fideles eſſe electos illos? Sed probatio tamen tam in formâ, quàm in materiâ peccat. Formæ vitium dialecticus quiſque percipiet. In re ipsâ graviſſimum errant errorem, ſi neminem benedictum eſſe Patris exiſtiment, niſi qui jam perſeveravit ad finem, aut ſi perſeverantiam illam prærequiri putent ad benedictionem etiam omnium primam percipiendam. Sic enim & Redemptionem, & Vocationem, & Adoptionem, & juſtificationem, & primitias omnes æternę vitæ ex benedictionum expungerent albo.

Tertius locus eſt ex Confeſſione Belgicâ, Art.16. *Deus à damnatione ac interitu liberat ac ſervat eos, quos in æterno ſuo conſilio elegit.* Reſp. Remonſtr. *Fideles illos eſſe qui eripiuntur ex interitu.* Sed Confeſſio manifeſtam diſtributionem hominum lapſorum conſtituit, quorum alios ereptos ex peccato & miſeriâ dicit, alios verò relictos. Ereptionis, aut liberationis illius, primam cauſam & fontem in miſericordiâ eligentis Dei collocat. Unde manifeſtum eſt, fidem non antecedens aliquid, ſed conſequens electionis fieri. Nihil enim intercedens eſt, inter peccati mortem, & electionem ad vitam. Pręterea donatio ipſius fidei pars eſt ereptionis illius ex peccato & morte, fluit igitur ab electione (ſi Confeſſio ſit vera) & datur electo, non pręrequiritur in eligendo. *Artic. 16. Confeſſ. Belg.*

Quartus & ultimus eſt ex ejuſdem confeſſionis Art.37. *Cùm numerus electorum fuerit completus, Chriſtus, Dominus noſter è cælo rurſus venturus eſt.* Reſp. Remonſtr. *Numerus electorum eſt numerus fidelium.* Quod non malè quidem dicitur, ſed amplius aliquid hac phraſi videtur notari: Deum ſcilicet elegiſſe certum numerum hominum, & mundi interitum ideò prorogare, ut electionem illam *Artic. 37. Confeſſ. Belg.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

exequi in generatione quâque poſſit, prout in ſeſe conſtituit ab æterno.

CAPUT X.

Pars altera: de Cauſsâ Electionis ſingularis.

Quæ ſit cauſſa, cur Deus hunc præ illo elegerit?

HUcuſque diſputatum fuit de primo quæſtionis hujus membro, id eſt, de Electionis Objecto: ſequitur jam alterum, de Objecti hujus Ratione, ſtatuitur enim à noſtris, *Cauſam cur Deus decreverit aliquos homines, aliJs prætcritis, ita eligere, ſolam eſſe ejus beneplacitum, & meram gratiam, minimè verò; quod prævidit alium in Chriſtum crediturum, alium minimè: ac proinde Fidem non eſſe cauſam vel conditionem, quæ Electionem ad ſalutem præcedit, ſed fructum, qui ex eâ prodit, & illam conſequitur.* Probatur etiam quod ſtatuitur, varijs validis argumentis. Sed priuſquam ad illa perveniamus advertendi ſunt oculi ad exceptiones illas generales, quas adferunt Remonſtrantes ad conſtitutionem illam quæſtionis.

1. *Veniam verbo præfati, dicunt Fratres turpiter errare, cum cauſam decreti Dei de quibuſdam non eligendis, etiam in Dei beneplacito conſtituunt, imò hoc ipſum (Deum nimirum aliquem non eligere) gratiam & meram gratiam faciunt.* Sed 1. Turpitudo, ſi quæ ſit erroris hujus, in collectione hac latet, non in aſſertione illâ, ex quâ peti videtur. Interfatio adhibita *de alijs præteritis* comparationẽ indicat non ſimilium, aut parium, in eâdem causâ convenientium, ſed diſſimilium, quorum qualitas vel conditio non eſt eadem. Dixit olim Moſes de Iſraëlitis: *Te ſelegit Iehova Deus tuus, ut ſis ei populus peculiaris præ omnibus populis reliquis, eo quod diligit Iehova vos,* Deut. 7.6.8. Numquid hic etiam & errorem, & turpitudinem notabuut iſti, quaſi dilectionem conſtitueret Moſes cauſam, cur omnes ferè populi præteriti

teriti fuerunt à Deo? 2. In Remonſtrantium ſcriptis eundem iſtum errorem jam ante notavi. Sic enim Nicolaus Grevinchovius p. 107. *Cauſam electionis Pauli, præ Caiphâ, ſtatuo purum Dei beneplacitum, cujus fundamentum eſt Chriſtus: hoc ſcilicet, quo omnem credentem, vel crediturum eligere voluit in Chriſto, non credentem, vel non crediturum reprobare.* Decreti hujus, in quo reprobatio continetur, non aliud fundamentum ponit, quam Chriſtum, non aliam cauſam, quam Dei beneplacitum merum. Et intempeſtivè igitur, & imprudenter fecit idem Nicolaus, cum cæteris, quod anſulam hanc arripuerint invidioſum aliquid objectandi, cum ſemet ipſos etiam eodem carbone denigrant. Nec immorari mihi neceſſe eſt in ſequelis illis examinandis, quas ex principio hoc fictitio conati ſunt formare. Multò verò minus in ambiguitate, quam oriri dicunt ex eo, quod electorum qualitates non exprimuntur. Nullas enim agnoſcimus illius generis, quod in hac quæſtione ſpectatur, vel cauſalem, ſcilicet, vel occaſionalem rationem ad electionem habentes.

An Remonſtrantes ſtatuant prævifam fidem eſſe Cauſſam Electionis.

2. *Injuriam ſibi fieri, conqueruntur, quod ijs hoc impingitur, quaſi fidem ſtatuerent electionis Cauſam, cum illi contrarium diſertè affirmarint.* Sed quid verbis affirmant, aut negant, non multum refert: quod re ipsâ docent, quod in ſententiâ, quam defendunt, apertiſſimè continetur, id ipſis tribuere non eſt injuria. Quin verò cauſæ vim & virtutem concedant Fidei, Electionis reſpectu, hoc rectè intuentem ab ipſis non rectè tradita, non poteſt ullo modo latere. Primò enim de de *conditionis* vocabulo ſe non admodum ſollicitos eſſe hoc ipſo loco profitentur omnes, & Nicolaus Grevinchovius multò affirmantius (p. 111.) *Scriptura fidem perpetuò deſcribit, ut conditionem prærequiſitam à Deo,* qualem autem conditionem intelligunt, ſatis alibi docet idem Nicolaus (pag. nempe ſequente) ubi *præſcriptam* eam & *poſtulatam* appellat. *Naturæ verò legum ac conditio-*

num præſcriptarum omninò conveniens eſſe contendit idē (*p.* 24.) *ut voluntas judicis, à conditione poſtulatâ, ac præſtitâ, moveatur ad præmium.* Inter conditionem moventem judicis voluntatem; & cauſam impellentem, ſi differentiam ullam oſtendere poſſint, ponetur illud ſanè inter Paralipomena Logicorum. 2. Fideles faciunt adæquatum Electionis objectum, & fidei tribuunt ut ſit formalis objecti hujus ratio. Iam verò axioma illud eſt inter harum rerum conſultos, *Ratio formalis adæquati objecti ſemper eſt ſpecificans cauſa illius habitus potentiæ, vel actus, cujus eſt objectum.* Sic in viſione lux(quę ratio formalis eſt objecti viſibilis)eſt etiam cauſa videndi: ſic bonum apprehenſum ab intellectu, eſt volitionis cauſa, quia rationem habet formalis ejus objecti. Eodem planè modo cùm fidem Electionis reſpectu, formalem objecti rationem Remonſtrantes ponant, & Deum etiam ab extra proprias volendi cauſas habere doceant, cauſam dicere nequeunt, cur eos afficere dicantur injuriâ, qui Fidem Electionis Cauſam ab ijs fieri, pro confeſſo habent. 3. Electionem præſcientiæ fidei *inniti* docet Arminius, Decl. ſentent. p. 47. docent etiam Remonſtrantes omnes, Coll. p. 104. Quæ autem vis hujus verbi ſit. Nicol. Grev. oſtendit p. 102. *Fidem* ſcilicet *electioni præſtrui ut fundamentum, voce innitendi omninò ſignificari videri*, unde etiam eſt quod *electionem Chriſto inniti* & *Chriſtum eſſe Cauſam Electionis* unum idemque ſignificant in Remonſtrantium ſcriptis. Clarum eſt igitur vel hac ratione, fidem ab ijs haberi pro electionis causâ. Neque id omninò negare videtur Nicolaus, ſed hoc ſolum cavet (p. 105, 106.) ne ſtatuere putentur Fidem fundamentum, aut cauſam primam, aut ex merito, & dignitate ſuâ, moventem. 4. *Ordinis ratio* (ex Remonſtrantium ſententia) *inter Electionem & Reprobationem, ut ſpecies ſibi invicem oppoſitas, omninò exigere videtur, ut quo loco incredulitas venit in Reprobatione, eodem veniat & fides in Electione.* Sunt verba Nicolai

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

colai Grevinch.p.176. At verò infidelitatem eſſe Cauſſam Reprobationis non affirmant ſolum Remonſtrantes (hac ipſa pagina 107) ſed contrariam ſententiam horribilem vocant & deteſtandam. 5. Si Fides determinet voluntatem Dei (alias in differentem) ad eligendum unum potius quàm alterum, tum cauſa eſt electionis. Sed vim hanc determinantem attribuere fidei remonſtrantes res ipſa docet. Cum enim præter fidem nihil antecedit electionem, quod non eſt etiam non electorum commune, & nihil commune determinat, neceſſe eſt ut determinationis ratio collocetur in fide: & Nicolaus id profiteri videtur (p. 206.) cùm *arbitrium determinare gratiam* affirmat, cujus concurſum tamen conditionem faciunt ad efficaciam gratiæ nihilo valentiorem, quam fidem etiam conſtituunt ad electionem. 6. Ut in dubium reddatur quid Fidei tribuitur à Remonſtrantibus ſyllogiſmus proponendus eſt ille, quem formarunt ipſi ad ordinem declarandum conſilij divini: eſt autem hujuſmodi. *Volo ſervare credentes. Petrus credit. Ergo volo ſalvare Petrum.* Sic enim conſulentem Deum, & quaſi diſcurrentem, inducunt. Propoſitio eſt generale pronunciatum illud, quod Arminius decretum ſecundum facit. (Decl. p. 47.) Aſſumptio eſt præſcientia fidei, vel potius Fides in præſcientiâ, cui electionem ſingularem inniti dicit idem (ibidem) Concluſio eſt ipſa electio ſingularis. Iam verò quis tam alienus eſt à ſenſu & uſu communi, ut non intelligat in deliberationibus hujuſmodi, concluſionem ab aſſumptione, ut ex verâ causâ, pendere. 7. Argumentis iſtis illud etiam adſtrui poteſt, quod Suarez Ieſuita ſive confitetur, ſive teſtatur, (de Prædeſt. l. 1. c. 17. ſ. 13.) *Si quis dicat, ſolam electionem ad gloriam, ſeu voluntatem dandi gloriam, eſſe prædeſtinationem; & deinde teneat, non dari prælectionem ad gloriam, ante præviſa merita,* (quam Remonſtrantium ſententiam eſſe palàm eſt, niſi quod *meriti* vocem non uſur-

pant) *neceſſe eſt, ut conſequenter aſſerat, dari Cauſam Prædeſtinationis ex parte hominis.* Apertius eſt igitur quam ut poſt hac negari poſſit ultra, (quidquid antehac fecerunt ad cautelam) Fidẽ Remonſtrantibus electionis eſſe Cauſam.

3. Illud etiam reprehendunt in Fratribus, quod *gratiam* & *fidem* inter ſe pugnare faciunt, vel facere ſaltem videntur. Sed injuriam hic inferunt illam, quam illatam ſibi dicebant modo. Malè enim accipiunt, quæ benè dicuntur: gratiam & fidem non opponebant illi, ſed electionem ex merâ gratiâ, ſine ullâ externâ cauſâ præcedente, ac movente, & electionem ex fide prævisâ. Sic exceptiones illas generales quales quales explicatas habemus: accedamus jam ad argumenta.

Capvt XI.

Argumentum primum.

P. 109.

Cauſam Electionis eſſe ſolum Dei propoſitum & beneplacitum, & meram gratiam.

Non poteſt alia electionis Dei æternæ cauſa conſtitui, quam quæ à Dei Spiritu, & in S. Scriptura exprimitur: illa autem aliam electionis cauſam non ſtatuit, quam Dei propoſitum, conſilium voluntatis ejus, beneplacitum, ac meram gratiam, Rom. 8. 28. & 9. 11. 2. Tim. 1. 9. Eph. 1. 9. 2. 5. Matth. 11. 26. Luc. 12. 32. Rom. 9. 15. Exod. 33. 19. 16. 18. Rom. 11. 5. *Ac proinde pugnat cum verbo Dei, quod docetur prævisam fidem aliquo modo electionis cauſam eſſe. Si autem electionis cauſa non eſt, neque conditio eſt, quæ ad electionem deſideratur, aut quam Deus in electionis ſuæ conſilio reſpicit: neque enim in Scripturâ hanc phraſin eſt invenire, Deum nos elegiſſe quâ fideles, & eâ lege ſi in eum credamus & in fidei obedientiâ perſeveremus.*

Huic argumento ſic reſponſum eſt à Remonſtrantibus, ut vix quidquam adferant, quod ſeriam refutationem vel poſtulet, vel mereatur; breviter tamen ſunt audiendi. Poſt rejectionem argumenti totius, propter cauſæ

mentio-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

mentionem, quam prius vidimus non temerè poſitam, ſed in eorum ſententiâ manifeſtò contineri, accedunt ad errorum notationem, quos hoc ordine proponunt.

1. *Gratiam & fidem non rectè opponi videri.* Quaſi favor Dei internus & æternus non eſſet diverſum aut diſparatum aliquid ab actu, vel dono fidei, quæ mortalibus ineſt, & initio & fine mortalis etiam eſt. Certè aut una eademque res dicendæ, aut licitam, aut firmam hanc argumentationem eſſe, non poſſunt non videre, *ſola hæc eſt cauſa, ergo non illa.* Nam *ſola* vim habet excludentem & removentem omnia, quæ non ſunt planè eadem: unum includens cætera omnia excludit. Optimè quidem convenit, ut aliquid ex merâ gratiâ donetur, & recipiatur per fidem, quæ Apoſtoli mens eſt Rom. 4. 16. ſed ut deſtinetur *Rom. 4. 16* aliquid ex merâ & ſolâ gratiâ, & tamen aliam habeat rationem & cauſam cur deſtinetur, hoc nullo modo conſiſtit. 2. *Scripturã* dicunt *præter Dei beneplacitum aliam electionis cauſam ſtatuere, propter quam electi ſumus, Chriſtum ſcilicet, juxta illud Eph.* 1. 4. *Elegit nos in Chriſto.* Sed 1. Eligere *in Chriſto,* *Epheſ. 1. 4.* & eligere *propter Chriſtum,* non debent confundi. In Abrahamo decimatus eſt Levi, Heb. 7. 9. ſed non propter Abrahamum, ut cauſam impellentem. In Chriſto paravit nobis Deus redemptionem à peccatis, ſed non propter Chriſtum paravit. Sic enim Chriſtum ipſum propter Chriſtum donaſſe nobis diceretur. 2. Palam eſt ex ipſo contextu, Chriſtum ibi ad electionis quidem terminum, vel bona quæ deſtinantur electis, antecedentis & cauſæ rationem habere, ſed ad actum ipſum intentionis divinæ, conſequentis potius effecti. Sic enim verſ. 3. in Chriſto benedictiones nobis omnes communicatas affirmat: verſ. 5. Adoptio manifeſtò conjungitur cum verbis illis, *Per Ieſum Chriſtum,* non actus prædeſtinantis. Neque hoc patietur vox uſurpata (*per*) quæ medium denotat à deſtinatione finis dependens, & ſatis explicat alteram illam phraſin *in Chriſto.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

Chriſto. 3. Partem hanc ſententiæ (*in Chriſto*) ſic explicare videntur ipſi Remonſtrantes (p.91.) ut ſpectet potius ad electorum ſtatum, quàm ad eligendi cauſam : *in Chriſto nemo eſt electus, niſi qui in Chriſto eſt. id eſt fidelis.*. Eligere in Chriſto, & eligere fideles, idem faciunt. Non igitur ſibimet conſtare ſatis videntur, cùm fidem non dicant eſſe cauſam, & cauſam tamen his verbis denotari contendant. Certe præpoſitio hæc *in* non poteſt & eligentem & electum etiam ſimul notare. 4. Electionis illius generalis, quâ ſtatuiſſe Deum dicunt fideles ſalvare, & infideles damnare, hujus (inquam) decreti Chriſtus non eſt cauſa: quia redemptione per Chriſtum jam tota peracta (dicit Nicolaus Grevinch. p. 8.) *Deo jus hoc integrum manebat pro arbitratu ſuo eam applicare vel non applicare, & quibus, vel qualibus, vel ſub quacunque vellet conditione, communicare.* Voluntas igitur divina cum fidei qualitatem præſcripſit, non movebatur à Chriſto tanquam à cauſa. Si verò generalis hujus decreti Chriſtus non ſit cauſa propria, tum neque alterius illius, quo ſingulares & certos fideles ſervare conſtituit. Hoc enim nihil aliud eſt quàm conſequens alterius, aut concluſio ex eo deducta, hoc modo: *Volo ſervare fideles omnes*; *hi ſunt fideles*, *ergo volo ſervare hos*: ubi nulla datur concluſionis cauſa, præter decretum illud generale, quod in propoſitione ponitur, & fidem actualem, quæ aſſumptionem efficit: vel igitur nullam cauſam habet particularis hæc electio, niſi eam quæ convenit etiam generali, quam ſcilicet immediatè inniti voluntati & arbitrio Dei, tanquam primæ, unicæ, & completæ cauſæ, Nicol. Grev. agnoſcit (p. 105.) vel fidem illam cauſam eſſe neceſſariò dicendum eſt: Chriſto nullibi cauſæ locum, ſed nomen tantum dederunt.

3. *Fides* (ajunt) *poteſt eſſe conditio, quamvis non ſit cauſa.* Quod verè quidem dicerent, ſi conditioni nomine illud ſolum intelligerent, ſine quo res eſſe nequit : ſic enim naturalia multa

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

multa conditionalem neceſſitatem habent ad vitam ſupernaturalem, (ut ſimus [puta] vivamus, ſuſtentemur, rationis participes ſimus, &c.) ſed aliam rationem eſſe conditionis præſcriptæ, poſtulatæ, præſcitæ, qualem fidem eſſe ſtatuunt, Nicol. Grev. optimè demonſtravit p. 24. verbis illis jam ante laudatis, *Hoc amplius contendo, naturæ legum ac conditionum præſcriptarum omninò conveniens eſſe, ut voluntas judicis â conditione poſtulatâ ac præſtitâ moveatur ad præmium.*

Fatentur phraſin hanc in Scripturâ non inveniri, Deum nos quâ fideles elegiſſe, eâque lege ſi crederemus in ipſum: ſed inde non magis ſequi, dicunt, rem ipſam non eſſe veram, quam contrariam defenſionem etiam, falſam eſſe, quia non legitur in Scripturis fidem eſſe electionis fructum, nos eſſe electos fidei non habitâ ratione, aut qualitatis ullius. Sed 1. Varia & impar eſt ratio harum, & illarum phraſium. Iniquiſſimum eſſet poſtulare teſtimonium Scripturæ expreſſum cuncta nominatim excludens, quæ removenda neceſſariò ſunt ab electionis decreto: aut omnia poriſmata deſcribens, quæ ex illo deduci poſſunt. Ars enim & doctrina cujuſcunque rei, nec negativis præceptis debet explicari, neque ſupervacaneis. In affirmatione verò, quâ ipſa conditio tantæ rei primaria, præſcripta, & poſtulata traditur; quis non exſpectaret manifeſtam legem? 2. Apertè dicitur in Scripturâ, *cum nihil boni aut mali feciſſent*, id eſt, cum nullâ qualitate diſcriminante fuerunt induti. Rom. 9.12. & eligi nos ad ſalutem per fidem habitam veritati. 2. Theſ. 2.13. & quoſdam ad cognoſcendam voluntatem Dei præſignatos eſſe: Act. 22.14.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

CAPUT XII.

Argumentum ſecundum.

P. III.

Fidem eſſe fructum Electionis.

E*Lectionis fructus non poteſt eſſe ejus cauſa, vel conditio, quæ illam præcedat. Fides, una cum obedientiâ & perſeverantiâ, electionis eſt fructus. Rom.* 8. 29. *Eph.* 1. 4. 5. *comp. cum Ioh.* 1. 12. *Eph.* 2. 10. *Act.* 13. 48. *Iohan.* 6. 37. 8. 47. *&* 10. 26.

Aſſumptio fidenter à Remonſtr. negatur: neque illam confirmari concedent vel uno ex teſtimonijs illis, quæ ad fulciendam eam adducuntur. Rationes adferunt varias, quæ breviter ſunt perpendendæ.

Rom. 8. 29 30.

1. Rom. 8. 29. 30. non agere apoſtolum de ullâ abſolutâ ordinatione ad ſalutem, aut vocatione ad fidem: ſed de ordinatione & vocatione fidelium ad crucem & afflictiones. Incongruam hanc eſſe gloſſam ſatis ante probatum eſt, in parte priore, ad arg. 4. auferendum hic tamen integrumentum ejus unnm. *Nos* (inquiunt) *cum D. Calvino aſſerimus*, &c. quaſi Calvinum ſequerentur auctorem in aſſertione & non Socinum, dum Apoſtolum hic negant agere de ullâ alſolutâ electione ad ſalutem, aut vocatione ad fidem, ex illâ pendentem, quod Lector non debet cogitare. Quamvis enim in explicatione poſterioris partis verſ. 29. non multum ab ipſo diſcedunt: in cæteris tamen omnibus hujus gradationis membris, adverſarium eum hic habent, non minus acrem, quam in ipſo libello, quem de Prædeſtinatione conſcripſit. verſ. 28. *ſalutem noſtram electione fundari obſervat, & cauſas ejus non alibi quærendas, quam in arcano Dei beneplacito.* verſ. 29. ſic iſtos homines refellere videtur: *Dei præcognitio, cujus Paulus hic meminit, non nuda eſt præſcientia, ut ſtultè fingunt quidam imperiti: ſed adoptio, quâ filios ſuos à reprobis ſemper diſcrevit.* In cæteris etiam eodem planè modo.

Graviter conqueruntur de vocibus quibuſdam odioſè inſer-

inſertis, *obedientiâ* ſc. *& perſeverantiâ, quaſi Deum illi opera bona reſpexiſſe in electione docerent: quod nec docere ſe nec ſentire ſanctè profitentur.* Vel ex unâ igitur hac ſimulatione omnes diſcet Lector: cælum teſtem jurant ſibi hanc mentem non eſſe, falſa vociferantur ſibi impingi, cum veritas hujus eorum ſententiæ tam apertis documentis in cauſæ conſtitutione firmata ſit, ubi *integram ex præſcripto obedientiam, amorem, cultum, honorem, timorem, humilitatem, certamen totum, conſummatam obedientiam, & opera bona,* inter electionis prærequiſita, non minus quam fidem ab ijs poni, tabulis probatur quaſi obſignatis. Ne ſubitò tamen & inopinatò hæc ijs excidiſſe videatur, aliàs verò nec in ipſorum contineri ſententiâ, nec in ſcriptis haberi, operæ pretium erit audire quid Simon Epiſcopius Leydenſis Profeſſor Academicæ juventuti in privatis theſibns inſtillat. *Fœderis novi duas conſtituit partes.* 1. *Stipulationem officij noſtri juxta certa quædam præcepta inſtituendi.* 2. *Promiſſionem* & *ſponſionem Dei gratioſam, officium juxta ſtipulationem fœderis præſtantibus factam, & promiſſionem hanc, quâ juſtificationem & præmij remunerationem, id eſt, vitam æternam contineri docent, atque adeò electionem ipſam (uniformia enim & conformia ſunt iſtis electionis & juſtificationis decreta. Nicol. p.* 111.*) ſtipulationem illam officij ſequi docet ordine.* Hæc Diſp. 45. theſ. 1. 2. *Iam verò præcepta illa quas promiſſiones ſpirituales antecedere facit, tria ſunt, quæ novi fœderis præcepta, novis vocibus appellat, Pœnitentia, Fides in Chriſtum, & Obedientia ſtrictè ſumpta, ſive Charitas, vel Sanctimonia, quæ nihil aliud eſt quam ſyncera & continua mandatorum lege evangelicâ præſcriptorum præſtatio, uſque ad extremum vitæ terminum: per mandata verò præſcripta, illa omnia intelligit, quæ vel generaliter à Chriſto & paſſim in Scripturis N. T. pronunciantur (de abnegatione noſtri, tolerantiâ crucis, &c.) vel ſpecialiter juxta Legis divinæ moralis præcepta exponuntur & plenius elucidantur.* Hæc Diſp. 23. 25. 27.

2. An Remonſtr. ſtatuant præviſa opera bona eſſe cauſam Electionis.

Simon Epiſcopius.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

Ex iſtis clariſſimè patet domeſticam Remonſtrantium ſententiam (quidquid publicè nonnunquam præ ſe ferant) illam ipſam eſſe, quam in præſenti tam ſtudioſè conantur â ſemet amoliri: obedientiam ſcilicet vel præſtationem bonorum operum, & perſeverantiam ejuſdem, non minus à Deo ſpectari & conditionis locum habere in Juſtificationis ac Electionis actu, quam fidem ipſam in Chriſtum. Imò verò penitiùs rem ipſam intuenti apparebit fortè, plus multò cæteris illis officijs, quam fidei, per iſtam doctrinam concedi. Nam cum electionem ſic nobis deſcribant: *Vt ſit voluntas præmium vel mercedem conferendi, intercedente conditione præſcriptâ & præſtandâ, quemadmodum agonothetæ brabium decernunt athletis mediante curſu, vel certamine*: æquum eſt ut illi conditionis parti debeatur maximè, quæ maximi moliminis & certaminis eſt, vel in quâ plura, ſeu præcipua continetur officia: ſed in univerſalis obedientiæ præceptis multò plus poſtulari & prę-ſtari, quam in fidei præſcriptione nemo poteſt neſcire. Cum etiam nullam differentiam ſtatuant inter fidem ac obedientiam eorum, qui electi ſunt ad ſalutem, & multorum damnandorum, præter durationem ſolam, vel perſeverantiam, & tamen electionis conditio in aliquâ re ponenda ſit, quam habet electus ſupra non electos omnes, conſentaneum planè videtur, ut adæquata electionis ratio in hac duratione aut perſeverantiâ collocetur potius, quam in ipſa fide,

Nicol. Grevinch. pag. 130.

Idem pag. 152.

Nicol. pag. 141.

Eph. 1. 4.

De verbis illis Apoſtoli Eph. 1. 4. *Elegit nos in Chriſto ante jactum mundi fundamentum, ut ſimus ſancti & inculpati in conſpectu ejus cum caritate*: tria regerunt Remonſtrantes. 1. *Apoſtolum loqui de fidelibus, quod innuit quando ait Nos, quos ante vocaſſet benedictos & fideles.* Acuta ſanè ratio. Apoſtolus dicit nos qui nunc fideles ſumus, electi fuimus ante jacta mundi fundamenta: ergo fideles erant antequam electi. vel electio igitur non eſt cauſa fidei, ſed fides

eſt ele-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

eſt electionis prærequiſitum. Eſt etiam ubi dicit idem ad eoſdem, & ſimiles, *vocavit nos, redemit nos, illuſtravit nos cognitione evangelÿ, fide nos donavit*; nunquid concludent ex inde, fidem etiam antecedere vocationem, cognitionem, redemptionem & ſemet etiam ipſam, ita ut fideles fuerint antequam fide donati? 2. *Non fidem hic ut electionis effectum poni ſed ſanctitatem ſolam, quæ diſtincta res eſt à fide, quamvis ſine fide non exiſtat, ſed oritur ex illa ut ex arbore fructus.*

1. Quod de arbore & fructu dicunt illud ſano ſenſu amplector, imò adverſus ipſos vel maximè facere contendo, eadem enim radix, & arborem, & fructum fert, eadem utriuſque natura, eadem etiam efficiens cauſa, ſi igitur electio ſit ſanctitatis radicalis cauſa, neceſſe eſt etiam ut fides ab eadem exoriatur. Qui dat formam, dat etiam facultates emanantes à formâ, vel eam conſequentes, & ex adverſo qui dat facultates iſtiuſmodi, dat etiam formam. Eandem igitur cauſam obtinent fides, cum qualitatibus illis, quæ à fide fluunt, & ab electione pendent ambæ, ſi alterutra. Satis eſt igitur ad argumentum ſi fides & ſanctitas tam individuo nexu connectantur, quamvis non ſint unum & idem. 2. Fidem ſanctitate compræhendi, cum generatim hæc vox uſurpatur, pro actu quolibet à communi uſu ſegregato, & cultui divino conſecrato Nicolaus Grevinch. fatetur p. 119. Non rectè igitur faciunt quod ſimpliciter hoc loco, ſine diſtinctione repugnant. 3. Omnis actus ſpiritus Sancti in nobis habitantis, ſanctificationis noſtræ pars eſt, inde enim ſanctus appellatur quia vim nobis indit ſanctificantem: ſed fides eſt inter principales ejus actus: ergo. 4. Per fidem in hac quæſtione intelligere ſe Remonſtrantes affirmant *conſummatam fidei obedientiam*: hanc autem obedientiam conſummatam ut à ſanctimoniâ diſtinguere poſſint, ego certè non novi. 5. Electio hæc ad ſanctitatem, &c. æquè latè debet extendi, ac benedictio illa cujus fit mentio verſ. 3.

Nicolaus Gr. p. 137.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

proportionem iſtam apertè denotat particula connectens *καθὼς, quemadmodum, ſicut*: neque firma foret Apoſtoli ratio, niſi hæc Electio aliquo modo comprehenderet in ſe benedictiones illas omnes, quarum ante mentionem feciſſet, ſed inter omnes benedictiones ſpirituales, fidem etiam locum aliquem habere, non eſt Chriſtiani negare: ergò & in ſanctimoniâ quæ ex electione fluit continetur etiam fides.

4. *Sententiam ſuam hanc eſſe dicunt, ſanctos & inculpatos eſſe coram Deo, idem eſſe quod in cælo glorificatos eſſe. Sicut & Eph. 5. 26. 27. Col. 1. 20. 21. 22. 23. quæ loca non poſſe intelligi dicunt, niſi de vitâ futurâ, atque adeò electionem iſtam nihil hujus vitæ ſpectare, ſed gloriam ſolam. Hoc etiam ex Muſculo, & Piſcatore confirmari poſſe dicunt.*

Sed. 1. dicant mihi velim, utrum electio hæc Dei, quæ eſt ad ſanctitatem, ſit ad partem ejus tantum, & non potius ad integram ſanctitatem; ſi ad partem ſolam, dixerint & gradum; tum 1. eandem rem ex eâdem causâ pendere imperitè nimis negant. 2. Tum etiam electionem hanc ad ſanctitatem, vitam, cælum, non ex peccati, mortis, & mundi ſtatu, levare nos docent cum Scripturis, ſed ex uno gradu ſanctitatis, vitæ, & cæleſtis naturæ, ad aliam: quod quam alienum ſit â Scripturæ perpetuo tenore, id quiſque novit qui eam vel à limine ſalutavit. Si verò ad integram nos eligi ſanctitatem concedant, tum vel neminem in hâc vitâ ſanctitatis participem facient, contra expreſſam Scripturæ ſententiam. 1. Cor. 6. 11. vel electionem hanc etiam ad vitam iſtam referre cogentur.

2. Sanctificationem hoc in loco generaliſſimo ſenſu accipi connexio illa docet, quam habet in textu, cum benedictionibus omnibus ſpiritualibus: nec non illud etiam, quod totum electionis ſcopum deſignat, quam hoc ipſo capite, adoptionem, & alia, quæ dum vivimus, iſtic percipere ſolemus, extendendam eſſe Paulus ipſe docet.

Cum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

Cum igitur ſæpius in Scripturis non renovationem ſolam, ſed & juſtificationem etiam complectitur, ut Ioh. 17.17. Heb.9.14. & 10. & 13. maximè conſentaneum videtur, ut abſolutionem etiam illam in iſtâ ſanctificatione compre-henſam eſſe credamus. Idem etiam ſentiendum de locis illis parallelis, Eph. 5. 26. Col. 1. 20. quandoquidem to-tus fructus, & amoris, & mortis Chriſti, in illa ſanctifi-catione ponitur, qui tamen intra cæli terminos contine-ri non poteſt, ſed eccleſiam ſibimet deſponſatam, quam-vis peregrinantem in terris, & militantem, per imputa-tionem tamen immaculatam ſiſtit, & gradatim etiam ef-fectivè purgat. Hæc ſi vera ſint (ut ſunt veriſſima) & ab interpretibus optimis probata, tum toto cælo aberrant illi, qui ad cælum ſolum reſtringunt, tam latè patens be-neficium: quamvis colophonem ejus in cælis exſpectare jubemur per fidem. 3. In eo verò quod procul omni du-bio affirmant inculpatam iſtam ſanctitatem non poſſe in-telligi, niſi de conditione fidelium in cælis futurâ, contra-rium manifeſtum ſatis erit, ſi eximium illum locum inſpe-xerint, qui eſt ad Phil. 2. 15. ubi fideles eo vocantur, ut irreprehenſibiles & inculpati ſint ἵνα γένησθε ἄμεμπτοι, τέκνα θεῦ ἀμώμητα, ἐν μέσω γενεᾶς σκολιᾶς, &c. *in medio generationis & mundi præſentis.* Lucidius nihil ab ipsâ luce proferri po-tuit, aut ad rem iſtam accomodatius. Piſcatoris abutun-tur nomine, cum eum dicunt locum illum Eph. 5.26.27. non aliter interpretari quam de conditione fidelium in cælis: quamvis enim beneficium illud ſanctificationis non conſummatum fore tradit ante nuptias agni in cælis per-agendas, apertis tamen verbis in Analyſi dicit verſ. 26. loqui *de purgatione illâ, quæ eſt remiſſionis; & verſ. 27. partim etiam 26. de illâ quæ fit per efficaciam Spiritus ſanctificando ſeu renovando corda credentium indies magis ac magis.* Neque Muſculo ſunt æquiores dum ipſum in eandem ſententiam trahunt: Quamvis enim perfectionem ſanctitatis non-

niſi

niſi in cælis futuram docet in Eph. 5. 26. *Intereà tamen ſanctificari nos ac mundari monet ſanguine, ſpiritu, verbo & Baptiſmo, per fidem in Chriſtum*: quod plenius ad Eph. 1. 4. exponit: unde etiam ſententiam ſuam petendam eſſe dicit ad Eph. 5. 26. & Col. 1.2.6.

5. Simili planè modo quo verſum illum quartum torquent ad quintum etiam reſpondent: dicit Apoſtolus *prædeſtinatos nos eſſe in adoptionem filiorum*, quæ ſine fide non poteſt acquiri. Ioh. 1. 12. unde colligere promptum eſt ad fidem etiam nos prædeſtinationis virtute deduci. Reſpondent illi. 1. *Deus conſiderat adoptandos vt fideles, & qua tales prædeſtinat eos ad adoptionem*. Sed & cum Scripturis pugnat hoc, & cum rectâ ratione. Adoptio enim eſt extraneæ perſonæ in familiam & jus filij vel filiæ aſſumptio legitima. Adoptatio noſtri, per Deum, filios nos Dei facit: tales autem facti ſumus per fidem, fides enim eſt fundamentum ipſum relationis hujus vel adoptionis in actu: in fidei igitur ingeneratione, adoptionis ratio includitur. Jam verò id ad quid aliquid prædeſtinatur, eſt extra ipſum, quod prædeſtinatur: nemo deſtinat rem ad id, quod in ratione ipſius rei concluditur. Homo non prædeſtinatur ut habeat animam: neque animal rationale ut ſit homo: nam qui unum dicit alterum includit. Iſaacus jam generatus ab Abrahamo non prædeſtinatur ut ſit ejus filius, in generatione continetur ipsâ. Eodem planè modo per fidem à Deo generatus, non poteſt prædeſtinari ut fiat filius, aſſumis enim eſſe filium, cum dicis per fidem regenitum. Efficaciſſimum hoc eſt argumentum, etiam ad quæſtionem hanc totam clariſſimè demonſtrandam: qui namque ad relationem & ſtatum aliquem prædeſtinantur, ij ad fundamentum & rationem ejus non poſſunt non deſtinari. Cum David aliquando deſtinatus fuit ut Sauli fieret gener. 1. Sam. 18. ſimul etiam deſtinatus fuit ad Sauli filiam ducendam. Cum Saulus vel Paulus prædeſtinatus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

ſtinatus fuit ad apoſtolatum Rom. 1. & Gal. 1. an non eadem operâ deſtinatus etiam fuit ad vocationem illam, quâ ad illam functionem ſegregatus fuit actu. Sic qui in adoptionem deſtinati ſunt, deſtinantur etiam in filiorum Dei aſſociationem, vel cooptationem per fidem. Si verò ullius diſtantiæ momentum vel cogitatione comprehendi poſſit, inter fidei ingenerationem, ac filiationem vel adoptionē, ita ut ordinatio divina intercedere eas poſſit, prædeſtinati tamen fideles ad adoptionem non eſſent dicendi, quia nulla daretur hujus actus antegreſſio talis, qualem ratio vocis deſignat, nec tam fideles adoptionis quam adoptio fidelibus adjudicaretur. Inſtant Remonſtr. *Fidem ordine adoptionem præcedere, Iohannis teſtimonium oſtendit.* 1. 12. *ijs qui in Chriſti nomen credunt jus dedit, ut filij Dei fiant.* Si quidem ordinem talem intelligant, qualis inter generationem & filiationem, inter vocationem & functionem, aut inter quemlibet actum, aut relationem in eo fundatam, qui ordo rationis tantum eſt, tum nihil dicunt ad rem. Si verò cum Pontificijs quibuſdam *jus* illud filiationis, non de præſenti dignitate fidem ipſam concomitate, ſed de abſenti aliquâ & futurâ poteſtate, tum nihil ad locum dicunt, imo facilè refelli poſſunt ex verbis ipſis. Verbum enim hic uſurpatum ab Apoſtolo (γενέσθαι) non eſt futuri temporis, ſed præteriti aoriſti, utcunque latina lingua tam enucleatam diſtinctionem non ſatis exprimere valeat, ut rectè ac verè à D. Bezâ declaratur in hanc ſententiam, *ut facti ſint filij Dei*, non *ut fiant*, in futurum: quæ interpretatio hujus vocis, cum per ſe clara ſit, tum confirmationem habet ex verbis proximè ſequentibus, *ijs qui ex Deo geniti ſunt*, quæ ſatis oſtendunt non majorem dari diſtantiam inter fidem & dignitatē illam, quam inter genituram & ejus individuum honorem. Confirmatur etiam clariſſimè ex homogeneis illis ejuſdem Apoſtoli phraſibus Ep. 1. c. 3. v. 1. 2. *Videte qualem charitatem*) id

eſt qualem *dignitatem* ex charitate) *dedit nobis Pater, ut filij Dei vocemur: nunc filij Dei ſumus* (id eſt *ex Deo geniti ſumus*) ubi dignitatem noſtram apertè collocat in eo, quod *vocamur filij Dei*, & idem facit *vocari* & *eſſe*: hæc autem omnia fidẽ veram immediatè ſequi, ſequentia verba docent, *quiſquis habent hanc ſpem.* Spe igitur ſuâ prorſus falſi ſunt Remonſtr. qui ex iſtis adverſiſſimis ipſis locis patrocinium ſibi quærebant. In eo verò miſerandi ſunt, quod ad voculam illam *Nos* jam denuò confugiunt, quaſi aliquid extorquere vellent ex literis & ſyllabis invitis. *Nos* (inquiunt) prædeſtinavit: ergo fideles. Quam inops & egena ſit hæc ratio, ſatis ante monſtravi.

6. Capite primo ad Epheſ. jam aliquatenus vindicato, ſe-
Eph. 2. 10. cundum ſequitur ubi verſ. 10. hæc verba habentur, *Dei opus ſumus, conditi in Chriſto Ieſu ad opera bona, quæ præparavit Deus ut in ijs ambulemus.* Ubi omnia opera bona, vel obedientiam fidei totam, atque adeò fidem ipſam, ex Dei antecedente conſilio & intentione ſalutis noſtræ venire docemur. Reſp. Remonſt. *hic non eſſe ſermonem de electione, quæ eſt ab æterno, ſed de eâ quæ fit regeneratione.* Eſto, ſi tamen ſpecialis quædam & præveniens gratia, erga ſingulares quoſdam homines præ cæteris in ijs vocandis, regenerandis, & ad benè beatéque vivendum aptandis, ex iſtoc loco probetur, quin ab æterno hæc gratia fuerit per electionem ordinata, nemini dubium erit, qui Deum agnoſcit æternum. Reſp. 2. *præparationem hanc non eſſe hominum, ſed ut textus habet bonorum operum, quæ fit præſcribendo, præcipiendo, adhortando, & urgendo illa.* Sed 1. præparatio hæc omninò ad homines pertinet, non enim græcè dicitur *quæ* præparavit, ſed *quibus*, immediatum igitur præparationis hujus objectum ſunt homines ipſi, qui operibus iſtis præparantur. Hoc genere phraſeos 70 interpretes utuntur ſæpius: ut Prov. 23. 12. 2. Par. 4. 26. 14. Gen. 24. 14. 44. 2. Si non directè in homines hæc dictio feratur *præparavit*, ſunt tamen

men aliæ non minus pollentes, quæ manifeſta ſyntaxi referuntur ad homines, *ipſius ſumus opus conditi in Chriſto Ieſu ad opera bona.* 3. Condere homines ad opera, & præparare opera hominibus, cum ſimul conjunguntur, ſatis innuunt, præparationem iſtam ſic operibus tribui, ut hominibus interim nullo modo negetur. 4. Quod præparationem hanc in *præſcribendo* & *proponendo* conſiſtere putant, id ſine ullo exemplo aut etiam ratione faciunt, ſemel tantum (quod ſcio) præterquam iſtic, hoc verbum προετοιμάζω habetur in toto novo Teſtamento, id eſt, Rom. 9. 23. ubi apertè refertur ad ordinationem illam quæ vocationem præcedit, ſic enim in contextu ſequitur *vaſa quæ præparavit ad gloriam, quos etiam vocavit.* Præſcriptionem igitur & propoſitionem omnem hæc præparatio præcedit. Præterea verbi ipſius vis non eſt negligenda *προητοίμασε ante præparavit*, quod antegreſſionem diuturnam indicat actus hujus divini, ante opera bona, & vocationem ad ipſa. Deinde ſcopus Apoſtoli non patietur, ut præſcriptionem & propoſitionem per præparationem intelligamus. Id enim infert Paulus ut operibus detrahat juſtitiæ noſtræ laudem, & gratiæ deferat ſoli: jam verò operum bonorum præſcriptio, propoſitio, &c. nihil omninò facit aut ad opera deprimenda, aut ad efferendam gratiam: ſub lege enim bona opera præparata fuerunt, præſcribendo, proponendo, præcipiendo, adhortando, & urgendo.

Reſp. 3. *Si hæc verba de præparatione quæ electione ſit intelligantur, illa tamen pertineret ad fideles, quia dicit Apoſtolus Nos.* Tertiò jam elumbem hanc rationem obtruſerunt Lectori: quem inſulſum valde ſpopondiſſe ſibi videntur quem enim cordatũ adducere poſſunt, ut fideles credat homines, antequam conditi fuerint à Deo; aut opus ejus potuerint appellari, aut ad ullum opus bonum ullo modo præparati? ſic tamen nos ineptire jubent, qui *nos* tam improbè vexant & urgent importunè in iſto loco, ubi noſtra

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

factura vel creatio prima (quæ gratiæ eſt) per Apoſtolum in eum finem urgetur, ut nihil eam boni antecedere potuiſſe demonſtret.

Act.13.48. De eximio illo teſtimonio, quod Act. 13. 48. habetur, (*Crediderunt quotquot ad vitam æternam ordinati erant*) eoſdem illos cavillos movent quos ante. *Non ineſt quod aſſumitur*, inquiunt, *de Prædeſtinatione, neque verbotenus, quia non dicuntur ibi à Deo ordinati, nec præordinati ſed ordinati tantum; Neque virtute tenus, quia habitudo quædam interna per ordinationem intelligi debet, ut manifeſtò apparet ex oppoſito comparationis membro verſ. 46. Indignos vos ipſos decernitis æternâ vitâ.* Præpoſtera hæc loci detorſio in argum. 4. prioris partis jam examinata eſt. Eò reſpiciat ſtudioſus Lector, & ſimul loca Socini illic notata, conferat cum his verbis, quæ quaſi ejus ore excepta videbit. Nunc auctarij loco, paucis expendam illas argutationis hujus partes, quibus plurimùm ſe tribuere & maximè confidere produnt. 1. Cogniti & præcogniti, definiti & prædefiniti, deſtinati & prædeſtinati, eodem ſenſu ſæpius reperiri, Remonſtrantes ipſi nequeunt aut ignorare, aut etiam diffiteri, imò
Pag. 119. ipſimet poſteà in verbis Apoſtoli, quæ 2. Tim. 2. 19, habentur ex verbo ſimplice (*novit*) præſcientiam colligunt, ſine ulla ratione ſubjunctâ. 2. Verbum ipſum adſignificationem habet pluſquam perfectam, quod ejuſdem planè valoris eſt, ac ſi dicti fuiſſent *præordinati.* 3. Qualiſcunque hæc ordinatio fuerit, homines eam pro objecto habuiſſe, & Deum pro auctore, tam clarum eſt, ut illi ipſi qui ſcrupulum hunc injecerunt (*non dici à Deo ordinati*) eodem quaſi ſpiritu fatentur eſſe gratuitum quid, per Dei verbum ac Spiritum effectum. Quod idem eſt ac ſi *ordinatos a Deo* dicerent. 4. Comparatio illa verſ. 48. cum 46. eadem facilitate reijcitur, quâ affirmatur. Nam 1. ſubjectum illud proximum, cujus limites determinantur per iſtam particulam ὅσοι, *quotquot*, illis verbis deſcribitur

à Lucâ:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

à Lucâ: *Gentes autem hæc audientes.* Comparatio igitur propriè non inter Iudæos & Gentes, ſed inter Gentium partem unam, & alteram, inſtitui videtur. 2. Si mutuò ſeſe reſpicerent deſcriptiones iſtæ, *decernebant ſe indignos vitâ æternâ, & ordinati erant ad vitam æternam*, nihil tamen prohibet quin meritum humanum ab unâ parte, & ab alterâ miſericordiâ divinâ conferantur invicem inter ſeſe. Sic Moſes olim Deut. 9. 5. *Non propter juſtitiam tuam, aut propter rectum animum ingreſſurus es, &c. Sed propter improbitatem gentium ipſarum, Iehova Deus tuus expellit eas à facie tuâ, & ut præſtet verbum quod promiſit.* 3. Vox ipſa quam uſurpat ibi Paulus (*decernitis*) optimè patietur oppoſitionem illam decreti, vel ordinationis divinæ: internæ verò & inhærentis qualitatis, non ſatis aptè.

Tria reſtant ex Iohanne deſumpta teſtimonia cap. 6. 7.
verſ, 37. *Quidquid dat mihi Pater ad me veniet.* & Cap. 10. *Ioh. 6. 37.*
verſ. 26. *Sed vos non creditis: non enim eſtis ex ovibus meis.* Ioh. 8. 47. *Propterea verba Dei non auditis, quia ex Deo non eſtis.* De primo reſpondent, referendo Lectorem ad ea quæ ſupra dixiſſent. *Pag. 92.* Sed ibi nihil habetur quod bis legi mereatur, ſemel enim lectum ſuo ſe indicio tenuitatis prodit. Nihil enim definiunt de ſenſu loci, ſed ſcepticè tantum ſupponunt, *ſi hoc, ſi illud*, non audent ſtatuere, quid ibi Chriſtus velit, quia nullam rationem interpretandi norunt, nec poſſunt quidem honeſtam aliquam excogitare. Certum eſt per illud *venire ad Chriſtum* nihil aliud intelligi quam *credere in eum*, Chriſto ipſo interpretante, verſ. 35. *Qui veniet ad me nequaquam eſuriet, & qui credit in me non ſitiet unquam.* Certum etiam donationem illam Patris eſſe actum aliquem Dei fidem iſtam antecedentem, ex quâ tamen fides neceſſariò tandem ſequetur. Sic verba clamant ipſa, *Quidquid Pater mihi dedit, ad me veniet.* Unde patet (quod negant) manifeſtò, hunc nempe locum ad rem ipſiſſimam pertinere. Secundus locus eſt

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

Ioh.8. 47. Ioh. 8. 47. *Propterea vos non auditis, quia ex Deo non eſtis.* Opponunt autem duo. 1. *Si ex Deo eſſe, idem ſit quod à Deo electum eſſe, tum ex Diabolo eſſe, verſ.* 44. *idem eſſet quod à Diabolo electum eſſe, nam eadem eſt phraſis.* Cujus argutationis autor primus fuit Fauſtus Socinus (ut videre eſt in ejus diſp. de Chriſto Servat. parte 4. c.12.) ſed invalidam eam eſſe ex alijs Scripturæ locis, potuiſſent Remonſtrantes obſervare. Nam eadem etiam phraſis eſt Ioh. 6. *comedere panem corporeum, comedere mannam, & comedere Chriſtum.* Hoc tamen ultimum, Comedere, ſolum idem eſt quod Credere, non cætera. *Sic naſci ex Deo* ſignificat regenerari per inſpirationem vitæ novæ: non ſic *naſci ex Diabolo*, aut *naſci ex mundo*, eadem diſcriminis ratio eſt, inter *eſſe ex Deo* & *eſſe ex Diabolo*: illud quatuor continere videtur, originationem quandam â Deo, divinam virtutem generantem, poſſeſſionem divinam, & Dei etiam imitationem, quibus quatuor ſunt in altero aliquatenus reſpondentia, ſeductio per Diabolum à principio, efficax obduratio, poſſeſſio, & imitatio. Proportio hęc ſatis juſtam cauſam continet ejuſdem uſurpandæ phraſeos: ſed ut eadem penitus originis ſit utrimque ratio, ita ut ex Deo illi non ſint per electionem, niſi hi etiam ex diabolo eodem exiſtant modo, iniquiſſimum eſt hoc ut proponatur, & Chriſtianis indignum. 2. *Sed Beza* (ajunt) *hunc locum aliter explicat, aſſerens ſenſum loci eſſe hunc, propterea ex Deo non eſtis, quia verbum Dei non auditis.* At verò hoc non eſt aliter explicare locum, quoad ſententiam ipſam, ſed ſeriem commutare verborum, & argumenri ordinem, vel formam in aliam ſpeciem vertere. A causâ ad effectum argumentatum eſſe Chriſtum affirmant alij, ab effecto ad cauſam Beza mavult: de rebus ipſis effecto, ſcilicet, & cauſa, nulla varietas apparet.

Ioh. 10,26 De tertio loco Ioh. 10. 26. *Vos non creditis quia non eſtis ex ovibus meis*, tria regerunt Remonſtr. 1. *Ovem Chriſti eſſe,*

non eſſe omninò idem quod ad vitam æternam electum eſſe: quia Matth. 10.6. *&* 15. 24. *domum Iſraëlis oves perditas appellat in quibus multi erant non electi.* Sed eadem planè ratione probare poſſint etiam *electum* eſſe, non omninò idem eſſe quod *electum* eſſe, nec *ſanctum*, quod *ſanctum*, nec *juſtificatum* quod *juſtificatum*, aut filijs Dei cum Dei filijs. Iſtis enim omnibus titulis integri cætus ornari ſolent in Scripturis, in quibus tamen multi non tales erant. Imò ijdem huic Iſraëlis populo hæc omnia ſæpè tribuuntur, ne dicam ſæpius, quam ovis appellatio. 2. *Sequi dicunt ex interpretatione noſtrâ infidelitatem eſſe fructum Reprobationis.* Sequitur fidem eſſe fructum electionis & infidelitatem obfirmatam conſequens & ſignum eſſe reprobationis, vel electionis negatæ, non autem fructum aut effectum proprium. 3. *Genuinum ſenſum affirmant eſſe, propterea non credidiſſe, quoniam Chriſtum non agnoſcebant paſtorem, neque vocem ejus audire volebant, &c.* Sed ſenſum prius oſtendere debent, quam ut genuinum laudare. *Credere* in iſtoc loco idem planè eſt quod *audire* in priore, eò igitur interpretatio hæc redit, quaſi diceret Chriſtus, *vos non vultis audire, quia non vultis audire.* Hactenus de argumento ſecundo.

CAPVT XIII.

Argumentum tertium.

P. 118.

SI *electio ſit conditionalis ex hominum voluntate pendens, eſt etiam incerta: ſed eſt certiſſima, prout natura, voluntas, potentia, & conſilium Dei.* 2. *Tim.*2.19. *Rom.*9.11. *Iacob.* 1.17. *Num.*23.19. *Iſ.* 14.27. *&* 46.10. *Ergo non eſt conditionalis.* *Electionem non eſſe conditionatam: quia certa eſt.*

Reſponſio Remonſtr. ad quatuor hæc redit. 1. Negant illud quod in propoſitione ſupponitur, & pro confeſſo habetur, *electionem*, ſcilicet, *ex eorum ſententiâ conditionalem eſſe.* 2. Conſequentiam propoſitionis negant & refellunt,

quæ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

quæ fidem innuit ut conditionem electionis incertitudinis cauſam eſſe. 3. Incommodum graviſſimum oſtendunt hujus collectionis. 4. Scripturæ locos favere dicunt ipſis. De hiſce ordine.

1. *An Remonſtr. ſtatuant Electionem conditionatam.*

In primâ illâ reſponſionis parte, non jam de jure quæritur, ſed de facto ſolo: *Vibretur*, inquiunt, *hoc argumentum in eos, qui dicunt electionem eſſe conditionalem.* Hoc non eſt noſtrum. An eorum igitur hoc ſit, quod abſurdum agnoſcunt, dum ſuum eſſe nolunt, ex ijs videamus, & principijs, & concluſionibus, quas pro ſuis agnoſcunt. 1. Decretum electionis, vel conditionale, vel abſolutum eſſe, neceſſe eſt ut ſtatuant, ſed abſolutum negant, & in hac ipsâ primæ theſeos tractatione, id ipſum eſſe quod refutare conantur, eſt ubi profitentur ipſi, pag. ſcil. 428. Vel igitur conditionalem electionem defendunt, vel nullam admittunt. 2. *Voluntatis divinæ veram ſpeciem ſtatuunt conditionalem.* Sunt verba Simonis Epiſcopij (qui Remonſtrantium unus eſt, & Profeſſor etiam Leydenſis) in Diſput. de Voluntate Dei Theſ. 25. 3. Voluntas hæc conditionalis vel eadem eſt cum illâ, quam antecedentem appellant, vel eam ſaltem comitatur ut affectum naturalem voluntatis proprius actus, ita ut fundamentum ſit evangelij totius, promiſſionum, exhortationum, vocationis, & gratiæ oblatæ. Exinde namque hæc omnia fieri dicunt, quia Deus vult omnibus hominibus ſalutem. Fundamentum igitur commune eſt electionis ipſius. 4. Hinc ſequitur Decretum illud generale quod Deo tribuunt, *volo ſalvare fideles*, quod dupliciter poteſt intelligi, vel ut axioma, & ſententia ſimplex generalis, quo ſenſu nihil vult creaturæ (ut Arminius rectè obſervat in Perk. p. 196.) ſed vult inter ſe cohærere duas res indiſſolubiliter, fidem & ſalutem: vel poteſt etiam accipi, ut in homines ipſos fertur, id quod neceſſarium eſt, ad efficaciam decreti, quo ſenſu axioma compoſitum, connexum, vel conditionatum

natum, evadit, *ſi crediderint ſalvi erunt.* Decretum iſtud conditionatum, decretum & electionem conditionalem Remonſtrantes appellant. *Deus* (inquit Nicol. p. 23.) *decrevit ſalutem conferre ſub conditione fidei præſtandâ ab ijs, quibus ſalutem applicaret.* Et p. 101. *Neque certè intelligo ut magis certa vocari poſſit electio decretum ſingulare, quam decretum illud ipſum conditionale, de quolibet, ſi credat, ſervando: certò enim ſtatuit de omnibus ſub conditione certâ:* p. 12. *Actiones illas Dei conditionatas vocamus, quas interveniente actione humanâ exercet.* p. 21. 23. *Ratio, intentio, voluntas applicationis, eſt conditionata.* Hanc etiam electionem nihil aliud eſſe dicunt, quam evangelium vel evangelij promiſſionem. Arminius Declar. ſent. p. 48. Nicol. p. 195. Remonſtr. Collat. p. 66. *Promiſſionem autem evangelicam conditionatam eſſe qui negaverit, ipſum quoque evangelium negabit,* ait Nicol. Grev. p. 138. Qui electionem igitur iſtam conditionatam eſſe negant, quid illi negando non audent? 5. Ex iſtoc uno decreto, *volo ſalvare fideles,* duo alia emanant, de fide unum, & alterum de ſalute, quorum etiam utrumque eſt conditionatum. *Decretum de fide huic ingenerandâ, non abſolutum, ſed ordinatum & conditionatum ſtatuo,* dicit Nicol. p. 117. Hoc tamen decretum, *electionem ad fidem* appellant, quæ conditionem poſtulatam, & prærequiſitam habet, concurſum liberum arbitrij humani. Alterum decretum de ſalute conferendâ jam actu credenti fit: & eſt electio ad vitam ſingularium certorum quorundam hominum, quos credere videt, vel credituros prævidet Deus. Hæc autem electio, vel ita conſiderari poteſt, ut fideles reſpiciat viatores in terris hiſce, vel ſic, ut eos tantum ſpectet qui jam vixerunt. Si referatur ad homines in terris militantes (quomodo in Scripturis perpetuò ſolet) tum hæc etiam electio eſt conditionalis (ex Remonſtrantium ſententiâ) incompleta, & revocabilis. Sic enim Nicol. Grevinch. p. 136. 137. *Ut ſalutis noſtræ bona ſunt incompleta in*

hac vitâ, quæ continuantur fide continuatâ, & abnegatâ fide revocantur: ſic electio eſt incompleta in hac vita, non peremptoria, non irrevocabilis. Electio igitur illa quam intelligit Scriptura, cum particulares fideles, in eccleſijs varijs degentes, ornare ſolet electorum nomine, ex Remonſtrantium opinione eſt cōditionalis. Illa verò altera, completa & conſummata electio, quæ hominem ſpectat, ut vitæ curſum jam totum emenſus eſt, citra legum præſcripta, & conditionum omnium officia, niſi ante præſtita, cujus nullum ſenſum aut fructum haberi fatentur in terris: hæc inquam electio quamvis tunc non confertur in caſum futurum, & dubium eventum, conditionalis tamen dicenda eſt, reſpectu conditionis præteritæ & præſtitæ, ratione cujus exiſtit. Neque video ſanè quomodo ab æterno hæc electio dici poſſit abſoluta fuiſſe, à Remonſtrantibus, qui in tempore eam conditionatam, contingentem, & indeterminatam affirmant. Prout enim fides, perſeverantia, & ſalus Petri jam viventis eſt, ſic etiam & electio ejus eodem tempore: ſed fides & perſeverantia Petri viventis eſt planè contingens. Satis utrumque liquere feci, electionem ab ijs, & fieri, & dici, conditionalem, id quod apertè etiam ex eo probatur quod *juſtificationis & electionis decreta conformia & uniformia* cum fecerint, juſtificationem tamen & conditionalem, & revocabilem ſtatuunt. Hactenus de propoſitionis priore parte, conſequentia ſequitur.

Nicol. p. 138. — *Nicol. pag. 111.* — *Idem pag. 136. 137.*

2. Dicunt igitur ſecundò, *fidem in electione non conſiderari ut conditionem, aut eventum incertum, ſed ut donum collatum præſens & certum, atque adeò fidem prævisam non reddere electionem incertam.* Sed 1. fides in electione illâ, quæ in viventes fertur, non ſpectatur ut præſens, aut ſaltem non ſolum ut præſens, ſed futurum etiam aliquid. Nam ut ante monſtravi generalis electio fidelium, & electio ad fidem, fidem ſpectant ut adhuc futuram: Electio incompleta reſpicit

picit eam partim præſentem, ac partim futuram. 2. Illud in fide quod propriam rationem conditionis habet ad voluntatem divinam de ſalute noſtrâ, non ſpectatur ut *donum Dei*. Non dicent Remonſtrantes Deum præſcribere, exigere, poſtulare ab homine præſtandum donum ſuum proprium, quâ tale eſt. Tunc enim totum ſuum ſtatum haberet promiſſio ex voluntate promittentis. Sed ſub hac conditione *ſi volam*, *ſi donem*, nullam promiſſionem, aut obligationem fieri, juriſperiti benè monent. Aliud eſt quod volunt, cum Deum decreviſſe dicunt ſalutem conferre ſub conditione fidei præſtandæ à nobis, non donando à ſeſe. 3. Fidei conditionẽ ut nobis pręſcribitur, non eſſe tantum, ſed oportere etiam incerti eventus eſſe, Nicolaus Grevinchovius contendit. pag. 138. *Conditio omnis lege præſcripta, ex parte noſtrâ mutabilis eſt & contingens, ſic ut eam præſtare & non præſtare poſſimus: præſcribitur enim creaturæ liberæ.* Ab iſtâ igitur conditione ſi electio noſtrâ penderet, non poſſet non eſſe incerta. *Nicol. pag. 23.*

Cum vim argumenti frangere non poſſent incommodis illud diffamare ſtudent.

3. *Si* (inquiunt) *omne conditionale ſit incertum, tum æternum Dei decretum, de filio ſuo in mundum mittendo, fuit etiam incertum, quia pendebat ex eo quod primus homo, ex libera & mutabili voluntate, peccaret, vel non peccaret.* Reſpondeo, non parem, imò non ſimilem eſſe rationem. Nam argumentum propoſitum inſtitutum fuit de conditione præſcripta, poſtulatâ, & in hunc finem præſtandâ, ut promiſſio ſit rata, quæ confertur in illam. Hujuſmodi conditionis natura poſtulat, ut rem illam cui adjungitur, reddat ſemper incertam, uſquedum actu perficiatur: hæc enim conditio eſt *adjectio actum ſuſpendens*, prout â juriſconſultis rectè ſolet definiri. Exemplum adfertur, & quaſi parile multis verbis urgetur, de conditione non præſcriptâ, non poſtulatâ, non in hunc finem præſtitâ, ſed antecedente ſolummodo,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

modo, ut occaſione ſine quâ non: hæc talis enim eſt conditionalis illa ratio, quam peccatum Adami ad Chriſti miſſionem habebat.

4. Obtorto quaſi collo, Scripturæ teſtimonia per noſtros
2. Tim. 2. propoſita in ſuas partes cogunt. 1. Ex 2. Tim. 2. 19. ſic ar-
19. guunt: *Solidum Dei fundamentum, id eſt, electio ſtat, habens hoc ſigillum, Deus novit ſuos, ergo ſolidum electionis noſtræ ad ſalutem fundamentum, ſtat, ac nititur, præſcientiâ, quâ Deus novit ſuos, id eſt, fideles.* Sed potius hic ingenij luſus quam probatio eſt. Nam 1. non dicitur in textu ſtat ſuper ſigillo, vel nititur ſigillo, vt iſti referunt, *ſed fundamentum Dei ſtat, habens hoc ſigillum,* &c. ita ut conſiſtentia non referatur ad ſigillum, ſed ad conſtantiam Dei, ponentis hoc fundamentum. 2. Neque vox illa, *ſigillum,* ullam vim habet ad fundamenti rationem præſcientiæ deferendam, ita ut illâ nitatur electio, quoniam obſignat electionem. Nam *qui credit, obſignat quod Deus verax eſt.* Ioh. 3. 33. Fide tamen hominis non nititur ac ſtat veracitas Dei. 3. Mirum eſt eos hic *præſcientiam* elicere ex verbo ſimplici *novit,* qui nuper non ſinerent nos præordinationem colligere ex *ordinati*, Act. 13. 48. cum tamen illic nemo interpretum præordinationem non intelligat, hic verò doctiſſimi ex uſu Scripturæ, & analyſi contextus per *novit* intelligunt *amat.* 4. Sigilli hujus duo ſunt membra, *novit Dominus qui ſunt ſui: & abſcedat ab iniquitate, quiſquis nominat nomen Chriſti:* quæ duo non debent à ſe mutuò divelli in actu ſignandi. Si igitur priore nitatur electionis fundamentum nititur etiam & altero, id eſt, receſſione ab iniquitate, aut reformatione vitæ.

Rom. 11. 9. 2. Ex Rom. 9. 11. probant electionem niti fide, quia dicitur, *non ex operibus, ſed ex vocante*, id eſt (inquiunt illi) *ex fide.* Si per fidem intelligant fidelitatem & veracitatem promittentis Dei, rectè loquuntur, ſed nihil in rem ſuam. Si verò fidem velint hominis vocati, per vocantem Deum

intelli-

intelligi, mentem in illis ſanam, & bonam fidem nemo non deſiderabit, qui vel locum inſpexerit, vel audiverit verba. 3. Interrogationes nonnullas adjiciunt in fine, quę nihil continent novi: Nec opus eſt ut quidquam ijs reponam. Uni tamen, aut alteri, ſubijciam reſponſum. *Ecquis unquam* (rogant) *negavit Deum eſſe immutabilem naturâ ſuâ & voluntate*, &c. Reſpondeo, poſt Conradum Vorſtium, Simon Epiſcopius hoc quaſi negaſſe videtur. Diſput. de Voluntate Dei. theſ. 7. *ubi affirmat, multas varias & diverſas eſſe volitiones Dei: & earum aliquas certo quodam tempore deſinere.* Neque ſatis certum eſt, an contrarium à Remonſtrantibus hoc ipſo loco ponatur. Sic enim quæſtionem inſtituunt: *Ecquis unquam negavit Deum eſſe immutabilem naturâ ſuâ & voluntate, conjunctis unà cum potentiâ infinitâ & ſoliditate conſilij ejus.* Ubi clauſulam poſteriorem (*conjunctis una, &c.*) tam dubiâ ſtructurâ formarunt, ut vel differentiam conſtituat unius voluntatis ab aliâ, quaſi omnis voluntas Dei propria & libera, non conjunctam haberet potentiam infinitam & conſilij ſoliditatem, ut ſit immutabilis, ſed quædam tantum: vel ſic accipi poteſt, ut confirmatio ſit veritatis propoſitæ de immutabilitate voluntatis divinæ. Priore ſenſu videntur loquuti, quoniam alibi doctrinam ſimilem habent: ſic enim Nic. Grev. p. 271. *Nobis certum eſt Deum multorum converſionem & ſalutem intendere, in quibus eam non aſſequitur.* Cujus fruſtrationis hanc reddit rationem p. 272. *quia Deus homini convertendo omnipotentem vim adhibere nolit.* Et Remonſtr. hoc ipſo colloquio p. 326. & 327. *Decretum potenter aliquid efficiendi* alius generis eſſe dicunt quam decretum hominis ad fidem & ſalutem producendi. Utcunque hoc fuerit, argumentum propoſitum intactum relinquit implicatum hoc reſponſum: ſic enim ratio fuit, natura divina eſt immutabilis, ergo voluntas, nec deeſt potentia, ergo firmum conſilium vel immutabile, & per conſequens non pendet, quoad even-

Vorſtius de Deo pag. 212.

eventum, ex arbitrio hominis incerto. Reſpondent Remonſtr. *Naturam & voluntatem immutabiles eſſe, conjunctas cum potentiâ infinitâ & ſoliditate conſilij.* Quid hoc ad argumẽtum? Addunt inſuper *quid, inferetur hinc electionis noſtræ certitudo? illa à nemine negatur.* Nicolaus Grevinchovius tamen ex Arminio diſputat. p. 100. 102. electionem non dicendam eſſe *certam*, quia certitudo ad ſcientiam ſpectat, & electio ad voluntatem. De verbis non contenderent viri graves, ſi rei faverent ipſi. Incertam etiam & mutabilem ab ijs fieri electionem illam omnem, quæ ſpectat ad vivos, & cujus fructum, & ſenſum, habemus in hac vitâ, ſatis ante monſtravi. Nec demonſtrationem apertiorem ullam deſiderare poteſt Lector, quam eſt ratio ſupra memorata: *electionis & juſtificationis decreta Remonſtrantium ſententiâ ſunt uniformia & conformia*: ſed juſtificatio, eorum ſententiâ, eſt incerta & revocabilis: ergo & electio.

Nicol. pag. 111. Idem pag. 136. 137.

CAPUT XIV.

Argumentum quartum.

P. 120.

Fidem præ viſam non eſſe cauſam electionis probatur ex reſponſione Apoſtoli ad object. Rom. 9. 14

SI fides præviſa, obedientia, & perſeverantia, habendæ ſunt electionis cauſæ, & conditiones præcedaneæ, tum Apoſtoli objectio, quam doctrinæ ſuæ de electione opponit, Rom. 9. 14. (quid igitur dicemus? num Deus injuſtus eſt?) nihil haberet coloris. Nulla enim injuſtitiæ ſpecies ineſt decreto hujuſmodi, quò eliguntur ij qui antecedenter ut credentes, obedientes, & perſeverantes in præſcientiâ ſpectantur, neque alio modo ſolviſſet objectionem illam Apoſtolus, ſi ita ſenſiſſet, quam claram & evidentem rationem reddendo tam electionis quam reprobationis, ex fide, obedientiâ, & perſeverantiâ, præviſis in quibuſdam, & non in alijs. Sed ſpecioſam objectionem proponit Apoſtolus, & alio modo reſpondet. Ergo.

Multa hic regerunt Remonſtrantes: argumentum tamen non labefactant.

Omnes

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

Omnes Objectiones (ajunt) *non debent eſſe probabiles: rudes multas ſingit Apoſtolus Rom.*3.1.2.3.4.5.6,7.8. *&* 6.1. 1. *Cor.*15. 32. *neque ullas rationes habebant Iudæi, tale quid objiciendi Apoſtolo, qui doctrinam ſuam tantâ miraculorum virtute confirmabat.* Sed 1. rectè Ariſtoteles monebat olim Rhetor. lib. 2. c, penult. ὥσπερ ἐπὶ τῶν ἐριστικῶν, τὸ κατὰ πρός τι καὶ πῇ οὐ προστιθέμενα ποιεῖ τὴν συκοφαντίαν καὶ ἐνταῦθα παρά τὸ εἰκὸς εἶναι, μὴ ἁπλῶς ἀλλά τι εἰκός. hoc eſt, *Sicut in Sophiſticis diſputationibus cavillatio admittitur, cum diſputat quis à dicto ſecundum quid ad dictum ſimplicitur: ſic in rhetoricis eadem eſt captio à probabili ſecundum quid ad probabile omninò.* Hæc enim illa fallacia eſt quam exercent iſti. Probabile dicitur illud, quod videtur ita eſſe ex veri ſimilitudine apparente: ſimpliciter igitur probabile eſt, quod cuique, vel pleriſque omnibus, ita videtur: probabile ſecundum quid, τὶ εἰκὸς, eſt quod aliquibus ita videtur, & ſpeciem aliquam veritatis præ ſe fert. De poſteriore hoc inſtituitur argumentum, ut ex verbis illis apparet *nihil haberet coloris:* de priore illo reſpondent Remonſtrantes, atq; adeò captioſè potius quam ad rem.

2. Aliqua ex parte & aliquorum reſpectu probabilia debent eſſe, quæ ſibimet vir gravis & ſerius, nedum Apoſtolus, objicienda putabit. Pertinet enim ad dignitatem & candorem diſputantis, cum adverſarij rationes refutare vult, pugnare ἢ πρὸς πάντα, ἢ τὰ μέγιστα, ἢ τὰ εὐδοκιμοῦντα. vel adverſus omnia, vel adverſus maxima, vel adverſus illuſtriora: ſeligere ea quæ ſunt εὐέλεγκτα, facilioris refutationis, hoc Sophiſtarum eſt, non gravium virorum. 3. Objectiones illæ quas occupat Apoſtolus Rom.3.&6. 1.Cor. 15. tantum colorem & ſpeciem ſecum ferebant, ut multorum animos probabilitate falsâ deciperent, ſicut ex locis ipſis apparet. 4. Illud autem nullam ſpeciem aut probabilitatem rationis habet, quod dicunt *Iudæos nullas rationes habuiſſe objiciendi ſic Apoſtolo miraculis claro.* Cenceditur

enim

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

enim nullam hujus facti rationem eſſe juſtam, ſed potuerunt interim in dictis aliquam adferre probabilitatis ſpeciem, imò verò ſic ſemper ſolet Satanas, & ejus operarij dolosè tam ſua, quam ſe, transfigurare in ſpeciem & ſimilitudinem veri, ut efficacius decipere poſſint. Quo verò major fuit Apoſtoli authoritas, & doctrina firmior, ſive ex miraculis, ſive aliàs, eo magis putandum eſt adverſarios omnes artes adhibituros fuiſſe, & in ſpeciem aut ſimilitudinem optimam ſeſe verſuros, cum ſententiam ejus impugnatum ibant.

2. *Apoſtolum nihil dixiſſe* narrant, *ex quo aliquo pacto probabiliter poteſt inferri, Deum eſſe injuſtum: iniqua igitur eſt objectio, & non ſollicitè excuſanda.* Iniquiſſimam eſſe fideles omnes norunt, imò prodigioſum humani ingenij furorem, ut rectè Calvinus: ſed infideli nihil magis videtur injuſtum, quam tam inæqualiter cum æqualibus agere, quam Deum feciſſe docuiſſet Apoſtolus verbis proximè præcedentibus. verſ. 11.12.13.

3. *Speciem habere potuit* ajunt *& habuit hæc objectio* (*doctrinâ illâ de electione ex fide præviſa non obſtante*) *ex eo quod Apoſtolus docuerat, fideles eſſe electos, non operarios, & gentes ad ſalutem vocari nunc à Deo, qui prius Iudæos in populum adoptarat.*

Si ex hâc doctrinâ de electione ex fide prævisâ, cum aliquâ probabilitate aut ſpecie, poſſit hæc objectio inferri, tum vel doctrinam illam non docuit Apoſtolus in priore ſaltem ejus capitis parte, vel falſum fuit, quod modo affirmabant Remonſtrantes *nihil dixiſſe Apoſtolum ex quo aliquo pacto probabiliter poſſit inferri Deum eſſe injuſtum.* 2. In generali illo placito *volo ſervare fideles*, Deum nihil omninò creaturæ velle dicitur (Arminius contra Perk. p.196.) nullam igitur injuriam inferendi ſpeciem videri poteſt habere. 3. Nullam injuriæ ſpeciem habet quod fit volenti: ſed excluſio Iudæorum à Chriſto Ieſu, & fide in ipſum, volentibus ipſis accidit & cupientibus. 4. Si fædus novum ſit merè

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

ſit merè conditionale,& omnibus tam Iudæis,quam Gentibus æquè commune (quæ ſententia eſt Remonſtrantium) ita ut nulla ſit diſparitas in electione ac diſpenſatione divinâ, antequam homo conditionem diſparem attulerit; tantum hoc abeſſet ab injuſtitiæ ſpecie, vt nihil aptius excogitari poſſit ad calumniam illam refutandam, neque opus fuiſſet Apoſtolo ad abſolutam Dei poteſtatem tam humanam legem referre, cum ſimplici explicatione rei obloquentis os potuiſſet obturare.

Bicipite quodam argumento ſententiam illam excludunt, quæ ſublimiorem aliquam hujus objectionis rationem reddit. *Vel* (inquiunt) *inde natam dicendum eſt objectionem illam,quia verba Moſis ac Malachiæ citaverat Paulus verſ.*13. *quæ tamen Iudæi quotidie legebant ſine offenſione, vel quoniam Eſavum ſic reprobatum fuiſſe docuerat,de cujus rebus non multum laborarent Iudæi, nec ſatis tum refutata fuiſſet ſequentibus illis, Miſerebor, cujus miſertus fuero,Non eſt currentis,neque volentis, ſed Dei miſerentis.* Sed 1. multa legebant quotidie Iudæi, quæ tamen ad verum ſcopum applicata, non potuerunt audire, ſine offenſione ſummâ: exemplum habemus. Luc. 20.17.19. ubi Pſalmiſtæ verbis illis offenduntur, *Quem lapidem reprobaverunt ædificatores, is factus eſt caput anguli*, & Act.28.15.ubi Eſaiæ prophetiam audire non ſuſtinuiſſe dicuntur, ſed *digreſſi ſunt cum Paulus illud verbum dixiſſet.* 2. Non tam de Eſaui perſona ſolliciti fuerunt increduli Iudæi, quam de ſemetipſis, nec tam de ſe, quam de totius humani generis conditione, quam nimis ab Apoſtolo deprimi, & Dei arbitrio ſubjici putabant, per argumentum Apoſtoli, de electione divinâ, humanis omnibus operibus priore,Iacobi & Eſaui exemplis tam illuſtratum,quam confirmatum. 3. Rufutatio illa, quam opponit Apoſtolus. verſ.15. 16. abundè ſufficit ad ſtabiliendos fideles, ne objectationibus hujuſmodi abripiantur, atque etiam ad retundendam ſuperbiam aliorum, qui nondum Pha- 4.

raonis aſſumpſerunt ſibi verba, *Quis eſt Iehova?*

5\. Duo adnotant in hujus argumenti fine. 1. *Doctrinam quam tradunt illi omnem excuſationem reprobis auferre, ac proinde juſtam, æquam, & veram eſſe. 2. Si non rejecti ſint reprobi propter præviſam infidelitatem, rationem illam exponi ſibi cupiunt, quâ tolli poteſt omnis excuſatio.*

Reſp. 1. Infirma nimis eſt ratio ab excuſatione ſublatâ ex rei cujuſlibet ſuppoſitione, ad ejus æquitatem generalem, ac veritatem etiam. Si in ſtatum integrum omnes homines reſtituerentur, & quidam deſererent eum denuò, eoque nomine rejicerentur, nonne haberent illi de quo quererentur? non ſequitur tamē idcirco hoc æquum, juſtum, ac verum etiam eſſe. 2. Æquum hoc homini videri poteſt, ita ut non habeat ipſe, de quo conqueratur, & Deo interim iniquum & conquerendi materia in illâ ſaltem parte, quâ fideles ab infidelibus diſcernentem cauſam propriam & primam, non Dei, ſed hominis electioni deferret. 3. Hoc unum ſufficit ad excuſationem omnem tollendam ab homine, quod nihil unquam patitur, niſi ex peccato: nec peccat, niſi ex voluntate.

CAPVT XV.

Argumentum quintum.

P. 123.

Electionem non eſſe ex præviſa fide, vel conditionatam, quia fides pendet a ſola Dei gratia.

SI *electio ſit conditionata, & reſpectu fidei facta, præſtatio hujus conditionis pendet vel à ſolâ Dei gratia, vel à ſolo hominis arbitrio, vel partim à Dei gratia, partim ab hominis arbitrio: ſed non pendet aut prorſus aut partim ex hominis arbitrio, ergo à ſolo Deo pendet: ac proinde electio non eſt conditionata reſpectu cauſarum & conditionum præcedanearum.*

Obſervant hic imprimis Remonſtrantes *contradictionem meram inveniri inter prius, quo dicitur, ſi electio ſit conditionalis pendet vel à Dei gratiâ, &c. & poſterius, quo dicitur, ſi electio ſolùm*

ſolùm à Dei gratiâ pendet eam non eſſe conditionalem: hæc (inquiunt) *ſunt planè contradictoria.*

Sed contradictio hæc partim ficta eſt à Remonſtrantibus, partim ex ipſorum verbis deſumpta. Nam 1. non dicitur in argumento, *ſi electio ſit conditionata, eam,* id eſt, electionem *pendere vel à Dei gratiâ ſolâ,* &c. ſed *ſi electio ſit conditionata, tum illam conditionem pendere, vel à ſolâ Dei gratiâ,* &c. neque dicitur in poſteriore parte, *ſi electio ex ſolâ Dei gratiâ pendet, eam non eſſe conditionatam.* Sed *ſi fides ex ſolo Deo pendet, tum electionem non eſſe conditionatam reſpectu cauſarum aut conditionum præcedanearum.* Contradictio eſt affirmatio & negatio axiomatis ejuſdem. Hic autem varia ſunt axiomata, contradictio igitur nulla. 2. Contradictionem quam formarunt agnoſcere debent ut ſuam; idque duplici nomine. Nam electionem conditionalem eſſe negant, & fidem interim electionis conditionem eſſe volunt: fidem etiam à merâ Dei gratiâ provenire dicunt, & à Deo tamen ut conditionem præcedaneam requiri, ut in gratiam nobiſcum redire poſſit, vel ex gratiâ nos pro ſuis agnoſcat.

Cætera quæ huc adferuntur vel prius examinata fuerunt, vel ad theſin quartam, ut ad propriam ſedem, ſunt referenda.

Ex Catecheſi & Confeſſione hujuſmodi formatum eſt argumentum. *Si fides ſit fructus Spiritus, tum etiam eſt electionis fructus. Spiritus enim ipſius donatio eſt fructus electionis.* 1.*Pet.*1.3. *Gal.*4.6. *Ioh.*14.17. *Sed fides eſt fructus Spiritus. Gal.* 5. 22. *Catech. quæſt.* 21. 65. *Confeſs. Art.*16. Ergo *eſt electionis etiam fructus.* Argumentum hoc non diſputationis lege ſolvitur à Remonſtrantibus, partem aliquam negando, aut diſtinguendo, ſed in portiunculas quaſdam ſcinditur, ut eo facilius impugnari poſſit. 1. Novam rationem formant ad hunc modum: *Quidquid Spiritus Sanctus operatur in nobis, & Spiritus fructus eſt, idem eſt fructus electionis: Spiritus autem*

Doctrina Confeſſionis & Catecheſeos Belgicæ de cauſa Electionis.

efficit fidem, & illa eſt fructus Spiritus: ergo. Hujus autem Syllogiſmi propoſitionem negandam eſſe putant, quia fructus quidam Spiritus ſunt alijs cum electis communes. Heb. 6.4.5. Sed. 1. fructus radicem arguit, & fructus Spiritus, Spiritum notat inhabitantem, vivificantem, ac radices agentem in illo corde, ubi oritur ille fructus. Communes igitur dotes, quamvis effecta ſint Spiritus, fructus tamen ejus non ſunt dicendi, nec propriè effecta Spiritus ſancti, vel ſanctificantis, qua talis: quia temporarij illi nunquam radicem habebant in ſe. Luc. 8.13. 2. Fides electorum, viva, ſola, conſtans, aliâ ratione, alioque propoſito fluit à Spiritu, quam evanida illa, quæ cæteris communicatur: unde illâ præditi *vocati* dicuntur, peculiari ratione, *ſecundum propoſitum.* Rom. 8. 28.

2. *Spiritus*, ajunt, *adoptionis in filios ab infidelibus non recipitur, ſed à fidebelibus, non ſequitur tamen hunc ſpiritum eſſe electionis fructum: quoniam qui credunt electi ſunt ad ſalutem & per fidem filij Dei facti.* Imò verò. 1. vel iſtinc ſequitur, ſi fideles eligantur primò, & dein filij Dei fiant, tum filiatio, & ſpitus filiationis, vel adoptionis, eſt electionis illius fructus. Vel enim intercedit aliquid, inter fidem & electionem, ita ut fidelium omnium, & ſemper, non ſit electio, vel electionem illam fidelium ſpiritus filiorum ut fructus ejus neceſſe eſt ut inſequatùr. 2. Spiritus antecedit fidem, ut cauſa effectum. Gal. 5.22. Sed Spiritum ipſum adoptio quædam in filios præcedit, *quoniam filij eſtis, Deus vobis dedit ſpiritum.* Gal. 4.6. adoptione verò illâ, quæ in tempore fit, electionem priorem eſſe, & Remonſtrantes hoc ipſo reſponſo concedunt, & res ipſa docet ſatis clarè: nemo enim hominum prius arrogat extraneum aliquem in filium, & dein eligit. Præpoſterum hoc eſſe tam leges, quam mores humani teſtantur, ſed prius eliguntur adoptandi, tum verò poſtea in ſtatum filiorum cooptari ſolent. Sic Deus nobiſcum ex abundanti ſuâ miſericordiâ,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

primò eligit in filios, quâdam æternâ, tum per Spiritum regignit, unde fides & ſpes exoritur viva. 1. Pet. 1. 3. Falluntur igitur, aut fallunt Remonſtrantes cum duos iſtos locos (Gal. 4. 6. 1. Pet. 1. 3.) nihil ipſis adverſarij contendunt.

Confeſſionis Articulus decimus ſextus an faveat Remonſtr.

Id verò quod ſequitur non poſſum ſatis mirari. *Quoad Confeſſionem* (ajunt) *Art. 16. illa eſt pro nobis, ut in argumentis noſtris perſpicuè oſtendimus, quocirca & nos parati ſumus palam ſcribere & ſubſcribere, quod fratres hic ſtatuunt, nempe electionem eſſe in Chriſto factam, nullâ operum noſtrorum habitâ ratione.* Nam. 1. opera bona conditionis illius non minimam eſſe partem, quam iſti prærequiſitam eſſe dicunt, ut electio ſequatur, tam dilucidè probavi ſupra, in conſtitutione cauſæ & ad Arg. 2. partis hujus ſecundæ: ut pudor planè ſit, eos hic denuò id fruſtrà diſſimulantes videre. 2. Quum perſpicuè ſe oſtendiſſe dicunt in argumentis, articulum iſtum pro ſe facere; oſtendunt perſpicuè ſe non multum habere penſi quid dicant, modo id cauſæ proſit. Nihil enim ibi oſtendunt prabando: ſed nudè tantum affirmant. *Quicquid in articulo continetur de miſericordiâ & juſtitiâ, & de electione in Chriſto, ſine reſpectu operum, ſuffragari omnino ſententiæ ſuæ, p. 71.* Satis etiam perſpicuè probatur articulum iſtum contra illos vel maximè facere; hoc argumento. Tota liberatio à peccato & perditione fructus eſt electionis: id Confeſſio apertè docet: ſed vocatio efficax & converſio ad fidem & obedientiam veram, eſt pars, vel gradus, liberationis illius, aut reſurrectionis à peccato & morte: hoc omnibus Chriſtianis eſt etiam in confeſſo: ergo vocatio efficax & confeſſio ad fidem eſt electionis fructus. 3. Hanc ipſam Confeſſionis hujus partem, quam hic pro ſe facere non verentur affirmare, eſt ubi damnant ijdem, ut verbo contrariam, & pietati noxiam. Sic enim p. 7. 8. ſecundam illam ſententiam quam damnant; proponunt, (ut amplificationibus illis remotis, quas ad invidiam

intruſerunt illi) nihil aliud contineat, quam hujus articuli mentem. Sic enim articulus ab ijs damnatus docet, ſepoſitis redundantijs illis, quæ ab illius dogmatis defenſoribus, non magis adhiberi ſolent in explicatione ſententiæ, quam ab ipſa Confeſſione; *Deum in decreto ſuo ſpectaſſe genus humanum, ut in peccato corruptum, ac proinde maledictionis reum, ex quo lapſu & damnatione decrevit aliquos ad oſtendendam ſuam miſericordiam ex gratia redimere ac ſervare, alios verò in maledictione, juſto ſuo judicio, ad juſtitiæ ſuæ manifeſtationem relinquere.* Hæc illa ſententia eſt, quam ex profeſſo impugnant: intermiſcent quidem aliquid de Infantibus, quod tamen alienum eſſe Arminius ipſe videbat, atque adeò omiſit in declaratione opinionis ejuſdē. Declar. ſent. p. 45. Aliquid etiam ſubjungunt de fidei & infidelitatis nullo habito reſpectu, quod falsò noſtris impingitur: niſi cauſæ vel rationis antecedentis intelligant reſpectum. Sententiæ damnatæ ſummam veram deſcripſi: jam Confeſſionem audiamus illam, quam pro ſe facere dicunt in oppugnatione ſententiæ prioris: *Credimus Deum poſtquam tota Adami ſoboles in perditionem & exitium, primi hominis culpâ, præcipitata fuit, ſe ipſum talem demonſtraſſe, qualis eſt revera, & miſericordem, & juſtum: miſericordem quidem, eos damnatione & interitu liberando, & ſervando, quos in æterno ſuo conſilio, pro gratuitâ ſuâ bonitate per Ieſum Chriſtum, Dominum noſtrum elegit, abſque ullo operum ipſorum reſpectu: juſtum verò; alios in illo ſuo lapſu & perditione relinquendo, in quem ſeſe ipſi præcipites dederunt.* Conferat hæc Lector cum prioribus illis, & facilè videbit, neque Remonſtrantes (in iſtâ ſaltem parte) favere Confeſſioni, neque Confeſſionem illis.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

ARTICULUS SECUNDUS, DE REDEMPTIONE VNIVERSALI.

Capvt I.

Status quæſtionis eruitur.

THESIS hæc his verbis exprimitur à Remonſtrantibus : *Proinde Ieſus Chriſtus pro omnibus ac ſingulis mortuus eſt : atque id ita quidem, ut omnibus per mortem Crucis reconciliationem & peccatorũ remiſſionem impetrarit: eâ tamen conditione, ut nemo illâ peccatorum remiſſione fruatur, præter hominem fidelem.* Ioh. 2.16. 1. Ioh. 2.2. Quod primum ac primarium eſt in iſta theſi, *Chriſtum eſſe mortuum pro omnibus ac ſingulis*, hoc vel ſic accipi poteſt & ſolet, ut potentiam & valorem hujus mortis deſignet, ſufficientem ſcilicet & idoneam, omnibus, & ſingulis hominibus ſalvandis : quo ſenſu à noſtris agnoſcitur. Vel ſic, ut actum ejus notet & efficientiam aliquam ad omnes ac ſingulos indifferenter ſpectantem, partim ex morte Chriſti cauſatam, partim mortem ipſam cauſantem, id quod Remonſtrantes hic intelligunt, & impugnant Noſtri. Inter valorem enim ſufficientem, & actualem efficaciam nullum datur medium. Actum autem & efficientiam hanc, vel in hominibus ipſis omnibus & ſingulis produci putandum eſt, vel in Deo ſolo. In hominibus eſt *applicatio* ad perceptionem reconciliationis & ſalutis : in Deo aut *impetratio* eſt, neſcio quæ, aut ejus & *applicationis intentio.* Utrum horum ſit, quod mortis Chriſti vi ad omnes & ſingulos Remonſtrantes extendunt, (quamvis *benè ſibi inter ſeſe de hac re convenire*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

Pag. 497. *nire dicunt*) vel ſcriptis adhuc non ſatis explicarunt, vel tarditati noſtræ veniam ſaltem dabunt ſpero, quum hæſitationis rationem audiverint.

Remonſtrantes docere omnes & ſingulos homines in reconciliationis gratiam aſſumptos.

Salutem ipſam aut vitam æternam omnibus & ſingulis actu donari, non affirmabunt. Sed 1. ſunt inter eos nonnulli, qui *univerſum genus humanum in reconciliationis gratiam aſſumptum eſſe* docent. Sunt verba Borrei apud Arminium in Reſp. ad Art. 31. Art. 13. 14. quibus medicinam adhibere ſtudet Iohannes Arnoldi in reſponſione ad notas Bogermanni part. 2. p. 233. ſed planè miſeram. *Senſus eſt* (inquit) *omnes hactenus à Deo in gratiam adſumptos eſſe, ut fædus cum illis inierit, quo ijs, quos peremptoriâ ſententiâ juſtè damnare poſſet, ſub conditione fidei gratiam obtulit.* Sed aliud omninò eſt quod ibi docetur á Borreo, illam enim aſſumptionem omnium in gratiam deſignat apertè, quæ nihil aliud requirit ad ſalutem conſummatam, vel remiſſionem peccatorum omnium, quam perſiſtentiam ſolam, illam quæ per ſeſe valet ac ſatis eſt ad ſalutem infantium omnium & ſingulorum. Hæc enim eſt concluſio Borrei, *omnes omnium gentium infantes, morientes ſine peccatis actualibus, ſalvos eſſe.* Ratio eſt, *quia Deus univerſum genus humanum in reconciliationis gratiam aſſumpſerit, & cum Adamo omnibuſque ejus poſteris in eo, fædus gratiæ iniverit, in quo remiſſionem peccatorum omnium pollicetur, quotquot in illo fædere perſtabunt, & adverſus hoc non prævaricabuntur.* Neque vitari hoc poteſt à Remonſtrantibus ullo modo, quum infanres omnes & ſingulos in eo ſtatu collocant, ut migrantes ex hâc vitâ, priuſquam ad uſum rationis acceſſerint, ſalutem habeant certam, quin aut immunes eos ab omni peccato ſtatuunt, & abſq; Chriſto ſalvari, vel Chriſtum ijs omnibus applicari dicant, unde peccati reatu remoto, in gratiam recipiuntur & actualem & ſalutiferam. Univerſalem etiam aliquam applicationem eſſe Chriſti ad omnes & ſingulos mortales, clariſſimè videntur in eo docere, quod gratiam aliquam ſuf-

ſufficientem omnibus & ſingulis communicari docent ut univerſalem, vel enim gratiam illam à Chriſto ſeparari neceſſariò dicendum eſt illis, quod Chriſtianorum non ferent aures, vel Chriſtum cum gratiâ, modo & gradu aliquo, omnibus etiam & ſingulis communicari.

Quod attinet ad actus divinos, 1. Intentionem abſolutam Chriſti ad ſalutem, vel omnibus & ſingulis, vel quibuſdam applicandi, ex Chriſti morte oriundam eſſe, non negant ſolum Remonſtrantes, ſed eam non magis cum applicationis conditionatâ naturâ conſentire, quam ignem cum aquâ dicunt. 2. Conditionatam hanc intentionem ſalvandi, neque deſtinationem Chriſti ad mortem antecedere, neque mortis ipſius finem proprium ſtatuunt, vel effectum directum. Imò Chriſto jam mortuo Deum finem ſuum aſſequutum fuiſſe dicunt, & actionem illam in ſeſe completam ac integram fuiſſe, quamvis illa poſtea non applicaretur cuiquam. Deo enim jam Chriſto mortuo integrum fuiſſe dicunt, vel applicare vel non applicare. Hæc omnia clarè ſatis continentur in ordine decretorum, quem Arminius conſtituit, quo Chriſtum cruci deſtinatum vult, antequam de ſalvandis per eum, vel in genere, vel in ſpecie, vel abſolutè, vel conditionatè, quidquam omnino ſtatutum fuerit à Deo. Sed clariùs & expreſsùs à Nicolao Grevinchovio proponuntur pag. 8.9.12.13. Adeò ut Deum incertum faciat, quum Filium ſuum deſtinabat morti, utrum quiſquam hominum ſalvus per eum evaderet, necne: & Chriſto jam mortuo mortales tamen omnes perire potuiſſe contendat. 3. Sola jam reſtat impetratio, eaque ſolitaria, non ab applicatione tantum ſejuncta, ſed & ab intentione ejus, ſive abſolutâ, ſive conditionatâ. Hæc autem qualis fuerit, operæpretium erit imprimis audire. *Quando dicimus* (ajunt Remonſtrantes pag. 172.) *Chriſtum omnibus remiſſionem peccatorum impetraſſe, ſententia noſtra eſt, Chriſtum Dei juſtitiæ ſatisfa-*

2. Quæ fuerit intentio Dei in tradendo Filium in mortem. Nicol. pag. 21.

Declar. p. 47.

Quid Remonſtr. per impetrationem intelligant.

*ſatisfacientem, hoc effeciſſe, ut Deus ſine juſtitiæ ſuæ læſione, ho-
mini peccatori januam iterum aperuerit gratiæ ſuæ, quamvis ne-
mo ad illius gratiæ communionem eſt ingreſſurus, niſi per fidem.*
Sed 1. phraſis hæc (*januam gratiæ aperire*) non minus du-
bia videtur, quam eſt res ipſa, cujus naturam nobis expli-
care debet. Nondum enim liquet in quo veſtibulo col-
locant hanc januam gratiæ Remonſtrantes, utrum in vo-
luntatis actu aliquo, an in potentiâ ſolâ Dei. In volunta-
te divinâ locum ipſi nullum relinquit Nicolaus, quum il-
lam integram & liberrimam adhuc manſiſſe dicit, jam im-
petratione peractâ, gratiæ applicationem velle vel non
velle, & ſub quacunque vellet conditione. Non igitur ef-
ficit hoc Chriſti ſatisfactio, ut hæc janua benevolentiæ
divinæ aperiatur nobis. Potentia reſtat, ubi ſuſpenſos
nos hærere non ſinit. Nicol. Grevinch. ſuæ ſuorumque
Pag. 8. 9. mentis optimus interpres, *Finis impetrationis hic fuit, ut
Deus non obſtante juſtitiâ ſuâ, peccatorem ſalvare poſſet, & pec-
cator non obſtante peccato ſalvari.* Hanc igitur januam gra-
tiæ, impetrationis & mortis Chriſti effectum unicum exi-
ſtere faciunt, in potentiâ maximè remotâ, quâ Deus
poſſit, ſi velit, in gratiæ ſtatum nos reſtituere. Non magis
igitur dicendus eſt Chriſtus (ex horum ſententiâ) impe-
traſſe ſalutem fidelibus, quam operarijs: tam potuit enim
Deus, Nicolao Grevinchovio judice, pag. 4. 5. hanc con-
ditionem præſcribere ſalvandis, quam illam. Non magis
Deus aperuit gratię januam propter Chriſtum, quam pro-
pter ſemet ipſum plurimos condidit mundos: poteſt enim
& hoc. Annon præclarè ſentiunt iſti de mortis Chriſti
effecto, & reconciliatione noſtri cum Deo, cujus digni-
tatem à noſtris minutam eſſe queruntur. 2. Hinc etiam
obſervandum accedit, rem impetratam per Chriſti mor-
tem ex Remonſtrantium placitis non eſſe propriè, vel ſa-
lutem noſtram, vel gratiam nobis ſalutarem, ſed liberta-
tem & poteſtatem Dei: non tam Deum nobis hoc medio
recon-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

reconciliatum fuiſſe, quam Deo libertatem & poteſtatem illam conciliatam, quâ velle jam & efficere potuit, quod ante *ne velle quidem poterat:* ſunt verba Nicolai. p.9. Neque patitur ſanè aut vocis ratio, aut actionis hujuſmodi natura, ut illud nobis impetrari dicatur per Chriſti mortem, quod morte hâc peractâ non fuit ullo modo noſtrum. Quod meritis impetratur, id ſtatim ipſi debetur, vel jure & habitudine relationis ejus eſt, cui per illud meritum paratur. Rom.4.4. Quod precibus impetratur, illud ſtatim ad eos pertinet, quorum cauſam preces agebant. 1.Ioh.3.22. Sive ex merito, ſive ex gratiâ ſit adjudicatum: quidquid impetratur, ſtatim conceditur & cedit in ejus bonum, cujus res agitur. At verò nihil ſalutis, gratiæ nihil cuiquam hominum creatum fuit per mortem Chriſti (ſi audiendi ſint Remonſtrantes) ita ut immediatè poſt, & vi ejus, in ſuis illud numerare poſſit bonis, aut dicere ſalus eſt mea, mecum in gratiam jam redijt Dominus. Nam cum integra jam & completa fuit oblatio Chriſti, fieri potuiſſe docet Nicolaus, ut nemini vel ſalus, vel gratia adjudicaretur unquam, nec unquam adjudicatas eas fuiſſe, ne vel conditionaliter quidem, niſi ex novo & libero decreto poſt Chriſti mortem, non neceſſariò ſequente. Sic igitur hæc bona nobis impetrari dicunt, ut patrari nobis negent. Impetrationem ſine patratione aut conceſſione finxerunt, cum tamen impetratum reſcriptum vocatur in jure, quando illud Supplicans obtinuit: ut concedere ad Principem referatur, impetrare ad partem, ſed impetratio nulla ſit ſine conceſſione, nec relatum ullo ſine correlato. Imò verò ut metaphoram perſequamur ab ipſis electam, cæli janua vocatur, per ſimilitudinem ad januæ fructum (qui eſt vel impedire vel expeditam reddere penetrationem interiorum) fruitionis divinæ conſecutionem, ita ut aperire cæli januam, eſt expeditam facere conſequutionem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

beatitudinis æternæ, id eſt, tollere peccatum quoad reatum, & pœnam omnem. Clauſio enim regni cælorum, non aliter fit, quam per obſtaculum & peſſulum peccati, quo impedimur à cælo, atque adeò non aperitur janua niſi peccato ſublato, à Dei ſcilicet conſpectu, non quoad poteſtatem, ſed quoad voluntatem in Chriſto jam placatam, & applicationem talem qualis in Deo ipſo conſiſtere poteſt, nobis adhuc non actu communicata.

3. *An Remonſtr. ſtatuant etiam impijs & infidelibus impetratam remiſſionem peccatorum.*

Quum impetrationem hanc per Chriſti mortem omnibus & ſingulis factam eſſe docent, mirum eſt eos tam ægrè ferre (pag. 170. 171.) impios, infideles, & impœnitentes, pari jure inter eos numerari, quibus remiſſionem peccatorum impetratam eſſe per Chriſtum tradunt. An non majus continet minus? Quidquamne de genere prędicatur, quod non convenit etiam ſpeciebus ſingulis, aut cuivis ejus parti? Vel inter omnes & ſingulos nullos impios, aut infideles, inveniri concedent? Nihil horum cauſantur; tres quatuorve tamen rationes allegant, quibus probare vellent injuriam ſibi factam per fratrum errorem, dum illud ipſis impingunt, quod non eſt ipſorum. 1. *Nulla in theſi mentio fit de infidelibus & impœnitentibus.* Quaſi noſtris nihil impingatur ab ipſis, niſi quod in theſibus noſtris expreſsè ponatur. In hac ipſâ reſponſione abſurdè ipſis imputari dicunt, quod Chriſtum pro fidelibus, & infidelibus, quà talibus, mortuum eſſe dicunt, quum tamen limitationis illius (*quâ talibus*) nulla facta ſit mentio in propoſitione Noſtrorũ, quaſi verò nihil in theſi contineri poſſit, niſi mentio ejus nominatim fiat. 2. *Nulla fit collatio in theſi inter fideles & infideles, quaſi paris eſſent juris, quoad redemptionem per Chriſtum.* Sed nota eſt regula juris, non eſſe diſtinguendum, ubi lex non diſtinguit. Quum igitur indifferenter & indiſcriminatim ad omnes, & ſingulos, impetrationem illam pertinere docent in theſi, quis non pares omnes conſtitui diceret, & juris æqualis? 3. *Cum paſſio & mors*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

& mors antecedant ordine ipſam fidem , & infidelitatem, exiſtimant abſurdum dictu, Chriſtum pro fidelibus vel infidelibus (quâ talibus) mortuum eſſe. Quâ talibus, ambiguè & ineptè inſeritur: cætera ſi ſint abſurda, quid fiet Scripturæ, quæ expreſsè dicit Chriſtum ſuam animam ponere pro ovibus ſuis, Ioh.10.11. id eſt, (ut Remonſtrantes interpretantur pag. 93.) pro *fidelibus*? Nec obſtat quidquam illud quod mors Chriſti fidem ordine antecedit: mori enim dicitur pro fidelibus, id eſt, ijs qui fideles futuri ſunt, ſicut apertè liquet ex Epheſ.5.25. ubi ſemet expoſuiſſe Chriſtus pro Eccleſiâ dicitur, cum tamen Eccleſia vi mortis illius exiſtat. Sic Heb.1.14. Angeli dicuntur miniſterij causâ emitti propter eos *qui ſalutis hæredes erunt.* Neque ſinit nos pietas credere redemptionem à Chriſto factam nihil omninò valere, aut ad infidelitatem hominum tollendam, aut ad fidelium abolenda peccata, quorum utrumque tamen concedendum eſſe videtur, ſi ſimpliciciter hoc admittatur, neque pro fidelibus neque pro infidelibus mortuum fuiſſe Chriſtum. Præterea cum Chriſti jam animam ſuam ponentis conſilium & intentionem hanc fuiſſe docent, ut ipſum Pharaonem, & dudum ad gehennam damnatos, æquè redimeret ac Apoſtolos tunc viventes, (quod Nicol. non obſcurè facit p.46.47.) neceſſarium videtur, ut ad infideles etiam beneficium iſtud extendant. Sed eſto, ſubabſurda ſit hæc comparatio, & reſponſio vera, *nec pro fidelibus, nec pro infidelibus mortuum eſſe Chriſtum,* hoc tamen inde ſequetur, quod modo rejectum vidimus, æquè pro infidelibus, ac pro fidelibus oblationem hanc factam fuiſſe, nam inter non entia nulli ſunt diſpares quantitatis gradus.

Fallax eſt & captioſa circumſcriptio illa verborum, quam in articulo poſuerunt primo, *eâ tamen conditione, ut nemo illâ peccatorum remiſſione reipſa fruatur præter hominem fidelem,* & reponunt iterum in impetrationis deſcriptione 4.

(p. 172.) *quamvis nemo ad illius gratiæ communionem eſt ingreſſurus niſi per fidem.* Nam 1. in redemptionis decreto nihil invenitur quod conditionem hujuſmodi ſapit: *abſolutum* eſt hoc decretum, vel Arminio teſte, nec ullus in eo locus eſſe poteſt fidei aut conditionis poſtulatæ, cum non ſit præſcripta fides, aut cum ſalute connexa (ex Arminij ſententiâ) ante ſecundum illud momentum, quo ſervare fideles decreviſſe Deum dicit, cum prius ordine Filium ſuum poſuiſſet in Mediatorem & Redemptorem, quod eſt primi decreti. Abſoluta igitur, non conditionalis eſt reconciliatio illa, quia extrinſecus, non ex impetrationis decreto, conditio accedit. 2. Illam ſententiam apertè præ ſe ferunt hæc verba, ſi cum præcedentibus conjungantur, *impetravit Chriſtus omnibus reconciliationem & remiſſionem, ſed eâ conditione, &c.* quam repudiabant Remonſtrantes nuper, quaſi non ſuam: *omnes nempe & ſingulos reſtitutos eſſe in ſtatum gratiæ:* ex Dei ſcilicet parte activâ, donatione, vel inſtitutione, quamvis non actuali poſſeſſione vel receptione paſſivâ: ita ut talis differentia ſit inter redemptionem & juſtificationem, ac ſalutem, qualis eſt inter hæreditatem, & hæreditatis immiſſionem vel aditionem, vel inter delatam & aditam hæreditatem: inſtituitur quis hæres nondum fortè natus, filius poſthumus, vel nepos, &c. adire tamen vel capeſcere non poteſt hæreditatem, vel immiſcere ſe ei niſi poſtquam natus fuerit. Sic Deus olim Abrahami vel promiſſionis filios hæredes inſtituit ſuos. Gen. 17. 8. hæreditatem tamen capeſcere nequeunt niſi actu credentes. Hoc ſi de omnibus & ſingulis mortalibus Remonſtrantes affirment (quod liquidò ſatis faciunt) tum omnes & ſingulos non ſemel tantum in gratiam receptos ex parte Dei, ſed & ejus tandem beneficio frui, & perpetuò in eâdem permanere, neceſſe eſt concedant, niſi Chriſti Ieſu teſtamentum reſcindi aliquando putent aut revocari.

Declar. pag. 47.

Ibidem.

Reſcri-

Reſcriptum enim illud quod eſt de reconciliatione, cum legitimè ſit impetratum, non poteſt unquam rejici aut reprobari, quia omni nititur veritate, neque obreptionis, neque ſubreptionis exceptionibus obnoxium. Neque video ſanè quomodo hoc incommedum devitari poſſit, ab ijs, qui reconciliationem & peccatorum remiſſionem *omnibus & ſingulis propriè impetratam eſſe* contendunt. Si enim ſit omnibus impetrata, neceſſe etiam eſt ut aliquo modo conceſſa ſit atque donata: largitio ſemper vel conceſſio impetrationem iſtiuſmodi non comitatur ſolum, ſed conſtituit etiam & perficit vi quadam relationis, etiam ante mutuam acceptationem ſeu *ληψοδοσίαν*. Ius & proprietas doni ex donantis beneficâ largitione reſultat: acciperet aliàs non ſuum donatarius omnis, quum rem donatam teneret: quamvis non defuit etiam, qui reconciliationem donatam nomine accepit noſtro, Chriſtus videlicet noſter advocatus. Nec juvat dicere donationem hanc cum certo modo, certâque lege & conditione fieri, nam (ut non repetam iſtic, redemptionis decretum abſolutum eſſe, non conditionatum) etiam in donatione modali, conditio vel cauſa ſequens intelligi ſemper debet, non præcedens, quia tunc eſſet remuneratio potius, quam donatio. Donatio ſemper in præſentiâ valet, quamvis effectum ejus, vel poſſeſſio doni, ex conditione nonnunquam ſuſpendi ſolet. Donatam igitur hoc pacto, & gratiam & ſalutem omnes & ſinguli habent, quamvis donatæ rei poſſeſſionem non habent ante fidem. Talem donationem cæleſtis patriæ omnibus & ſingulis factam eſſe docent, qualem terreſtrem olim habuit Abrahami ſemen. Gen. 15. 18. *Semini tuo dedi terram hanc.* Modum & legem annexam ibi videmus, *peregrini erunt in terrâ alienâ quadringentos annos.* Donatio tamen abſoluta fuit, & in præſentiâ facta, quamvis executio ejus in quadringenteſimum annum dilata fuit, nec ingreſſi ſunt, aut frueban-

tur

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

tur illâ terrâ, niſi per fidem. Heb. 3. & 4. Hoc ipſum eſt quod in Remonſtrantium verbis innuitur, quum nihil ad fruitionem & communionem gratiæ, vel ſalutis impetratæ, deſiderari docent amplius, præter *ingreſſum per fidem in januam prius apertam.* Non opus eſt igitur ut januam aliquam aperiat ultra Deus per reconciliationem novam à parte ſuâ: hoc ſemel omnibus impetratum fuit per Chriſtum: ingrediantur tantum qui volunt, & ſtatim fruentur, aut ſi ita videtur, poſſunt etiam repudiare.

Summa hujus controverſiæ. Huc igitur tandem redit controverſiæ hujus ſumma. 1. Utrum in morte Chriſti talis impetratio ſit, quæ nullam applicationem aut intentionem applicandi propoſitam habet, ut proprium ſuum finem? 2. An impetratio hæc æquè & indiſcriminatim, quoad conſilium Dei, & Chriſti propoſitum, ad omnes & ſingulos mortales pertineat? 3. An non omnes illi quibus Chriſti mors intendebatur, applicatam eam habuerint coram Deo, vel ex parte Dei, ejuſque donationis vel deſtinationis æternæ, ita ut actualis applicatio certò ſequatur exinde ſuo tempore. Remonſtrantes 1. Deum ſuum Filium morti deſtinaſſe dicunt, antequam ſaluti quemquam deſtinaſſet, atque adeò cum adhuc incertus fuit, an quiſquam per eum ſalvus fieret nec ne. 2. Gratiam hanc redemptionis in ſeſe, ſuâque naturâ, ſimpliciter volunt indeterminatam eſſe, quaſi ſpargeretur in aërem, ut eam ad ſe rapiat, qui volet. Atque adeò mortem Chriſti ſolam, & ſolitariam, ad omnes pertinere volunt: non etiam reſurrectionem & interceſſionem ejus: has enim ad ſolos fideles reſtringi *Pag. 188. 189.* fvtentur. Nos mortem, reſurrectionem, aſcenſionem, ſeſſionem, & interceſſionem æquè conjungendas eſſe dicimus in fine ac intentione, ac in Chriſti perſonâ conjungebantur de facto. 2. Fontem applicationis in æterno decreto Patris conſiſtere credimus, pro quibus Chriſtum offerre voluit. Deinde in voluntate Mediatoris obedientis

illi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

illi decreto. 3. Non omnes & ſingulos in iſto decreto & intentione ſpectari, ſed electos quoſdam. 4. In ipsâ redemptione firmiſſimam fuiſſe applicationem coram Deo: & in electis ipſis certiſſimè fieri, dum illius virtute, Evangelij doctrina cum efficaciâ ad eos mittitur, ut Spiritus operatione, & propriâ fide, reconciliatione præparata jam actu fruuntur.

CAPUT II.

Argumentum primum.

Pag. 117.

IN iſtoc argumento quæſtio prima in axiomate diſcreto proponitur: *Quamvis pro omnibus Chriſtus dicatur mortuus fuiſſe quoad ſufficientiam pretij, unde etiam communiter hominibus proponitur, tamen quoad efficaciam realem, non moriebatur pro omnibus & ſingulis.* Subjungitur tum ratio: *quia Scriptura dicens eum mortuum eſſe pro omnibus, pro ſuis ovibus, pro Eccleſiâ ſuâ, pro ÿs, quos Pater ipſi dedit, &c. Explicat ſeſe alibi, per Multos, fideles intelligi docens, Ioh.*3.16. *Act.* 10. 43. *Rom.*3.22. 10. 4. *& obſequentes Deo, Heb.*5.9. *aut ſanctificatos, Heb.*10. 14. *nuſquam autem dicit reconciliationem & remiſſionem peccatorum impetratam fuiſſe omnibus & ſingulis per Chriſtum.* *Vis mortis Chriſti conſideranda dupliciter.* *Quo ſenſu dicatur pro omnibus mortuus eſſe.*

Multa hic adferunt Remonſtrantes, quæ difficilia fortè videri poſſunt, ſed rectè tuenti non erunt moleſta. 1. *Cum Scriptura dicit pro omnibus Chriſtum eſſe mortuum, non addit limitationem illam (quoad ſufficientem virtutem) egreditur igitur hoc gloſſema extra textum.* Quaſi impetrationis, aut januæ apertæ, aut ſimilium formularum à Remonſtrantibus excogitarum, expreſſa fieret mentio in locis illis, quos harum interpretantur ope, aut non ſuam fidem ſatis æquè liberaret interpres, quum ſententiam alicujus loci, ex analogiâ fidei collationeque aliorum locorum *An admittenda ſit diſtinctio ſufficientiæ & efficaciæ mortis Chriſti.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

deducat. 2. Contradictionem exſculpunt ex duobus illis inter ſeſe commiſſis, *Chriſtum pro omnibus eſſe mortuum, & non fuiſſe conſilium Patris ut moreretur pro omnibus.* Sed nec invenitur contrarietas hæc apparens, in hujus argumenti terminis, & ſi alibi occurrat, quovis tamen alio loco mentionem ejus facere debuiſſent, quam hoc. Hinc enim dictiones illæ facillimè poſſunt ſic explicari, ut contradictionis nullus remaneat color. *Chriſtum ſcilicet pro omnibus eſſe mortuum*, hoc eſt, ſic mortuum eſſe Chriſtum, ut mortis ejus dignitas & valor, ſufficiens pro omnibus dicenda ſit in ſeſe: *non fuiſſe conſilium Patris ut pro omnibus moreretur*, id eſt, ut argumenti verba retineam, ut hominibus omnibus ac ſingulis remiſſionem peccatorum, & reconciliationem cum Deo actu impetraret, & eos in ſtatum gratiæ reſtitueret. Contradictio igitur eſt ficta.

3. *Abſurditatem hujus expoſitionis oſtenſuros dicunt ſeſe in ſimilitudine, haud minus abſurdâ.* Hujuſmodi enim comparationem inſtituunt, *ſicut Medicus, aut Princeps, venditantes medicamentum, aut pecuniam habere ſufficientem, omnibus ægris & captivis, cum interim non eſſet ipſis in animo omnes liberare, non juſtè gloriarentur: ſic non poteſt conſiſtere ut Chriſti mors omnibus dicatur ſufficiens, niſi voluntas Patris fuerit ut omnibus impenderetur.* Sed 1. qualis eſt hic proportio inter gloriationem vanorum hominum, & conſonantiam duorum axiomatum, quæ, ut hic ſaltem proponuntur, ne minimam quidem ſpeciem habent oſtentationis ullius? 2. Si gravis aliquis Medicus hoc nomine pharmacum aliquod commendaret, quod cuilibet morbo ſanando ſufficeret, idque eo fine, ut dilectos quoſdam, ad illud petendum ac ſumendum, & gratis etiam accipiendum inſtigare poſſit, ac inflamare, quamvis omnibus & ſingulis non porrigeret medicinam illam, juſtas habens facti ſui cauſas, tum commendationem illam, & veram, & juſtam eſſe dico: ſimiliter etiam de Rege & Principe eſt cogitandum.

Simile Remonſtr. de Medico & Principe.

3. Abſurdum eſſe affirmo, ſufficientiam alicujus pretij, vel medicamenti, putare ex voluntate ſolventis, aut donantis. Sufficientia enim eſt intrinſeca potentia & aptitudo rei, non fluit ab extrinſeco ordinantis vel dirigentis actu. 4. Cum ſimilitudinibus & exemplis rem agi volunt; age, dicant illi mihi, an non ſufficientem habeat poteſtatem Deus, ad plures mundos creandos? Ad iſtum unum, ſæpius, aut citiùs, in ruinas agendum? ad plures denique creaturas formandas? Non hoc negabunt, ſpero: affirmat utcunque Propheta Mal. 2. 15. Non tamen eſt voluntas Dei, ut efficiendis iſtis poteſtas ejus impenderetur. An non ſufficiens etiam Adami lapſus fuit, non poſteris tantum illis, qui ex ipſo jam ſunt oriundi, vel orituri, in perpetuum perdendis, ſed alijs etiam quam plurimis, ſi modo naſcerentur ex ipſo? Non ſic tamen, aut Deus, aut Adam ipſe voluit ut eveniret: optimè igitur hoc duo inter ſe conveniunt, & in unâ ſede ſine ullâ pugnâ morantur.

Ignitum ab inferis &, ut putant, inextinguibile ſpiculum jaculantur in veritatem: *Si Chriſtus dici poſſit mortuus pro omnibus, quia ſufficiens ejus paſſio fuit ad tollenda omnium hominum peccata, tum & pro Diabolis etiam dici poteſt mortuus, nam ſufficientem etiam paſſionem ejus pro Diabolis eſſe non audebunt fratres negare.* Non audebunt? Quid quæſo metuerent? Sufficiens non eſt, quod non eſt ἱκανον, aptum ac idoneum; aptitudinis autem in Chriſto ad peccata humana tollenda pars magna fuit, quod ſimilitudinem carnis peccatricis aſſumpſit. Rom. 8. 3. Cum igitur Angelorum naturam non aſſumpſit, Heb. 2. 16. nec ſtatum habuit idoneum, nec ſufficientem paſſionem ad malorum angelorum tollenda peccata. *Si illud verum eſt (*inquiunt*) quæ Chriſto ignominia?* Omninò nulla: Niſi primo Adamo in minutionem reatus & ignominiæ cedere dicent, quod ſufficiens non fuit Diabolis damnandis. *Quomodo* 4.

tum dicitur paſſionem ſufficere multis mundorum millibus? Eodem planè modo, quo verè dici poteſt, Adami lapſum plurimis mundis ſufficere damnandis: mundis nempe non Diabolorum, ſed hominum, ſi menbra eſſent ex membris ejus, & caro ex ejus carne.

Reſponſio ad argumentum. Hactenus de quæſtione, ut in hoc argumento proponebatur: argumentum ſequitur ipſum, ubi commune prius reſponſum proponunt, & applicant idem poſt ad ſingulas iſtas phraſes, & locos, qui continentur in argumento.

1. *Communis.* Reſponſum illud commune hoc eſt, *quum pro omnibus mortuus dicitur Chriſtus, intelligitur illud de impetratione reconciliationis, quum autem pro multis, pro ovibus, pro eccleſiâ, &c. participatio tum ejus, vel fruitio, intelligi debet.* Sed 1. diſtinctionem hanc nihili eſſe, probatum fuit ſupra, cum de ſtatu quæſtionis hujus agebatur. 2. Si participatio & applicatio in ſeſe rationem & cauſam juſtã contineat phraſeos hujus, de qua diſputatur, ita ut propriè dici poteſt, *mortuus eſt pro quibuſdam tantum*, tum pari jure ſufficiencientia in ſeſe juſtam etiam continet cauſam ejuſdem locutionis modi, & fas eſt affirmare *pro omnibus* mortuus eſt Chriſtus, quatenus mors ejus ſufficiens eſt pro omnibus. Nulla enim reddi poteſt ratio, cur potentia non æquè *pro* ijs eſſe dicatur, ad quos extendi poteſt, ac affectus, vel actus *pro* ijs ad quos pertingit. Imò multò magis propriè potentiam hæc particula *pro* deſignat, quam actum: futuri namque poſſibilis reſpectum ex naturâ ſuâ notat, & uſu communi. 3. Si peculiari & proprio modo, pro quibuſdam potius quam alijs mortuus eſt Chriſtus, tum Deus in deſtinatione ipſius ad mortem, & Chriſtus in ſubeundâ, peculiarem habuit rationem quorundam potius, quam aliorum, quod nullo modo conſiſtere poteſt cum ordine decretorum illo, quem fingit Arminius, Chriſtum morti deſtinatum fuiſſe, tam indeterminato modo, ut nemo in

Declar. p. 47.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

mo in illo actu electus ac ſalvandus potuerit ſpectari: nec cum impetratione Nicolai, quam ab omni applica- *Pag.8.9.* tionis conſideratione ac intentione ſejunctam eſſe contendit: nec denique cum intentione illâ vagâ, quam Chriſto ſic Remonſtrantes tribuunt, ut cum jam animam ſuam deponeret, non magis eum diſcipuli cujuſpiam, vel beatæ Mariæ ſalutem ſpectaſſe docent, quam Pharaonis, vel cujuſquam jam olim damnati.

In particularibus teſtimonijs tria tantum invenio re- 2. *Particularis ad loca allegata.* ſponderi, quæ ſunt ad rem. 1. Per *multos* in Scripturâ *omnes* aliquando notari: *infirmam igitur eſſe rationem, pro multis eſt mortuus, ergo non pro omnibus.* Quod ego quidem non diffiterer, ſi vox illa nuda argumentum integrum conſtitueret. Sed cum illi *multi* deſcripti ſint alibi (ſicut etiam adjicitur in argumento) per illas notas, quæ omnium & ſingulorum hominum non ſunt communes, maximè conſentanea videtur interpretatio illa, quam Hieronymus probat in Matth. 20. *Non dixit pro omnibus ſed pro multis, id eſt, pro ijs qui credere voluerint.* 2. Cæteros locos pleroſque omnes, *de reali applicatione tractare, ac idcirco extra propoſitum citari.* Et realem quidem applicationem in illis tractari non nego: ſed peculiarem quoque intentionem illius notari, eamque & ordinanti Deo & Chriſto morienti obverſatam fuiſſe, hoc vel inde liquet, quod applicatio hæc aliàs non fieret ſecundum intentionem Dei, & Chriſti, in illo opere, ſed præter aut contra eam. Eſt etiam realis quædam applicatio coram Deo in ipſâ propitiatione facta. Sicut enim Chriſti mediationem nondum actu conſummatam, applicavit realiter Deus credentibus in eum venturum: ſic eandem jam actu conſummatam, ſimili etiam reali modo, applicavit ijs, qui nondum actu credebant. Neque imperfecta eſt hæc applicatio, ante actualem fidem, propter imperfectionem applicãtis Dei, ſed propter defectum ſuſcipientis hominis.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

Sol actu lucens æquè illuminat domum clauſam, ac apertam, ſed domus non recipit illam lucem, niſi fuerit aperta: non majus diſcrimen datur, inter applicationem illam quę in Chriſti ſacrificio perficiebatur, & correlatam illam quæ fit in actu credente. 3. *Sanctificatio noſtri eſt finis redemptionis, quem Chriſtus exſpectat ut paſſionis ſuæ fructum*, 2.*Cor*.5.15. *ſed illum* (ajunt) *non ſemper aſſequitur Chriſtus*. Si verò ſanctificatio noſtri ſit proprius hujus mortis finis, tum non impetratio ſola: tum applicatio ſcopus eſt proprius impetrationis illius, atque adeò non ad omnes æquè pertinebat redemptionis opus, ex intentione Dei, Chriſtique: tunc etiam voluntas propria ſalutis & ſanctificationis noſtræ prior fuit ordine apud Deum, quam Chriſti ſatisfactio. Nam intendere propriè eſt velle per aliquid ad aliud pervenire, quæ à Remonſtrantibus nec agnoſci ſolent, nec poſſunt concedi, ſine cauſæ totius ruinâ. Illud autem quod intentionem Dei aliquando non perfici dicunt, ſed contrarium ſæpè fieri, ſi propriam intentionem intelligant, pluſquam monſtrum eſt ac portentum Theologiæ. Tam religioſus enim vel ethnicus ipſe *Varro* fuit circa intentionem divinam, ut ſcripſerit olim, portenta ipſa non contra naturam fieri, quia divinâ voluntate fiunt, cum voluntas creatoris cujuſque conditæ rei natura ſit: unde etiam portentum non fieri contra naturam, ſed contra quam eſt nota natura, Iſidorus concludit 12.3. Si verò nihil accidat vel inter ipſa portenta contra intentionem naturæ, certè in gratiæ ſphæra quidquam contra Dei propriam intentionem accidere, fides & pietas non ſinunt cogitare. Neque ſanè magis intentionem hanc Dei aberrare putandum eſt, quam intentionem ejus falli. Addunt poſtremò *Verba illa (qui vivunt) accipi poſſe de omnibus hominibus vivis, ut paulò ante dictum eſt, eum eſſe pro omnibus mortuum*. Hic verò non aliâ opus eſt refutatione quam quæ in contextu habetur verſ. 15. *qui pro*

ipſis

ipſis mortuus eſt, & reſurrexit. Ad alios non poteſt hæc locutio extendi, quam ad eos tantum pro quibus Chriſtus reſurrexit: reſurrectionem autem ad ſolos fideles pertinere, concedunt & credunt Remonſtrantes ipſi, pag. 188. 189.

CAPVT. III.

Argumentum ſecundum.

P. 180.

SI Chriſtus, peculiari quâdam ratione, poſuit ſuam vitam pro ovibus, redemit eccleſiam, tradidit ſe pro eccleſiâ, morte ſuâ congregavit filios Dei diſperſos, populum ſuum ſervavit, dedit ſemet ipſum ut redimeret ac purificaret ſibi populum peculiarem, tum non omnibus & ſingulis hominibus, tam infidelibus quam fidelibus pariter ac indiſcriminatim, reconciliationem cum Deo, & peccatorum remiſſionem reipſa impetravit: non enim omnes & ſinguli tales habendi ſunt, ut liquet ex Matth. 25. 33. *Ioh.* 10. 28. *Ioh.* 1. 12. *Pſal.* 33. 12. 144. 15. *Oſe.* 2. 22. *Sed verum prius. Ioh.* 10. 15. *Act.* 20. 28. *Eph.* 5. 25. *Ioh.* 11. 51. *Matth.* 1. 21. *Eph.* 5. 23. *Tit.* 2. 24. *Hæc vis & mens rationis hujus eſt in formam ſyllogiſmi reductæ.* *Chriſtus eſt mortuus pro ovibus, Eccleſia, filijs Dei, populo ſuo.*

Conqueruntur hic imprimis Remonſtrantes conclusionem ambiguam eſſe, *rogant igitur quid ſit quod probatur: num Chriſti mortem ſufficientem eſſe pro omnibus (quod extra controverſiam eſſe dicunt) an efficacem eſſe pro multis tantum, ita ut reſtituantur in ſtatum gratiæ? Hoc quoque extra controverſiam eſſe: an vero id quod in concluſione ponitur? Tum ſtatum quæſtionis miſerè inverti clamant, quoniam controverſia in eo ponitur, an Chriſtus morte ſuâ remiſſionem peccatorum omnibus hominibus impetrarit, quamvis illi ejus, ob defectum fidei, non ſunt participes, nec ne.* Quam hæc dedecens viros graves hiſtrionia eſt? quærere ab Adverſario quid concludat, Num hoc, Num illud; ſive id 1.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

quod in concluſione ponitur? Certè ſi non diſſimulationis causâ quæritur; ſtupor & væcordia eſt. Res ipſa ſatis clamat, & clamare eos prohibet, miſerâm & turpem inverſionem in concluſione, ubi nihil quicquam eſt, quod non eodem quaſi ſpiritu, in controverſiæ ſtatum conjiciunt ipſi, ut ex collatione liquebit: niſi vel impetraſſe Chriſtum dicent, quod *reipsâ* non impetravit, aut diſtinctionem gravem aliquam inveniant inter *manentes in infidelitate & impietate, & eos, qui Chriſti, ob defectum fidei, reipsâ non fiunt participes.*

Tres adferunt rationes generales adverſus aſſumptionis ex Scripturis confirmationem, quæ ordine ſunt perpendendæ. 1. *Omnia hæc loca intelligi poſſe non de impetratione, quæ pro omnibus fit, ſed de reali fruitione, quæ ſolis fidelibus contingit.* Per fruitionem realem ſi intentionem ejus firmam intelligant, tum verum eſt, quod in iſtac parte affirmant, de illâ ſcilicet hæc loca intelligi poſſe, & alterius partis negationi contrarium, ubi impetrationem ab hac intentione diſtinguebant, ſicut antea me ſatis probaſſe puto. Si verò actualem intelligant fruitionem & applicationem ad actu fideles, falſiſſimum eſt quod aſſumunt. Fruitio enim Chriſti eſt actio noſtra: ſed phraſis iſtæ, *ponendi animam pro ovibus, tradendi ſe pro eccleſiâ, redimendi eccleſiam*, &c: ſunt Chriſti actiones propriè, tam extra nos, quam ſine nobis perfectæ. Propoſitiones etiam iſtæ veritatem completam habuerunt in illo ipſo momento, quo Chriſtus ponebat animam, *poſuit vitam pro ovibus ſuis, ſanguine ſuo redemit Eccleſiam, tradidit ſe pro Eccleſiâ*, &c. Sed actualis fruitio non ſtatim ſequebatur in omnibus Eccleſiæ membris. Tam latum denique diſcrimen eſt inter phraſium iſtarum ſenſum, & fruitionem actualem, quam eſt inter medium quodlibet deſtinatum, & finem extrinſecum, vel potius uſum illum ad quem deſtinatur. 2. Secundum quod opponunt eſt, *in locis citatis, nuſquam*

reperiri

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

reperiri particulam illam, *Solis. Chriſtus* (ajunt) *dedit ſe pro Paulo, Gal.*2.20. *an igitur pro nemine alio ſeſe tradidit? Omnes fideles reſurgent, an ergo ſoli fideles? ſic mortuus eſt Chriſtus pro ſuis ovibus: ſed & pro impijs. Rom.* 5.6. *pro ijs qui pereunt. Rom.*14.14.15. 1.*Cor.*8.11. *pro ijs qui abnegant ipſum.* 2.*Pet.*2.1. Ubi illud imprimis obſervandum venit, non eſſe errorem apud Remonſtrantes, nec à ſuis ipſorum loquendi formulis alienum, dicere Chriſtum eſſe mortuum *pro impijs, pro perditis, vel pereuntibus in infidelitate, & pro apoſtatis*: quum hoc tamen illis tribuitur à Noſtris, pro impijs (nempe) ac infidelibus, & in eo ſtatu manentibus ac morientibus Chriſtum eſſe mortuum, ex eorum ſententiâ; injuriam clamant, & quaſi ex plauſtro convitiantur, ſicut modò vidimus ad hujus argumenti concluſionem, & ſupra etiam in quæſtione principali definiendâ. Quod verò ad excluſivam illam voculam, *ſolis*, dico, cum differentia & disjunctio continetur in aliquo termino, tunc excluſio, vel reſtrictio, non minus eſt manifeſta, quam ſi hâc notâ deſignaretur. Sic benedictio ſumma promittitur Abrahami ſemini, non additur *ſoli*, ſed non minus ad ſolos Abrahæ filios ab Apoſtolo refertur, Rom. 4. Gal. 3. quam ſi hæc vocula cum emphaſi fuiſſet adjecta. Quum ipſi dicunt fideles electos eſſe, annon ſolos fideles intelligi volunt? Poſſum etiam idem ipſis hac in causâ reponere, quod noſtri doctores Pontificijs reſpondere ſolent, cum fide nos juſtificari concedunt, ſed fide *ſola* hoc fieri, nuſquam in Scripturis expreſsè legi: quemadmodum enim illis rectè opponitur, non ex operibus, ſed ex fide, idem planè ſonare, quod ex fide ſolà, ſic iſtis etiam, non pro hędis, ſed pro ovibus, *non pro mundo, ſed pro ijs quos mihi dediſti*, Ioh.17.9. prorſus idem eſſe quod pro ſolis ovibus, aut pro ſolis ijs, quos mihi dediſti. Si verò de ſingulari aliquo individuo ſimilis habeatur ſermo, ut Gal. 2. 20. hoc ſecundariâ quâdam ratione fit. Ut enim Socrates viſibilis

dicitur, quia eſt homo, ſed homo primariò, atque adeò non ſoli Socrati, ſed ſoli tamen homini hæc affectio convenit: ſic Paulus redimitur, & electus eſt, ſed electus primariò, & Paulus quâ electus, non ſolus igitur Paulus, & ſolus tamen electus. Hæc igitur inſtantia non quadrat. Alteram verò libenter concedo, ſi eadem ſpecies intelligatur, *omnes fideles reſurgent*, *id eſt*, *ſoli fideles*, ſcilicet ad *reſurrectionem juſtorum*. Luc. 14. 14. vel *in reſurrectionem vitæ*. Ioh. 5. 29. Sed *Scripturam apertè dicere affirmant*, *pro alijs eum fuiſſe mortuum*, *præterquam pro ovibus ſuis*. Audiamus verba, *pro impijs* inquiunt. Rom. 5. 6. hoc eſt, ut Apoſtolus quidem interpretatur verſ. 8. *pro nobis* (ovibus ejus) *quum adhuc eſſemus peccatores*. *Pro eo qui perit* Rom. 14. 14. 15. 1. Cor. 8. 11. Sed non dicitur his locis perire illum, pro quo Chriſtus eſt mortuus: Admonentur tantum intelligentiores, ne fratrem aliquem infirmum perdant offensâ: perdere autem quis alium poteſt, quantum in ſe eſt, quamvis alter non pereat: Sicut ſtuprare fæminam dicitur Matth. 5. 28. quamvis ipſa maneat caſta. Neque poteſt perditio certè hic propriè intelligi, niſi perire quem dicimus, qui aliquo modo offenditur, aut afficitur triſtitiâ ex alterius facto. *Pro ijs qui eum abnegant*, *& ſibi ipſis celerem perniciem accerſunt*. 2. Pet. 2. 1. non autem dicitur Chriſtus pro his mortuus fuiſſe. Nulla enim hic mortis fit mentio, neque ſanguinis, neque Chriſti, ſed dicitur Dominum (non τὸν κύριον ſed τὸν δεσπότην, quod Patri communiter attribuitur) eos emiſſe: quia ſcilicet, aliquo modo eos liberaſſet ac ſibimet aſſeruiſſet per aggregationem externam: & ipſi etiam dominum eum agnoviſſent, quum inter emptitios ejus ſervos nomen ſuum profitebantur.

3. Argumentum hoc nobis conſiderandum proponunt: *Si Chriſtus pro ſuis ovibus*, *pro ſuâ eccleſiâ*, *&c. quâ talibus*, *eſt mortuus*, *ergo aliquis fuerit prius ordine ovis Chriſti*, *& de ejus Eccleſiâ*, *quam Chriſtus pro eo mortuus eſt*, *& priuſquam Chri-*

ſtus

ſtus illum ſangiune ſuo obtinuit: quod eſt abſurdum & falſum. Reſp. 1. Conſequentiam non uſque quaque neceſſariam eſſe. Sicut enim *ſervivit Iſraël pro uxore, & pro uxore cuſtodivit gregem.* Hoſ.12 13. & tamen uxor illa non fuit Iſraëli ducta antequam pro illâ ſerviviſſet;ſic Chriſtus pro ſponsâ ſuâ, id eſt, ejus eccleſiâ potuiſſet mori, quamvis eam non habuit deſponſatam, antequam ſuâ morte comparaſſet eam ſibi. Et certum quidem eſt eccleſiam ſic eſſe redemptionis objectum, ut ſimul etiam effectum ejus exiſtat, quemadmodum & ſalutis hæredes, qua tales, cum objecti tum effecti rationem habent ad miniſterium angelorum. Hebr. 1. 14. Et promiſſionis filij, ſunt eius obiectum, quatenus ijs eſt facta, & effectum etiam, quatenus eius vi ſunt ipſi filij facti. 2. Neque abſurdum neque falſum eſt affirmare, in conſilio ac intentione divinâ, prius ordine aliquem eſſe ovem Chriſti, & de eccleſiâ, vel cætu ſalvandorum, quam Chriſtus pro eo mortuus eſt. Oves enim iſtæ prius datæ ſunt Chriſto, quam fuerint in manibus Chriſti. Ioh. 17. 24. Quam pro ipſis interceſſor fuit. Ioh. 17. 7. Imò & ſalus omnis quæ in Chriſto paratur illis, & Chriſti ipſius miſſio, fontem & originem primam habet in illâ donatione Patris. *Hæc eſt, voluntas ejus qui miſit me, id eſt, Patris, ut quidquid mihi dederit, non perdam ex eo, ſed ſuſcitem illud in ultima die.* quam donationem Apoſtolus prædeſtinationem appellat, Eph.1. 5. Et redemptionem per Chriſtum ex eadem pendere ſatis manifeſtò declarat, verſ. 7. Imò aut in mente & propoſito divino cætum aliquem ſalvandorum obverſatum fuiſſe fatendum eſt, quum Chriſtum deſtinavit morti, aut mortem illam Chriſti, incerti fuiſſe eventus, & myſterium hoc totum redemptionis irritum effici potuiſſe per Diaboli aſtutias, & hominis contumaciam, nec ratum jam eſſe, quoad eventum, niſi vi receptionis humanæ, tan-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

quam applicationis ejus rationis primæ. Addam etiam inſuper, ſi nullo modo verſabatur eccleſia in mente divinâ, quum unctus & ſanctificatus fuit Chriſtus ad officium ſuum, tum caput conſtitutus fuit ſine corpore, ac rex ſine ſubditis ullis in præſentiâ notis, vel omniſcio ipſi Deo: quod quam indignum ſit theſauris illis divinæ ſapientiæ, qui in hoc myſterio abſconditi fuerunt, non opus eſt ut ego dicam. Hoc unum perpendat cordatus Lector, Satisfactionem illam Chriſti pro nobis nocentibus ſuſceptam valere non potuiſſe, niſi aliquà antecedente inter nos & Chriſtum, conjunctione: tali ſcilicet quâ deſignatus erat à Deo ut caput eſset corporis, cujus nos ſumus membra: Ut vir Cl. Hugo Grotius, relictis Remonſtrantibus, quos alibi defendit, ingenuè concedit. Defenſ: fidei Catholicæ. p. 66.

4. Ad ſingula teſtimonia ſigillatim aliquid animadvertunt: quarum animadverſionum habenda nunc ratio eſt, ſed paucis.

Ioh.10.15. Ad Ioh. 10. 15. Negant electos intelligi. 1. *Quia electi nuſquam deſignantur nomine ovium.* Quæ non falſa minus quam audax eſt aſſertio. Nam Remonſtrantes ipſi, non alijs, vitam æternam, aut conferri, aut deſtinari concedunt, quam electis ad vitam; & Matth. 25. 33. Ioh, 10. 28, Ovium nomine apertè deſignantur æternæ vitæ hæredes. 2. *Quia Chriſtus loquitur de hujuſmodi ovibus, quæ poßunt ab alijs agnoſci, eo quod Chriſti vocem audiunt, agnoſcunt, & ſequuntur, quod in electos tales, quos præter Deum nemo novit non poteſt quadrare.* Quaſi non ſcirent Remonſtrantes, communem eſſe ſententiam Theologorum noſtrorum, electionem, æquè ac juſtificationem, & veram ſanctificationem, dignoſci poſſe, imò ſimul fideles utriuſque harum certiores fieri ſolere. Mira hæc eſt confidentia, non falſum ſupponere tantum, quod à noſtris do-

ctoribus conſtanter habetur pro vero, ſed adverſam ſen-
entiam ab omni probatione nudam argumenti loco
roponere, ad aſſertionis alterius impugnationem, quæ
iiſdem innititur fundamentis.

Ad Act. 20. 28. *Deus redemit eccleſiam ſuam*, animad- *Act. 20. 28.*
ertunt, *ſolos electos non intelligi, quoniam viſibilis erat ec-
leſia, de quâ ſermo illic habetur, & quamvis viſibili ec-
leſiæ quandoque tribuuntur ea quæ ſunt inviſibilis, propria
amen hæc in ijs fieri, quæ realem communionem concernunt.*
Sed non poſſunt ignorare, electionem ipſam viſibi-
ibus eccleſijs in communi tribui. Ephſ. 1. 4. 2. Theſſ.
. 4. 1. Pet. 1. 2. Quam tamen à reali communicatio-
ne, ut ab executione decretum, diſtinguendam eſſe
norunt.

Ad Eph. 5. 25. *Chriſtus tradidit ſemet ipſum pro eccleſiâ* *Eph. 5.25.*
ſuâ, reſpondent. 1. *Non haberi ibi ſola, ut inde conncluda-
datur, quod Chriſtus ſe tradiderit pro nullis alijs.* Quod
perinde eſt ac ſi adulter aliquis ad priorem illius ver-
ſiculi partem, (*viri diligite uxores veſtras*) animad-
vertere vellet, non ibi haberi *ſolas*, ut inde concluda-
tur, quod viri diligere debent uxores ſuas ſolas &
non ſimul etiam alienas. 2. *De ſolâ traditione hic agi,
nullo reſpectu habito ad redemptionem, quæ reali applica-
tione fidelibus contingit.* Quo nihil inconſideratius di-
ci potuit. Nam 1. Ut Chriſtus traderet ſemet ipſum
nullo reſpectu habito ad redemptionem iſtam, &
cum dialecticâ pugnat, quæ nullum adhiberi me-
dium docet, ſine reſpectu ad finem: & cum Scri-
ptura, quæ traditionem ipſam pro multis factam
eſſe docet in *Redemptionis pretium.* Matth. 20. 28.
Et denique cum Arminij ipſius conceſſis, qui tra- *Decl. ſent.*
ditionis huius hunc finem eſſe docet, ut ſalu- *pag. 47.*
tem impetret & *communicet.* 2. Pugnat etiam cum
loci pleniſſimâ mente. Nam *tradere ſe pro Eccleſiâ*

eſt tradere ſe (Apoſtolo ſic exponente verſ. 26. 27.) *ut eam ſanctificaret, poſtquam eam purgaſſet lavacro aquæ per verbum, & ſiſteret eam ſibi glorioſam,* &c. Quiſnamne affirmare jam ſuſtinebit de traditione hæc tali dici, quæ nullum reſpectum habeat ad redemptionem & applicationem ejuſdem? 3. Pugnat denique cum Remonſtrantium ipſorum interpretatione, qui in Articulo priore pag. 114. verſiculos illos proximos 26. 27. qui alium ſenſum à priore non tradunt, ſed eundem exponunt, ac illuſtrant ſolum, non poſſe aliter intelligi dicunt, quam de conditione fidelium in cælis. Si enim conditionem fidelium exponunt, redemptionis etiam applicationem neceſſe eſt ut notent. Vel igitur verſum 25. nullum reſpectum habere dicendum eſt ad ſequentia verba, quod nemo Chriſtianus putabit, vel fatendum traditionem ibi memoratam, aliquam etiam relationem habere ad redemptionem fidelibus applicatam.

Ioh. 11. 51. Ad Ioh. 11. 51. *Ieſus mortuus fuit pro illo populo.* Reſp. Remonſt. 1. *Illi erant Iudæi, in quibus erant & reprobi: ergo non tantum pro electis mortuus eſt.* Ubi duplicem errorem admittunt, ut ſimplicem veritatem excludant: unum, quum Iudæos intelligi volunt omnes & ſingulos: in ſpiritualibus enim & promiſſionibus ad Iſraëlitas factis, quæ pertinent ad fœdus novum, Iſraëlitas omnes & ſingulos non comprehendi, contendit Apoſtolus verbis expreſſis, & firmis etiam argumentis, Rom. 6. 7. 8. & 11. 1. 2. 7.

Alterum, quum ſequelam nectunt, & ſuis principijs & Scripturis ipſis planè adverſam: *ſi Iudæi, tum reprobi.* Num eandem etiam Angeli mentem fuiſſe putant Matth. 1. 21. *Populum ſuum ſalvum faciet*, id eſt, *reprobos Iudæos ſalvos faciet, non minus quam electos*? An non conſecutionem iſtam rejiciunt ipſi, ut abſurdam Collat. p. 171. *Pro omnibus mortuus eſt Chriſtus, ergo pro infidelibus vel reprobis?* Reſp. 2. *Mori ut congregaret, eſſe poteſtatem congregandi accipere.* Quod

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

Quod quum extra propoſitum ſit (nihil enim in argumento dictum fuit de verſ. 52. ubi verba fiunt de congregatione) jure potuit à me præteriri. Liberanda tamen etiam eſt illa ſententia ab hac ſophiſtica depravatione, quæ mutuò videtur accipi à Socini figmentis, qui morti Chriſti nullam ſuperiorem virtutem tribuit, quam ut eo medio poteſtatem accipiat colligendi & conſervandi fideles. Hoc certè auſim affirmare, inter omnes interpretes orthodoxos, interpretationem iſtam non reperiri, *mori ut congregaret, nihil aliud continere, quam poteſtatem congregandi accipere*: apud Socinum verò ubique occurrit hæc ipſiſſima corruptela. Vide Catecheſ. Cracov. p. 294. Hug. Grot. def. p. 32. Refelli autem facillimè poteſt ex ipſo contextu. In illis enim verbis, *Ieſus moriturus eſt non tantum pro illo populo, ſed & ut diſperſos Dei filios in unum congregaret*, imparium comparatio indicatur expreſsè notis illis proprijs, *non tantum ſed &*: in qua, populus Iudaicus, & omnes filij diſperſi, inter ſe comparantur ut minus & majus, in relatione ad Chriſti mortem, vel potius mori pro populo Iudaico, & mori pro omnibus filijs Dei. Si igitur Chriſti mors reſpectu filiorum Dei, nullam aliam rationem habeat, quam poteſtatis acquirendæ ad vocationem eorum; tum nec amplius aliquid contineri poteſt in altera parte, quæ minoris locum habet, *mori pro populo*. Si plus aliquid in iſta phraſi denotetur, minus non eſt in illa parte, quæ obtinet hic majoris locum. At verò aliud ibi notari præter & ſupra poteſtatis illius acquiſitionem, cum Chriſtus dicitur *mori pro populo*, V. C. Hugo Grotius accuratè demonſtravit contra Socinum cap. 9. neque negabit quiſquam, niſi planè Socinianus. Congregationis vox in iſtoc negotio nihil aliud notat, quam reconciliare ut unum corpus, ſicut explicatur ab Apoſtolo Paulo, Eph. 1. 9. 10. & 2. 16. Col. 1. 20. quorum etiam locorum explicationem

congruam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

congruam videre poſſunt in eodem illo ſcripto Hug. Grotij, cap. 7.

Reſp. Remonſt. 3. *Filios Dei hic dici vel filios fœderis, Act. 3. 25. in quibus etiam erant qui non ſervabantur; vel qui vocabantur ut crederent, & ſic filij Dei fierent.* Hoc etiam proferunt extra limites argumenti. Dico tamen breviter, illos filios fœderis non poſſe hic deſignari, quorum Petrus mentionem facit, Act. 3. 25. illi enim locum habent in altera comparationis hujus parte *moriturus eſt pro illo populo.* Neque omnes quovis modo vocandi titulum hunc ſuſtinere poſſunt, quia tum (ex Rem. ſententia) omnes mortales eſſent in iſtoc albo. Si verò efficaciter vocandos intelligant ſolos, hoc illud ipſum eſt quod nos affirmamus: & maximè facit adverſus Remonſtrantes. Quum enim his verbis latiſſimi fines redemptionis illius indicantur, quam Chriſti mors allatura fuit, ſicut comparationis vis & uſus demonſtat; & illi tamen ulterius non extenduntur, quam ad efficaciter vocandos, vel fideles; quis ille, qui redemptionis hujus finem, ad omnes & ſingulos mortales audebit prolatare?

Ad Matth. 1. 21. *Salvum faciet populum ſuum à peccatis ipſorum,* animadvertunt 1. ex Calvino, *per populum Chriſti, Iudæos nominari,* ſed ſimul etiam animadvertere debēt ex eodem Calvino, extendi hanc ſalutis promiſſionem ad omnes, qui fide in unum eccleſiæ corpus coaleſcunt, & ex Apoſtolo Rom. 11. 2. populum Dei propriè eſſe *populum illum quem præcognovit.* 2. Obſervant hunc locum cum ſimilibus non agere de impetratione ſalutis, ſed de ſalute ipsâ, vel actu ſalvandi. Ergo (inquam ego) non impetratio nuda, ſed applicatio ſalutis, & ſalus ipsâ, ſcopus & finis fuit, quem Deus propoſitum habuit tam in miſſione, quam in traditione Chriſti. Intentionem enim Dei in Chriſto mittendo, & miſſionis ipſius finem apertè deſignat Angelus, per nominis impoſitionem, *vocabis nomen*

ejus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

ejus Ieſum : & per notationem, vel rationem ejus, *ipſe enim ſervabit populum ſuum à peccatis ipſius.* Hoc Arminius ipſe non obſcurè docet, Diſp. priv. 35. theſ. 2.

Ad Tit. 2. 14. *Dedit ſemetipſum pro nobis ut redimeret nos ab omni iniquitate, & purificaret ſibi ipſi populum peculiarem, ſtudioſum bonorum operum.* Reſp. Remonſt. *Non poſſe hæc referri ad ſolos fideles*, quamvis Apoſtolus expreſſè referat ad populum peculiarem, bonorum operum ſtudioſum, id eſt, fidelem, & per hanc populi deſcriptionem, declaret ſatis quos intellexit verbis illis prioribus, *Dedit ſemet ipſum pro nobis.* Sed contrarium innuere dicunt verſum undecimum, *Omnibus hominibus apparuit*, & 1. Tim. 2. 6. *Dedit ſe pro omnibus.* Nihil tamen contrarium illis locis docetur. Apoſtolus enim Tit. 2. 11. ſervos monet ut officium ſuum faciant erga heros, quia gratia illuxit omnibus, id eſt, quibuſvis, tam heris, quam ſervis: ſic etiam. 1. Tim. 2. 6. preces fieri vult pro regibus, &c. quia Deus vult ex unoquoque genere quoſdam ſervare, & eo fine Chriſtum etiam pro illis dedit. Nihil iſtic docetur quod non optimè congruit cum argumento deducto ex Tit. 2. 14. Tit. 2. 14.

CAPUT IV.

Argumentum quartum.

P. 185.

PRO quibus Chriſtus eſt propriè mortuus, eorum loco ſic mortuus eſt, ut mortem ab illis commeritam in ſeſe tranſtulerit, ac ab eadem ſervavit illos: hoc phraſis ipſa moriendi pro aliquo ſatis commonſtrat. 2. Sam. 18. 33. Rom. 5. 7. & 9. 3. Sed omnium & ſingulorum debitam pænam vel mortem, non ſic in ſe tranſtulit, & ab iis abſtulit Chriſtus, Ioh. 3. 36. Matth. 7. 23. Ego nec pro omnibus & ſingulis propriè moriebatur.

Phraſis, pro aliquo mori, docet Chriſtum efficaciter pro ſingulis non eſſe mortuum.

Reſp. Remonſt. phraſin iſtam (*mori pro aliquo*) *non ſemper deſignare tranſlationem illam mortis ab uno in alterum*, quod

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

varijs inſtantijs oſtendunt, Socini veſtigia prementes, qui vim hujus phraſeos ijſdem ferè cuniculis oppugnare conatur, ne ſatisfactionem propriam continere putetur: ut videre eſt in Defenſ. Hug. Grotij, cap. 1. & 9. Sed fruſtra: ipſimet enim referunt ſibi reſponſum ex colloquio, *Fratres (nēpe) hoc intelligere de ejuſmodi moriendi genere, quo Chriſtus pro nobis eſt mortuus, qui nimirum ut ſponſor pro nobis ſolvit. Hoc verò* (inquiunt) *non eſt hic expreſſum*, imò exprimi hoc dico in deſcriptione, quam argumentum proponit: non minus etenim definitionibus & deſcriptionibus exprimi vel explicari ſolent res, quam propriâ nomenclaturâ. *Neque David* (addunt) *2. Sam. 18. 33. neque Paulus, Rom. 5. 7. & 9. 3. ad aliquam ſponſionem reſpexit.* Reſpexit (inquam) David apertè, quatenus voto reſpici, vel concipi poteſt, quod ſic infectum eſt, ut factum jam fieri non poteſt, ſicut verba ejus expreſsè docent, *Quis dabit mori me, me inquam loco tuo?* Idem etiam fuit animus Pauli, Rom. 9. 3. quem nemo non videt eundem planè induiſſe affectum erga ſuos fratres & cognatos, quem Iudas erga Benjaminem. Gen. 44. 32. qui ſpoponderat pro ipſo apud patrem, & manere voluit in ejus loco. Talis etiam trajectio mortis, quaſi per vadimonium, ſatis videtur innui, Rom, 5. 7. in illâ ratione ſubeundæ mortis *pro bono*. Significat enim Apoſtolus reperiri fortè aliquem, qui beneficia ab illo percepta ſecum reputans, & cogitans etiam quantum commodum exinde ſequeretur, ſi tam beneficus diutius hic ſupereſſet; non recuſaret ejus vice dedere ſe præſenti neci. Adjiciunt poſtremò *pro nobis, tantundem poſſe eſſe, quod noſtro bono, ut 1. Cor. 8. 11. &c. Vel etiam propter nos, ut propter peccata. 1. Cor. 15. 3. Rom. 4. 25.* Prius illud, *noſtro bono* nemo noſtrorum, imò vix hæreticorum quiſquam unquam negavit. Sed hoc generale nimis velum eſt, ſub quo lethales errores varij facilè poſſunt abſcondi. Alterum, ſi rectè explicetur, *pro peccatis*, hoc eſt, *mortem illam noſtrâ*

vic

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

vice ferens, quæ peccatis noſtris debebatur, illud ipſum eſt quod in argumento ponitur à Noſtris. Si verò peccata ſpectentur, ut à peccatoribus abſtracta (quod hic Remonſtrantes faciunt) mirandum non eſt abſurdam exinde concluſionem deduci, *Chriſtum* (ſcilicet) *loco malè geſtorum ſemet ipſum tradidiſſe morti.* Hujus autem reſponſionis totius autor, & inventor, Socinus fuit: quo nomine benè caſtigatur ab Hugone Grotio, cap. 1. & 9. Illud etiam obſervandum eſt à Lectore, quam ſollicitè Remonſtrantes fugiant ab appellatione *Sponſoris*, & in omnes formas ſeſe vertant, ne concedant Chriſtum pro nobis, ut Sponſorem, ſatis feciſſe, idque phraſibus illis notari, *pro nobis tradidit ſe, mortuus eſt pro nobis:* Quum tamen à Spiritu Sancto expreſsè appellatur, *Sponſor novi fœderis.* Hebr. 7. 22. *Et morbos noſtros pertuliſſe, dolores noſtros bajulaſſe, cui caſtigatio pacis noſtræ imponitur, & in quem incurrit iniquitas omnium noſtrorum, ita ut iniquitates noſtras ipſe portet, & ſacrificium exponatur pro reatu noſtro. Iſai.* 53. 5. 6. 7. 1. *Pet.* 2. 24. Quæ omnia denotantur per phraſin iſtam contractam, *pro nobis mortuus*, vel *pro nobis factus eſt peccatum*, ut Apoſtolus diſertè interpretatur. 2. Cor. 5. 21. Hoc probationem, ſemiplenam ſaltem, efficit, non ab omnibus Remonſtrantibus probari, doctrinam illam de Satisfactione Chriſti pro nobis, quam ex Scripturis Theologi noſtri tradunt, & Ecclesiæ credunt.

Obſervant ſecundo in loco, hanc locutionem, *Mori pro aliquo, reſpicere ſæpè magis ad intentionem ejus, qui vitam deponit, quam ad eventum in ſervando eo, pro quo illa deponitur, quo ſenſu Chriſtus pro omnibus eſt mortuus, quum fuerit ejus intentio ſervare omnes.* Sed phaleratis verbis incautum Lectorem fallunt. Nam 1. fraudulenter inſinuant negare nos intentionem Chriſti, Deique, de hominum ſalute in iſtac phraſi ſpectari, cum tamen in eo pona- 2.

tur controverſiæ hujus cardo, ſicut ante vidimus, utrum impetratio mera, quam per *apertionem januæ* declarant, ſit integrum propoſitum Chriſti morientis (quod illi ſtatuunt) an verò (quod nos credimus) conjunctam etiam habeat intentionem certam introducendi quoſdam, per januam illam apertam, in gratiam & ſalutem æternam?
2. Tum contra veritatem, tum contra mentem & morem ſuum etiam loquuntur, quum Chriſtum in morte ſuâ omnium ſalutem, vel ſalvare omnes, dicunt intēdiſſe. Contra veritatem, quia multi tunc temporis, in eo ſtatu erant, ut non potuerint ſervari, vel tranſire ad Abrahami ſinum. Luc. 16. 26. ſaltem igitur illos non intendebat ſervare. Nec ſanè quiſquam cæterorum in eum locum veniret, ſi ſalutem ipſorum ſimpliciter intendiſſet Chriſtus. Quidquid enim per mortem intendebat efficere, id à Patre impetravit. Si verò ſimpliciter impetravit, verè etiam conceſſum fuit, atque adeò ſervarentur omnes proculdubio, ſi omnes intenderet ſervare. Id quod ex eo ſimiliter probari poteſt, quia teſtamentum in morte Chriſti tam ratum fuit, ut morientis ipſius intentio, ac voluntas poſtrema, non potuit ita caſſari, ut ipſa non ſit regula certa ſequentis effecti, vel diſtributionis bonorum, quæ in teſtamento ponuntur. Contra mentem etiam ipſorum eſſe, quod hic præ ſe ferunt, *Nic. Grevinchovius* abundè teſtatur, quum hanc eorum ſententiam eſſe narrat, *applicationem reconciliationis ad ſalutem non eſſe propriè finem impetrationis*, aut intentionem Chriſti, reconciliationem per mortem ſuam impetrantis. *Deum non potuiſſe velle hanc applicationem, niſi poſt impetrationem completam.* pag. 8. 9. &c.

3. *Niſi diſtinctio præcedens recipiatur, ſententiam noſtram cum illis Scripturæ locis conciliari poſſe negant, quæ Chriſtum pro omnibus mortuum eſſe dicunt, neque cum propriâ noſtrâ confeſſione de ſufficientiâ, cujus reſpectu Chriſtum*

pro

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

pro omnibus mortuum eſſe fatemur.* De Scripturæ teſtimonijs ſatisfactum eſt ſupra. De phraſi illâ, *pro omnibus*, à Noſtris propter ſufficientiam & intentionem Dei, quâ voluit ut ſit ſufficiens pro omnibus, admiſſa, ſciendum eſt, impropriam hanc locutionem eſſe: non rejiciendam tamen, quia fundamentum aliquando in re ipsâ habet, & apud Theologos eſt uſu longo recepta. Hactenus de propoſitione certatum fuit. In aſſumptione nihil reprehenditur, quod non ſæpiùs jam refutatum fuit. Verbum tamen addendum eſt de loco Matth. 7. 23. ne videantur locum iſtum nobis extorſiſſe. Dicit Chriſtus *ſe operarios iniquitatis nunquam noviſſe*, id eſt (inquiunt) *quâ tales*, quaſi vel operatores iſti iniquitatis tam iniqui rerum æſtimatores eſſent, ut hoc in dubium vocarent (præſertim in illo die) utrum iniquitatis opera probarentur Chriſto, nec ne! Dicit Salvator ſe *nunquam* eos probaſſe, ne quidem, *quâ prophetarunt per nomen ejus, & multas virtutes ediderunt*. Addunt Remonſtrantes, *non ſequi hoc, Chriſtum pro eis non eſſe mortuum, quia illos non agnoſcebat, quandoquidem non mori tantum pro ÿs, ſed mortem etiam ipſis applicare debuit, priuſquam agnoſceret eos pro ſuis.* Quod adeò abhorret à ratione, morti ſeſe tradere Chriſtum pro ijs, quos nullo modo pro ſuis agnoſcit, ut vix egeat refutatione. Refutatur tamen ſatis apertis Chriſti verbis, Ioh. 10. 14. 15. *Ego agnoſco oves, & animam depono pro ÿs:* ubi agnitionem ovium, & animæ depoſitionem pro ipſis, individuo nexu conjungi videmus, imò depoſitionem hanc animæ, agnitionem illam arguere ſic, ut effectum arguit ſuam cauſam. Refutatur etiam in redemptionis typo, liberatione populi ex Egypto, quem populum, qui Deum nullo modo agnoviſſe contendet pro ſuo, antequam ex Egypto deduxit, cum ipſo non puto diſputandum eſſe: De illis dicit Deus, *portamini à me inde abutero*

Matth. 7. 23.

abutero meo. Iſa. 46. 4. quod ad electos omnes rectè applicatur: ſicut & illud quod Ieremiæ 1. 5. dicit, *quum nondum formaſſem te in utero, agnovi te.*

Caput V.

Argumentum quartum.

Pag. 187.

Nullos cõdemnari pro quibus Chriſtus eſt mortuus: ac proinde non eſſe pro omnibus & ſingulis mortuum efficaciter.

OMnes illi pro quibus Chriſtus eſt mortuus, poſſunt liberè dicere, quis condemnat? Chriſtus eſt pro nobis mortuus. Rom. 8. 34. *Hoc autem non poſſunt dicere omnes & ſinguli mortales, ſed ſoli fideles electi: alioqui hoc argumentum infirmius eſſet, quam ut eo fideles conſolarentur ſeſe. Ergo non pro omnibus, & ſingulis, mortuus eſt Chriſtus, ſed pro ſolis fidelibus electis.*

Obſervant hic imprimis Remonſtrantes, *argumentum hoc in auctores ipſius retorqueri poſſe, quia non negant ipſi Chriſtum aliquâ ratione mortuum eſſe pro omnibus.* Sed obtorta nimis eſt hæc inverſio. Hoc enim à Noſtris conceditur tantum reſpectu intrinſecæ naturæ, vel ſufficientiæ mortis hujus, & intentionis Dei, qua voluit ut ſit ſufficiens
1. *Rom. 8. 34.* pro omnibus: non reſpectu intentionis & voluntatis omnes & ſingulos ſalvandi per hanc mortem. Morientis autem intentio, cum pretio mortis conjuncta, opponitur hic ab Apoſtolo condemnationi, quæ non in meritis peccati ſolis, ſed & in judicis voluntate conſiſtit.

2. *Diſtinguunt* Remonſtrantes *de modo vel genere dicendi, Chriſtus pro nobis mortuus eſt: eſt* (inquiunt) *unum genus dicendi hoc ante fidem, quod impetrationem reſpicit ſolam: ſic omnes hoc dicere poſſunt ad hiſtoricam narrationem &c. eſt aliud genus illud ipſum dicendi, quod eſt ex fide, & applicationem ſequitur: ſic nemo niſi fidelis & particeps Chriſti factus, poteſt dicere ad conſolationem veram.* Diſtinctio hæc rectè intellecta ſuum locum & uſum habet, fateor: ſed argumentum propoſitum non ſolvit. Vis enim rationis in hoc nodo latet; quod verum eſſe omnes æquè poſſunt ſcire, illud omnes

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

omnes poſſunt æquè dicere: ſed hoc verum eſſe, Chriſtum pro ipſis mortuum eſſe, omnes (ex Remonſtrantium ſententiâ) æquè poſſunt ſcire: ergo omnes etiam id æquè poſſunt dicere. Tum etiam porrò, quod omnes æquè ſcire ac dicere poſſunt, ejus etiam conſequens effectũ certum, & ſcire, & dicere poſſunt æquè. Ergo ſi æquè poſſint omnes dicere, *Chriſtus pro nobis mortuus eſt*, poſſunt etiam dicere, *quis eſt qui condemnat*? Abſolutio enim à condemnatione, eſt conſequens effectum mortis Chriſti, omnibus ijs, pro quibus eſt mortuus, certiſſimè conceſſum, & impetrationis eius proprium correlatum, vt Apoſtolus non affirmando tantum docet, ſed efficacius interrogando ſupponit, *Quis eſt qui condemnat? Chriſtus is eſt qui mortuus eſt.* Sed inſtant Remonſt. negando: *An non Apoſtatæ illi, de quibus Apoſtolus agit, Heb. 6. 6. & 10. 29. debebant fateri, Chriſtum ſemel pro ipſis eſſe mortuum.* Reſp. 1. Apoſtatæ illi judicio Remonſtr. veri aliquando fideles erant: non ſequitur igitur quod inde concludunt, tam infideles, quam fideles hoc poſſe dicere, ſi illi aliquando potuerint 2. Nemo debet immediatè dicere, aut etiam poteſt ſcire, Chriſtum pro ſe mortuum eſſe, ſecundum intentionem Dei, antequam radicetur in fide. Ergo non apoſtatæ, qui radicem non habebant in ſe. Matth. 13. 21. 3. Poteſt quis contumelioſè tractare ſanguinem, cujus profeſſio ſeparaverat eum à mundo, quamvis nunquam ad ſalutem ejus effuſus fuit.

Conſolationem fidelium à morte Chriſti petitam ſatis firmam fore dicunt, quamvis non pro ſolis ipſis mortuus fuerit. 1. *Quia falſa conſolatio fidei putatitiæ non reddit inanem veram conſolationem fidei veræ.* 2. *Quia conſolatio fidelium non nititur ſolâ morte Chriſti, ſed & ejus reſurrectione, ac interceſſione, quæ pertinent ad ſolos fideles.* Sed 1. Argumeutum omnibus hominibus commune non magis poteſt ex ſeſe conſolationem quibuſdam propriam adferre, quam poteſt 3.

cum

cum proprio confundi. 2. Obſervandum illud quod verè dicunt, dicere Chriſtum ex æquo pro omnibus mortuum eſſe *fides eſt putatitia* & *conſolatio* ex inde ſequens *falſa*. Hoc enim eſt quod volunt, ſi comparationem inſtituant rectè, & ad argumenti ſenſum. 3. Perpendendum etiam & urgendum illud, quod ipſi notant, Mortem, Reſurrectionem, Seſsionem ad dextram Dei, & Interpellationem, conjungi ab Apoſtolo, Rom.8.34. & cum electione connecti etiam, ut ex verſ.33. manifeſtum eſt, *quis intentabit crimina adverſus electos Dei?* 4. Ultimum illud, non tam refutari, quã explodi meretur, ab omnibus Chriſtianis, *Mortẽ Chriſti ad multos pertinere ad quos non pertinet ejus Reſurrectio & Interceſſio.* Nam 1. ſi non reſurrexit pro omnibus, pro quibus eſt mortuus, tum pro quibuſdam mortem ſubivit, pro quibus mortem non ſuperavit. 2. Pro quibuſdam obtulit ſe in terris, pro quibus non præſentavit ſeſe coram vultu Patris in cœlo, quam tamen oblationis ejus partem eſſe, Arminius ipſe concedit. 3. Tum quidam eorum ſunt penitus, & omni modo in ſuis peccatis. 1. Cor. 15. 7. 4. Quibuſdam eorum nulla vis & gratia Spiritus communicatur unquam: hæc enim ab Aſcenſione Chriſti pendet. Eph. 4. Quid igitur fiet de gratiâ univerſali, & nullis non ſufficiente? Infinitum eſſet recenſere cuncta, quæ figmentum iſtud convellunt: ſatis erit ex Apoſtolo, Heb. 9. 12. monere, redemptionem ipſam non obtineri completè, niſi per ingreſſum Pontificis noſtri ſummi, in ſanctuarium cœleſte cum ſanguine ſuo. Monendus tamen hic Lector verbo vno, quomodo Remonſtr. in reſponſione ad Walachros perturbatâ neſcio quâ diſtinctione, invidiam hujus commenti ſtudeant effugere. *Mortuus eſt Chriſtus* (dicunt p. 51.) *adæquatè pro peccatoribus omnibus, reſurrexit & intercedit cum ſalvandi intentiome adæquatè pro fidelibus.* Diſtinguitur hic mediatio quaſi in partes, priori nempè morti

Diſp.publ. 14. Theſ. 14.

morti nullam intentionem ſalvandi relinquunt, & obverſari faciunt circa ipſos reprobos:ſed poſteriori, nempe reſurrectioni, totam ſalutis intentionem adrogant, eamque circa ſolos fideles obverſari volunt. Unde manifeſtò ſequitur, non mortis ſolum valorem & ejus applicationem (ut ſentire videri volunt) ſed & Mortem ipſam & Reſurrectionem, intentione, fine, objecto, (quod negant eadem pag.) diſtinctas ipſorum & disjunctas eſſe ſententiâ. Diſtinctio hæc igitur ita nihil eſt, ut ubi ſint, ipſi neſciant.

CAPUT VI.

Argumentum quintum.

Pag. 189.

SI omnibus & ſingulis hominibus, nemine excepto, reconciliatio cum Deo, & remiſſio peccatorum impetrata eſt, tum ſermo quoque reconciliationis, omnibus & ſingulis hominibus, nullo excepto, ſemper eſſet annunciandus. Ratio eſt, *quia particeps hujus reconciliationis nemo ſit, niſi per fidem. Rom.3. 25. Fides non ingeneratur, niſi per auditum. Rom.10.14.17. Hoc autem non fieri, non experitientia ſola docet, ſed & Scriptura. Pſal. 147.19. 20. Act.14.16. & 16.6. Ergo.*

Verbum reconciliationis non omnibus annunciari: ac proinde Chriſtum reipſa omnibus & ſingulis non impatraſſe reconciliationem.

Remonſtrantes: *ſpeciem huic argumento ineſſe non negant, ſed ijs evaneſcere dicunt eam ſtatim, qui rem probè expendunt.* Videamus igitur eorum lances quibus alijs præeunt in expendendo. 1. *Æquè hoc argumentum valere dicunt adverſus nos, qui omnibus nationibus, ac populis, reconciliationem impetratam eſſe fatemur, quia omnibus populis, ac nationibus, verbùm non ſemper annunciatur.* Ubi fallaciam admittunt non unam.

1. Quum omnibus nationibus ac populis reconciliatio impetrari dicitur à noſtris, communiter hoc intelligi norunt, non univerſaliter, vel generaliter: hoc eſt, nullam,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

nationem nominatim excludi, non omnem tamen ſic includi, ut qualicunque populo in inſulam aliquam conveniente, neceſſe ſit, ut in illo numero nonnulli ſint, ad quos Chriſti redemptio ſpectat. 2. Omnibus populis & nationibus ſic annunciari poteſt verbum, ut redemptionem communem exęquet, quamvis non *ſemper* omnibus prędicetur, non enim dicitur in omni populo, omni tēpore, aliquos eorum haberi, quibus Chriſtus impetravit ſalutem. At verò qui omnibus & ſingulis mortalibus reconciliationem impetratam eſſe dicunt, ij in omni loco, ubi vivunt homines ſemper tales inveniri docent, quales Chriſtus redemit, & reconciliavit Patri. Quamvis igitur nulla ratio exigat, ut Evangelium ſemper omnibus nationibus prædicetur, propter omnium nationum redemptionem communem, univerſalis tamen redemptio omnium & ſingulorum hominum, neceſſariò poſtulat, ut ſemper omnibus Evangelium adſit.

2. *Verbum recōciliationis ordinarium eſſe medium concedunt, quo beneficium Chriſti morte partū, hominibus adminiſtratur, ſed quo tempore, & quâ ratione, hoc debeat fieri, hoc relinquendū eſſe putāt ſapientiæ & juſtitiæ divinæ.* Relinquatur igitur, quis vetat? modo nihil interim ſtatuatur, quod cum ſapiētiâ, juſtitiâ, & rectâ ratione pugnat. Pugnat autem apertè cum ſapientiâ divinâ, ut ſalutem omnium ſub ratione finis æquè velit, intendat, ac impetrari faciat, & medium tamen, ſine quo fruſtra ſalus exſpectatur, non niſi paucis concedat: Vt impetratio ſalutis talis impetretur omnibus, ex voluntate ſalvandi omnes, qualis nemini quidquam adferat boni niſi cognoſcentibus, non cognoſcatur tamen, niſi à paucis. Cum juſtitiâ pugnat, ut univerſalis conſtituatur lex, omnes obligans & afficiens, quæ non ita promulgetur, ut omnibus & ſingulis innoteſcat. Cum ratione deniq; & ſenſu communi non ſatis convenit, ut ordinarium illud medium dicatur Salutis, quod non ordinariè conceditur ijs, quibus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

quibus ſalus intenditur ipſa. Hæc ego meis verbis non urgebo, ſed ex ipſorum potius deſumam ore, quod ipſis obturet os. Similitudines nempè, quas ut huic illuſtrãdo myſterio, accommãdatiſſimas ab ipſis accepimus, & mutatas paululum reponemus ipſis. *Medicus venditat ſe remedium ha-* Pag. 175. *bere adverſus omnes ægritudines, quod ægris etiam omnibus communicare vellet ut ejus beneficio ſanētur, interim verò nullo modo ſignificat, niſi pauciſſimis, hujuſmodi remedium ipſis paratum eſſe. Similiter potens aliquis Princeps pecuniã ſe paraſſe dicit, redimendis omnibus captivis, & liberationem eorũ ex animo deſiderare: ſed quamquam hoc præ ſe fert, tamen certò apud ſe decrevit ſinere, ut nulli captivi paucis quibuſdam exceptis, certiores unquã fiant, vel intentionis, vel præparationis hujus benignæ. An gloriatio ejuſmodi medici vel principis, eſſet juſta? Nihilo magis conſiſtere poteſt, quod Chriſtus pro omnibus mortuus fuerit, reſpectu voluntatis vel intentionis divinæ, niſi omnibus nota fiat hæc tam propenſa voluntas.* Hujus etiam comparationis ope retundi poteſt argumentum, illud ab ipſis inverſum. *Quibus Deus vult verbum reconciliationis proponi, illis quoque eſt reconciliatio impetrata: at Deus vult illud omnibus proponi. 1. Tim. 2. Marc. 16. ergo.* Si enim Princeps, vel Medicus ille, communiter omnibus redemptionis pretium, aut medicinã panchreſtam, proponendam eſſe diceret, interim tamen ad nullorum aures famam ejus perventuram ſciens, niſi per nuntios deſtinatos ad ſingulos eam deferri curet, non mittat ſervos tamen niſi ad paucos, quorum habet rationem ſingularem, an dicendus eſt ille propriè, & ex æquo, omnibus & ſingulis vel ſalutem vel medium ejus velle? Sic ſe res habet in diſpenſatione verbi.

Obſervant *aſſumptionem argumenti non rectè formari quia* 3. *dicitur ibi verbum non eſſe omnibus, propoſitum, quum dicendum eſſet, non omnibus eſſe proponendum, quod falſum eſt.* Sed nihil dixiſſe pręſtabat, quam de nihilo vitilitigare. Non latebat eos, cum in propoſitione dicitur ſuppoſitâ reconciliatio-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

ne generali verbum reconciliatonis omnibus & ſingulis *annunciandum* eſſe, hoc non de officio hominum intelligi, quaſi ijs hanc ob cauſam incumberet omnibus & ſingulis prædicare, ſed de providentiâ divinâ, quâ proſpexiſſet ille, & effeciſſet, ut actu omnibus hoc verbum annunciaretur, ſi modò omnibus & ſingulis, redemptionem & ſalutem tam præparaſſet, quã impetrari feciſſet. Appoſitè igitur, & ſecundum dialecticæ regulas tollitur conſequens pars propoſitionis in aſſumptione, *hoc verbum non eſt annunciatũ*, vel *Deus non effecit ut actu annunciaretur*, quod idem eſt ut antecedẽs tollatur in concluſione, *ergo omnibus & ſingulis redemptionem & ſalutem non paravit, & impetrari fecit Deus.*

4. Ad aſſumptionem ipſam tandem accedunt & imprimis affirmant, *huic fratrum propoſitioni obloqui Scripturam, reſpectu temporis novi Teſtamenti.* Huic propoſitioni? Cui, rogo? *nempe verbum reconciliationis non omnibus annunciari.* Nihil quidem dubito, quin propoſitiones Noſtrorum ſpeciè ſaltem contrarias efficient Scripturæ ſacræ, modò eas fingẽdi & refingẽdi libera concedatur poteſtas. Aliud fuit quod aſſumebatur in argumẽto, nempe *omnibus & ſingulis hominibus, nullo excepto, non annũciatum eſſe reconciliationis verbum ſemper.* Huic propoſitioni, ne verbo quidẽ tenus, Scripturam uſquam obloqui videbant: per figuram igitur transfigurationis, in dubiam conijciunt verborum formam, cui dicta quædam Scripturæ videntur adverſari. Sed quid eſt quod adferunt ex Scripturis? *Deum omnibus mandare ut reſipiſcant.* Act. 17. 30. *Apoſtolorum ſonum exiiſſe in omnem terram* Rom. 10. 18. *Evangelium prædicatũ eſſe omni creaturæ.* Col. 1. 23. *ſalutiferam gratiam illuxiſſe omnibus hominibus.* Tit. 2. 11. Quibus omnibus nihil aliud vult Apoſtolus, quam non jam in angulo aliquo mundi contineri ſonũ Evangelij, ſed omni hominum generi, per totũ orbem, communiter, & publicè proponi, & magnã ejus partẽ jam permeaſſe. Quid hoc ad propoſitionẽ Evangelij debitã omnibus ac ſingulis homi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

ibus factam, quibus recõcilationem per Chriſtũ impetratam eſſe dicũt? Diſcant iſtinc potius, quomodo phraſes illę generaliores, quę in redẽptionis negotio ſolẽt uſurpari, explicari poſſint ex alijs locis: eodẽ ſcilicet modo Chriſtũ dici mortuum pro omnibus, & pro mundo, quo Evangeliũ omni creaturę prędicari, & Spiritus effundi ſuper omnẽ carnẽ. Chriſti nãq; merita, Evãgelij efficacia, & Spiritus inhabitatio cõjungũtur à Deo, & ab homine nõ debẽt ſeparari.

Poſt hæc fatentur *eſſe populos quoſdam etiam huius temporis,* 2.
qui adhucdum nihil omninò de hoc reconciliationis verbo ſciunt. Aſſumptionem igitur integrã concedunt, ſed licet veram eam eſſe non poſſint negare, quũ ſic ſe rem habere, cælum ipſum terraque teſtantur, intactam tamen non ſinunt præterire. Dicunt igitur *Deum ab initio mundi, & poſtea in proſapiâ Noachi, & tandem per Chriſti Apoſtolos, toti mundo verbum hoc reconciliationis propoſuiſſe, ut illud ad omnes propagaretur.* Quod nihil omninò ad rem facit: cum enim reconciliationis beneficium, ſit quaſi privilegiũ, non hominibus per ſocietatẽ conjũctis, ſed ſingulis privatim ſeorſim pro ſe conceſsũ, & alienâ fide nemo particeps ejus evadit, quid attinet narrare homini miſero, qui nunquã forſan de Adamo, Noacho, & Apoſtolis audivit, quid illis, aut ab illis, factum fuerit ante aliquot annorum millia? De ſingulis quæritur in ſeſe, an verbũ reconciliationis prędicatum habeant ſibi? *Voluiſſe deum*, dicunt, *ut propagaretur ad omnes*. Quam iejunũ hoc? ad velleitatẽ imperfectã confugere, quum de providentiâ diſputatur, & ejus effecto: talem enim intelligũt affectum, cum Deum hoc velle dicunt. Si autem verè & propriè voluiſſe hoc Deũ dicant, Ariſtotelis verbis refelli ſatis poſſunt. Rhet. l. 2. *Si voluit: & potuit, ergo etiã fecit: omnes enim cum poſſunt & volunt aliquid facere, id etiam faciunt.* Refutãtur etiam expreſſis Chriſti verbis, Ioh, 3. 8. *Ventus quo vult, ſpirat: ita eſt quiſquis genitus eſt ex Spiritu.* Ictum huiuſmodi ſententiæ priori videbant Remonſtrantes quaſi imminentem,

nentem,& præcavere ſtudebant etiam,quoad fieri poſſet. Viſum eſt igitur ipſis inquirere in cauſam, *cur verbum ubique non ſit prædicatum.* Sed litem hanc totam fruſtra movent, hoc ſaltem loco, neque enim de hujus rei causâ dicebatur quidquam in argumento: nec poſſibile eſt,ut per cauſam ullam impediatur illa cauſa, quæ quidquid vult, facit, tam in cælo, quam terrâ. Non nihil tamen de hujus rei causâ proferre geſtiunt: atque adeò poſtquam peroraverint in ſententiam noſtrorum de Prædeſtinatione, ea quæ non ſunt hujus loci,monent imprimis ut conſtanter in omnem eventum retineatur, quod Apoſtolus habet, Rom. 11.32. *Deum omnia ſub peccato concluſiſſe, ut omnium miſereretur.* Quâ in re me quidem aſſenſorem habent, vel maximè, ſed eâ lege, ut ab eodem Apoſtolo optimo interprete ſui, genuina mens hujus dicti petatur. Illam vero his verbis expoſuit Gal. 2. 22. *Scriptura concluſit omnia ſub peccatum, ut promiſſio ex fide Ieſu Chriſti daretur credentibus:*ubi per *omnes* intelligere ſe indicat *omnes credentes.* Hoc ſuppoſito apponunt illud, *facti hujus rationem plurimâ ex parte abſconditam eſſe nobis.* Quod nos libenter accipimus, modò cauſam intelligant voluntate Dei priorem: hoc enim nobis abſconditum eſſe non poteſt, voluntatem ipſam Dei cauſam aliquam ſaltem eſſe, tam cohibitionis, quàm communicationis eorum, quæ ab ipsâ pendent,& in iſtiuſmodi rebus abſconditis, optimum ſemper ac tutiſſimum eſt, in Dei voluntate quieſcere, ut in supremâ causâ. Hanc nobis modeſtiam Chriſtus ipſe commendat proprio ſuo exemplo. Matth. 11.26. *Etiam Pater, quoniam ita placuit tibi.* Eò poſtea deſcendunt, ut ſpem nobis faciant veram audiendi cauſam: ſed exſpectationem, ut prius, fallunt. 1. Fieri poſſe dicunt, ut latius opinione noſtrâ ſit propagatum evangelium, quanquam poſtea obſcuratum & collapſum. Hoc nos non imus inficias: ſed fieri non poſſe dicimus, ut ad omnes, & ſingulos, perveniret,

Quæ ſit cauſa cur Evangelium omnibus & ſingulis non prædicetur.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

niret, nullo excepto: quod in quæſtione habetur. 2. *Culpam ejus potuiſſe hærere, partim in negligentiâ præconum, partim in hominum ingratitudine, qui curſum Evangelij remorati ſunt.* Culpam aliquam in iſtis hærere, nihil dubium: ſed 1. miſerum eſſet Eccleſiæ, ſi ex aliorum hominum arbitrio, ſalus ejus ſuſpenderetur, ita ut ad cognitionem Dei perveniant illi ſoli, quibus homines negligentes & ingrati non volunt eſſe fraudi. 2. Cum de præconibus ac prophetis quæritur, vetus illud verbum revocandum eſt in memoriam. 1. Sam. 10. 12. *Quis eſt eorum pater?* is nempe qui Saulem, inter Prophetas, & Saulum, inter Apoſtolos, ſic inſtituere novit, ut munere ſuo, cum ſummâ curâ fungantur. 3. Quis denique vim facit Evangelio, vel januam ſuis aperit, niſi Dei Spiritus? Deo autem præparanti ſibi viam, celſiſſimi cedunt colles. Iſa. 40. 3. *Deum cum placet, alio modo uti poſſe* dicunt. Poteſt indubiè, ſed ſi alijs utatur ad ſalutem ſufficientibus, in ijs omnibus, qui Evangelio deſtituuntur, tum Evangelij predicatio, non eſt medium ſalutis ordinarium: eorum enim numerus longè maximus cum ſit, illa ratio ſalutem aſſequendi dicenda eſt ordinaria, quæ inter illos obtinet, & evangelicos omnes, extraordinariâ viâ ſalvari. 4. *Cauſam quærendam eſſe monent in proprijs hominis præcedentibus peccatis.* Neque id nos omninò negamus, ſed hominum opera præcedentia, legem & menſuram eſſe vocationis divinæ hoc negare nos, & Scriptura jubet. Deut. 9. 4. 5. 6. & experienta cogit. 5. *Deum non pati ſe dicunt expertem eſſe teſtimonij, inter eos qui nec Evangelium, nec Legem ſcriptam habent & quidem tanti, ut illis omnis excuſatio tollatur.* Hoc varijs teſtimonijs confirmant. Sed mirandum eſt hujuſmodi aſſertiones ab iſtis accumulari, cùm nec ad argumentum propoſitum quidquam faciunt, nec à Noſtris unquam in dubium vocatæ fuerunt. Nobis non licet eſſe tam otioſis, ut divinando quæramus, quorſum hæc talia fundunt.

CAPVT

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

CAPVT VII.

Argumentum ſextum.

Pag. 193.

Chriſtus ſummè non dilexit omnes & ſingulos: ac proinde pro ijs etiam propriè non eſt mortuus.

PRO quibus Chriſtus propriè eſt mortuus, eos & ſummè dilexit. Ioh. 15. 13. 1. Ioh. 3. 16. Atqui non amat ſingulos ſummè, quia quoſcumque ſummè amat, ijs non meretur tantum, ſed & applicat ſalutem re ipſa. Ergo non eſt pro ſingulis propriè mortuus.

Remonſtrantes hoc in loco tam varijs ambagibus circumveſtiunt reſponſum ſuum, ut vix intelligi poſſit, quid illud ſit, in qua præ cæteris acquieſcere volunt.

1\. *Si ſupremus amor conſiſtat non tantum in promerendâ, ſed & in applicandâ ſalute, ſicut confirmatio Minoris præ ſe fert, tum propoſitionem negamus.*

Sed 1. amor propriè nec in promerendi, nec in applicandi, opere conſiſtit, eſt enim amor voluntatis actus immediatus, quo vult quis alicui ea, quæ bona ſunt, vel videntur ſaltem eſſe: bona ipſa ſunt effecta quæ ex amore exiſtunt; amor in ijs non propriè conſiſtit. Redemptionis opus *commendat*, non conſtituit, charitatem Dei. Rom. 5. 8. Intentionem hanc applicandi ſalutem omnibus ijs, quibus impetrata fuit, adfuiſſe Chriſto, probavimus ante: & Apoſtolus videtur expreſſè alterum ex altero confirmare, Rom. 5. 8. 9.

2\. *Dilectionem Dei, & Chriſti, erga nos, duplicem eſſe dicunt, unam quæ noſtram fidem ac dilectionem præcedat, Ioh. 3. 16. 1. Io. 4. 9. 1. Ioh. 4. 16. Eph. 5. 2. alteram quæ fidem noſtram & dilectionem erga Deum ſubſequitur: Ioh. 14. 22. 23, Act. 10. 34. Heb. 11. 6. priore Chriſtum omnes & ſingulos amare: poſteriore non ſummè amare omnes illos pro quibus mortuus eſt.* Hanc autem diſtinctionem extinguunt ſtatim ipſi: fatentur etenim *ſecundam hanc dilectionem nihil aliud eſſe, quam prioris continuationem*

nem, & ampliationem per nova beneficia. Hoc ſi verum ſit, tum amplior nulla differentia datur inter dilectionem præcedentem & ſubſequentem, quam quæ in externis beneficijs vel effectis conſiſtit. Hæc verò dilectionis ipſius naturam & ſpeciem non poteſt variare, imò ne gradum quidem ipſius propriè. Chriſtum in cruce pendentem amavit æquè Pater, ac in cælos aſcendentem. Abrahamum non minus amavit Deus, cui nullam hæreditatem dedit in terrâ Canaan, ne veſtigium quidem pedis, Act. 7. 5. quam poſteros ejus, quos in illam regionem ſuo tempore deduxit. Manifeſtationem & ſenſum amoris, nec non complacentiam etiam, vel approbationem ſtatus Deo grati fidem ſequi fateor, quæ mens eſt Spiritus Sancti, Ioh. 14. 22. 23. Act. 10. 34. Heb. 11. 6. ſed amorem, vel novum accedere, vel ipſum propriè augeri, quoad intentionem internam, hoc nec fides, nec ratio admittit. Præterea impetratio illa quæ ab applicationis intentione & propoſito ſeparatur, amoris nomen vix poteſt quidem ſuſtinere. Non amat enim, niſi qui bonum vult alicui applicatum: amare enim (inquit Ariſtot. Rhet. lib. 2.) eſt optare bona alicui, & pro viribus conferre, βούλεσθαι τινὶ ἀγαθὰ, καὶ τὸ κατὰ δύναμιν πρακτικὸν εἶναι τούτων.

De Ioh. 15. 13. implicatum aliquid adferunt, *Chriſtum* Ioh. 15. 13. *ſcil. non dicere hanc eſſe maximam charitatem ejus, ut vitam ſuam ponat pro amicis ſuis: ſed tantum vulgarem aliquam ſententiam proferre, quam tamen ſibi non applicat, quâ quidem oſtendit, maximam illam charitatem eſſe, quæ inter homines inveniatur, & tacitè ſubindicat, charitatem ſuam quam hominibus exhibet, eſſe adprimè & ultra modum magnam.* Sed mirum eſt dicere non applicari ſententiam illam, quum comparationem ibi fieri palam ſit, inter dilectionem hominum & Chriſti, eodem planè ſenſu, quo eadem inſtituitur collatio, Rom. 5. 7. 8. & comparatio nulla ſit, ubi nulla ſit arguentis, ad id quod arguit, applicatio. Si verò juſta ſit

applicatio, tum proportio talis obſervatur, ut ſicut inter omnia dilectionis effecta nullum ſuperius eſt inter homines, quam vitam pro alio ponere, ſic nullum cogitari poteſt efficacius argumentum dilectionis Chriſti, quam quod vitam ponat pro ipſis, quod etiam in illâ parte humanum amorem ſuperat, quod pro inimicis hoc fecit, quod homines vix amicis optimis præſtabunt. Obſervandum etiam (quod fatentur iſti) Chriſti propoſitum hoc in loco eſſe, charitatem ſuam, quam hominibus exhibet, commendare, ut ultra modum magnam. Si enim hoc voluit, proculdubio maximum hujus amoris proferebat ſpecimen, neque illud omnibus & ſingulis mortalibus commune, orationem ad ſuos habuit, ſed proprium illorum, quos ſummo complexus eſt amore.

4. *Collationis vim in illis verbis collocari dicunt (vitam ponit) cum enim vitâ nullum pratioſius pignus quis pro alio conſtituere poteſt, meritò dicitur ſummam eſſe charitatem, vitam deponere, hoc cum ſcopo Chriſti convenit, ſicut & cum alijs locis. Eph.* 5. 2. 1. *Ioh.* 3. 16. *non loquitur tamen Apoſtolus de ſumma Dei dilectione, neque de aliquâ illius ampliatione.* Ubi ſibimet ipſis contradicere ſe animadvertere facile potuiſſent: quid enim pugnans magis eſt, quam fateri ſummum amoris pignus conſtitui, ita ut merito ſummam charitatem oſtendiſſe dicatur, & verbis expreſſis hoc ſignificari, & ſimul tamen affirmare nihil dici de ſummâ Dei dilectione neque de aliquâ illius ampliatione? Non opus eſt verbis alijs, aſſertionis hujus pars conſequens à priore ſatis eſt refutata.

Addunt autem, *Si velimus eam pro ſummâ dilectione accipere, agnoſcendum eſt illud (nos) non reſpicere præſentem eorum conditionem, qui ibi loquuntur (Ioh.* 3. 16.) *ſed illud quod prius fuerunt, nempe inimici:* Obſervet iſtic Lector quam benè ſibi conſtet Remonſtrantium oratio. In articulo priore ad ſingula ferè Scripturæ loca, quæ fidem ab electione pendere probabant, non electionem à fide, regerebant illi ſemper.

Nos

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

Nos haberi in contextu, vel in capite, vel in aliquâ parte ejuſdem ſcripti; atque hoc ſatis eſſe putabant ad probandum, electionem reſpicere fideles, quâ tales. Nunc verò econtra, cum ſimilem rationem adverſari vident ſibi, agnoſcendum eſſe dicunt, illud *Nos* ad conditionem præteritam reſpectum habere. Agnoſcant igitur ſimul non ſerium argumentum fuiſſe, quod ab iſta particulâ in priore causâ petebant: & nos in hac rogatione non difficiliores habebunt. Quid inde lucri facient? Hoc ſcilicet, *illam eſſe maximam charitatem, quam exhibere potuit inimicis: ſed charitatem majorem exhibitam eſſe fidelibus.* Sed. 1. conditio hæc inimica (*ſi cum inimici eſſemus*) memoratur ab Apoſtolo Rom. 5. 10. Non ad iſtam charitatem à majore aliquâ diſtinguendam (ut iſti faciunt) ſed ad amplificandam eam quantum fieri poteſt, & illuſtrandam per collationem indignitatis noſtræ. 2. Si non charitas hæc ſumma eſſet, & eadem etiam cum illâ, quæ circa fideles verſatur, non toties à Spiritu Sancto fidelibus proponeretur, quaſi eſſet unicum fidei pabulum & firmamentum. 3. Apoſtolus Rom. 5. 8. 9. 10. Ubi comparationem inſtituit inter opus reconciliationis, & ſalutis completæ, non duas charitates inter ſe committit, ſed ejuſdem charitatis effecta duo: manifeſtò nos docens ab eâdem charitate, tam redemptionem, quam ſalutem venire. 4. In iſtâ comparatione maximum beneficium eſſe docet, quod Christus mortuus eſt pro nobis inimicis ejus, minus autem, quod reconciliatos jam & amicos ſervet: qui fecit quod majus eſt (inquit Apoſtolus) ille multo magis faciet illud, quod minus eſt. Sed Chriſtus fecit quod majus eſt in reconciliandis nobis Deo, multò igitur magis, quod minus eſt, faciet, ſervando jam reconciliatos. *Multo igitur magis*, bis inculcatur. verſ. 9. 10. Ne quemquam lateat poſterius hoc minus eſſe, atque adeò magis promptè faciendum. 5. Tam inſignitis notis charitatem ſummam

in morte Chriſti obſervandam, deſignatam habemus à Spiritu Sancto, ut negari non debeat ab ullo Chriſtiano. *Commendat Deus charitatem ſuam erga nos, eò quod cum adhuc eſſemus peccatores, Chriſtus pro nobis mortuus eſt. Rom.* 5. 8. *In hoc eſt charitas.* 1. *Ioh.* 4. 10. *Sic Deus dilexit mundum. Ioh.* 3. 16. *Si Deus nos ita dilexit.* 1. Ioh.. 4. 11. *Neque id ſolum, verum etiam gloriamur in Deo per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, per quem nunc reconciliationem acccepimus.* Rom. 5. 11. *Flecto genua mea ut valeatis aſſequi cum omnibus Sanctis, quæ ſit illa latitudo & longitudo, & profunditas, & ſublimitas, & cognoſcere charitatem illam Chriſti omni cognitione ſuperiorem.* Epheſ. 3. 18 16. Ratio denique ipſa veritatem iſtam confirmat: non poteſt enim ullo modo exhiberi major charitatis affectus, niſi effectus ejus exeri poſit aliquis, qui vel magis eſſet in ſe excellens, vel minus nobis deberetur. Præſtantius autem nihil donare Chriſtus potuit, quam ſemet ipſum, ſuamque vitam: nec minus nobis deberi quidquam poteſt, quam ut ille peccatum fieret propter noſtra peccata, ut nos juſti reddamur propter juſtitiam ejus.

5. Obſervant in aſſumptione argumenti poni, quod Chriſtus illis quibus ſummam ſuam charitatem exhibet, non tantum ſalutem meretur, ſed & applicat. Inde 1. colligunt *non conſiſtere ſummam exhibitionem charitatis illius in eo quod pro aliquo vitam ſuam ponit.* Id quod ego etiam non diffiterer ſequi, ſi impetrationem talem monſtrare nobis poſſint, qualem ſibi fingunt, ab applicatione ſcilicet & ejus intentione, vel deſtinatione certâ disjunctam. Sed cum certum ſit redemptionem iſtam ijs omnibus & ſingulis applicari, quibus fuit impetrata, & applicationem ab impetratione pēdere, ut effectum à cauſa, perinde faciunt ſic argumentando, ac ſi dicerēt, ſummam charitatem in electione ad vitam non elucere, quoniam quos ſummè diligit Deus, non eligit tantum ad vitam, ſed

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

t in poſſeſſiouem ejus mittit. 2. *Exhibere Chriſtum ſummam aritatem credentibus ſolis in applicatione concedunt, ſed inde on ſequi dicunt, quin ſummam etiam exhibuerit omnibus, cum dhuc eſſent inimici, quantum poterat, ſecundum Dei voluntatem & juſtitiam.* Hoc autem ſequi, ſatis ante probatum fuit. Illud tamen in auctariũ hic adijci poteſt, quidquid ſit quod n applicatione fit, poſt cõditionem poſtulatam, ab homi-ne præſtitam, id, ex Remonſtrantium ſententiâ, ſub ratio-ne præmij, ac mercedis, non finis, confertur: atq; adeò ad juſtitiam potius referri debet, quam ad gratiam & charita-tem. Charitas propriè in optando ac parando bono conſiſtit, non in conferẽdo pręmio ex conditione pręſcriptâ. Neque verò aut *volũtas* Dei ullo fuit impedimento, quin Chriſtus inimicos illos, quos redimẽdos accepit, æquè diligeret ac amicos ullos. Hęc enim volũtas fuit Patris, ut oves perditas, non minore affectu, quæreret, quam partas tueatur. Luc. 15. 4. *Iuſtitia* verò non potuit obſtare, quoniam eò imprimis charitas iſta ſpectabat, ut læſę juſtitiæ cumulatè ſatisfieri poſſit. *Nicol. Gr. pag. 126. 129. 136.*

CAPVT VIII.

Argumentum ſeptimum.

P. 196.

PRO quibuſcunque Chriſtus eſt mortus, atq; remiſſionem peccatorũ & reronciliationem cum Deo impetravit, ijs & morte impetravit liberationem à ſervitute peccati, & Spiritum regenerationis in novam vitam. Rom. 6. 5. 6. 2. Cor. 5. 15. Heb. 2. 14. 15. Ier. 31. 33. 34. *Act.* 5. 31. *Sed hæc liberatio à ſervitute peccatorum, & regeneratio per Spiritum, non eſt ſingulis hominibus impetrata, ut rerum uſus docet. Ergo neq; reconciliatio cũ Deo & remiſſio peccatorum.* 1. Reſpondent hic Remonſtr. breviter, *negando Minorem, quia liberatio à ſervitute peccati, vel jus & medium illius, omnibus & ſingulis eſt impetratum: quamvis non applicetur omnibus ad actualem liberationem.*

Chriſtus non regerat omnes & ſingulos: ac proinde pro ijs non eſt efficaciter mortuus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

Sed 1. non bene explicant impetrationem liberationis, per impetrationem juris & medij ejus. Aliud enim eſt efficere ut liberatio certò concedatur omnibus, quod noſtri per hanc impetrationem intelligunt, aliud ut indefinita ac indeterminata poteſtas ejus paretur, id quod iſti per jus & medium volunt. 2. Cum per jus liberationis poteſtatem illam intelligant, quam Chriſtus acquiſivit ſibi, ut ſcilicet ſervare poſſit credentes, hæc impetratio Chriſto potius, quam nobis fieri videtur. 3. Chriſtus etiam, ex Remonſtrantium ſententiâ, morte ſuâ ſibi acquiſivit jus perdendi infideles. Non poſſe hoc negari Nicolaus affirmat p. 22. ſi igitur hujuſmodi juris acquiſitio dicenda ſit impetratio, reſpectu illorum ad quos extenditur, tum perditionem ac damnationem non minus hominibus impetraſſe dicendus eſt Chriſtus, quam rereconciliationem ac liberationem à peccato & morte.

Rom.6.5.6 2. Percurrunt leviter loca citata, *Rom. 6. 5. 6. aſſimilatione mortis coaluimus ipſi &c. de mortificatione fidelium loqui, quæ non pertinet ad impetrationem, ſed ad applicationem:* Disjungentes illa quæ à Spiritu ſancto conjungi ſemper ſolent. Per imputationem enim Dei, communionem habuimus cum Chriſto in ipſius morte, adeò ut una cum ipſo crucifixus dicitur vetus noſter homo: & hujus communionis vi, actualis etiam, ſuo tempore, ſequitur ejuſdem corruptionis abolitio, quæ mortificatio nominari ſolet. Ad Heb. 2.14.15. obſervant *fines mortis Chriſti extendi ad omnes*, non animadvertentes interim per omnes ibi intelligi *filios in gloriam adducendos* verſ.10. *ſanctificandos & fratres Chriſti* verſ.11. *Eccleſiam* verſ.12. *& pueros quos Chriſto Deus dedit* verſ.13. Neque ullo modo ad omnes & ſingulos mortales extendi poſſe illud quod verſ. 14. dicitur, diabolum & poteſtatem ejus mortiferam reſpectu eorum *abolitam eſſe*, vel quod verſ.15. *liberos eos reddi*. De Ier.31.33. & Act. 5.31. *ignorare ſe ſimulant cui fini citantur*. Sed planè ſatis

Heb.2.14.15. *Ier.31.33.* *Actor.5.31*

itis hoc dictum habent in argumento ipſo: p.134. ut pro-etur ſcilicet liberationem cum reconciliatione conjun-a in fœdere gratiæ, atque adeò in ejuſdem fœderis au-tore ac ſponſore Chriſto, non debere disjungi. Neque oc quidem in controverſiam venire dicunt. Hæc tamen ontroverſiæ non minima pars eſt, utrum Chriſtus om-ium nomine placavit iram divinam, non tamen obti-uit ut omnium cordibus inſcriberetur lex divina, quæ uo ſimul conjunguntur in fœdere novo. Ier.31.33.34.

CAPUT IX.

Argumentum octavum.

P. 198.

Chriſtus non intercedit pro omnibus & ſingulis: ergo neque pro ijs eſt mortuus.

QVibus Chriſtus Reconciliator eſt factus, eorum & Interceſſor factus eſt: hæ enim duæ officij Chriſti partes non debent isjungi: Rom.8.3.4. 1. Ioh. 2.2. Atque Chriſtus non eſt factus terceſſor omnium & ſingulorum hominum. Ioh.17.9.19,20.

1.

An ſit duplex Chriſti interceſſio.

Diſtinctionem cudunt Remonſtrantes *de interceſſione, uam duplicem faciunt, univerſalem unam, quæ eſt totius mun-i. Iſ.53.12. Luc.23.34. alteram vero particularem, quæ eſt fi-elium. Ioh.17. Rom. 8.34. Propoſitionem igitur non eſſe veram, ſpectu omnium interceſſionis ſpecierum.* 1. Diſtinctionem anc ab illis dicebam cudi, quia nullibi eam reperiri redo, apud idoneum aliquem auctorem, ſed excogita-um ab ijs in præſenti. 2. Inanem etiam dico, quia rem iſtinguendo obſcurat verbis inanibus, non explicat iviſione reali. Interceſſionem dicunt eſſe univerſalem ro omnibus, & particularem pro fidelibus: quid autem t univerſaliter intercedere, quid particulariter hoc non icunt. Sic quivis poſſet per diſtinctionis notas & phra-s vacuas *ſimpliciter, & ſecundum quid, latè & ſtrictè, ge-raliter & particulariter* nullos non ſolvere nodos. 3. Nul-m teſtimonium ex ſacris literis adferre poſſunt, ad univer-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

univerſalem illam interceſſionem probandam. Iſ. 53. 12. *pro defectoribus intercedere* dicitur, non autem pro omnibus & ſingulis, ſed pro multis illis, quorum ibi mentio fit, & quos etiam juſtificare dicitur verſ. 11. *Iuſtificabit juſtus ſervus meus multos*, id eſt, *fideles*, Rom. 3. 26. Neque magis ad propoſitum eſt alter ille locus, Luc. 23. 34. *Remitte ipſis.* Nam pro omnibus hæc oratio non habetur, ſed pro *ipſis* crucifigentibus: nec ſimpliciter pro ijs omnibus & ſingulis; ſed pro ijs tantum, qui peccabant ex ignorantia. Quod in oratione Chriſti diſertè exprimitur, & confirmatur, Act. 3. 17. Quoniam autem Chriſtus ſemper exauditur à Patre, Ioan. 11. 42. non eſt dubium, quin impleta ſit hæc oratio, Act. 2. 37. Item Act. 3. & 5. quoad reliquos, qui in infidelitate & impietate perſtiterunt ad vitæ finem, pro ijs noluit orare Chriſtus, Ioan. 17. 9. nec potuit ſalvâ illâ regulâ Apoſtoli, 1. Ioan. 5. 16. Ipſe enim ſciebat quid eſſet in homine. Ioan. 2. 25. Ioan. 6. 64. 4. Si univerſaliter pro omnibus & ſingulis intercedat Chriſtus, tum univerſaliter etiam pro ijſdem reſurgebat, aſcendebat, & ſedebat ad dextram Patris. Ut conjungantur enim hæc neceſſe eſt: ſed hæc univerſaliter una cum interceſſione pro omnibus fieri negabant ſupra Remonſtrantes, pag. 188. 189.

Pro omnibus Chriſtum intercedere ac rogare affirmant, ut ſummi Pontifices ejus typi ſolebant, ſed non idem, nec eodem tempore rogare: pro omnibus orat, ut Pater ipſis condonet peccata, & ut credant, Ioh. 17. 21. pro fidelibus, non pro omnibus, ut ſerventur in nomine ejus, ſint unum ut Pater & ipſe, & ut ſerventur à malo. Ubi tot ferè ſunt lapſus, quot verba. Nam 1. cum Chriſtum pro omnibus intercedere concedunt, ut Pontifices ejus typi ſolebant, qui pro duodecim tribubus & electo populo, ſacrificium offerre ſolebant, & pro ijs omnibus, pro quibus offerebant, pariter etiam orabant, ſicut manifeſtum eſt ex veteris Teſtamenti hiſtoriâ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

totâ; hoc univerſalem oblationem & interceſſionem diſparilem non patitur attribui Chriſto. 2. Quod idem omnibus Chriſtum impetrare docent,& non idem tamẽ pro omnibus rogare; hoc tale paradoxum eſt, ut ne quidem ſimilitudinem ullam habeat veri, qui fecit quod majus eſt ſemet ipſum pro omnibus donando,omnia illis bona tantis meritis impetrando, nonne precibus is eadem pro omnibus etiam rogabit? nonne perpetuam voluntatẽ & ſtudium conſtans habet, eadem omnibus præſtandi, quæ per mortem omnibus impetravit? Nonne oſtendit ſeſe coram Patre, tanquam iram ejus perpeſſum pro ijs omnibus,pro quibus perpeſſus eſt,& eodẽ tam animo,quam ſcopo, vel fine? Superant hæc & rationem & fidem omnem. 3. Idem pro omnibus rogari,quod pro fidelibus,palã eſt, ſi verum ſit, quod iſti narrant,pro omnibus enim rogaſſe eum dicũt *ut credant*, verſ. 21. pro fidelibus ut *ſervẽtur, unum ſint, & ſerventur à malo*. Per fidem enim ſervantur homines Eph. 2. 8. per fidem ſunt unum Eph. 4. 13. & per fidem ſtant. 2. Cor. 1. 24. & liberãtur à malo 1. Pet. 5. 9. Qui verò pro fide verè ac ſyncerè orat,pro fidei fructibus & effectis etiam orat. 4. Sibimet apertè contradicunt, cum *eodem tempore* Chriſtum pro mundo, & pro fidelibus, rogaſſe negant, & tamen eodem verſu, nempe 21. pro fidelibus rogaſſe dicunt, *ut unũ ſint*, & pro mundo, *ut credat*. 5. Tam ſibimet quam Arminio contrarij ſunt, in eo quod Chriſtum in his ipſis precibus Ioh. 17. pro toto mundo interceſſiſſe contendunt, quoniam ipſimet in diſtinctione priore dicebant, *particularem interceſſionem deſcribi Ioh.* 17. *quæ ad nullos quam ad diſcipulos pertinet, & eos, qui per verbum eorum eſſent credituri*; & Arminius orat: de ſacerdotio Chriſti, *capite illo Ioh.* 17. *perpetuum canonem contineri teſtatur, precum & interceſſionis, quas Chriſtus Patri offert in cælis, de eâque precatione certo certius, concludere nobis licere, nunquam eam rejectam iri.*

Muſculum, Aretium, & Gualterum ſuffragari ſibi dicunt, judicantes quod Chriſtus ex prævisione infidelitatis mundi, pro mundo non rogaſſet. Quo nihil minus verum. Muſculi enim ſententia eſt: *Chriſtum orando, inter electos, & reprobos diſcriminare, & non ſolum pro electis orare, pro mundo non orare, ſed & expreſſe pronunciare, pro illis orare ſe, pro mundo non orare, ſuos etiam vocare, à Patre ſibi datos: mundum appellare reprobos, incredulos à Patre ſibi non datos.* Gualterus etiam, *eos pro quibus orat Chriſtus, electos* expreſsè vocat, *& ab æterno in Dei albo aſſcriptos.* Cæteros quamvis per contumaciam deſcribit, electis tamen illis ut reprobos opponit manifeſtò. Neq; Aretius quidquam in contrarium habet. Si mihi verò liberet Doctores eos appellare, qui in hujus loci mente tradendâ Remonſtrantium ſententiam impugnant, non deſunt quos tribus iſtis opponamus, in quocunque foro. Antiquiſſimum unum, rogationem Remonſtrantium planè antiquantem, operæpretium erit proferre. Cyrillum ſcilicet, lib. 11. c. 19. ubi judicat *Dominum in hoc loco, ſuos ſeparare voluiſſe à non ſuis, & ijs qui à Patre tracti non ſunt: quibus mediationis ſuæ bonum non tribuit.* Si etiam verſ. 9. ideò pro mundo recuſabat orare, quia prævidebat eum non crediturum in ſe, tum certè in poſteriore parte orationis ejuſdem, nunquam rogaret, ut *mundus idem crederet*, quod tamen iſti ſecum pugnantes affirmant. In reliqua reſponſione nihil adfertur novi, nihil non ante ſatis refutatum. Hæc igitur dixiſſe ſufficiat pro argumentis illis, quibus theſin Remonſtrantium ſecundam impugnabant Noſtri. Conſectaria quędam reſtant, & quas præſcriptiones appellant, breviter etiam perſtringēdæ, unà cū Confeſſionis & Catechiſmi conſenſu.

Conſectaria theſeos ſecundæ Remonſtrantium.

1. Primum: Omnes homines naſci in ſtatu gratiæ.

Conſectarium primum hujuſmodi fuit. *Si Chriſtus ex Dei conſilio, pro ſingulis hominibus, nemine excepto, reconciliationem cum Deo, & remiſſionem peccatorum, re ipsâ ita impetravit, ut in ſtatum reconciliationis & gratiæ ſint reſtituti, tum neminem naſci filium*

filium iræ naturâ, aut obnoxium ob peccatum originale morti & condemnationi, ſed omnes homines naſci in ſtatu gratiæ.

Varia reſpondent Remonſtrantes. 1. *Non negant hanc deductionem juſtam eſſe, ſi modo dicerent ipſi, omnes & ſingulos in ſtatum reconciliationis & ſalutiferæ gratiæ reſtitutos eſſe: hoc autem ſe ſentire pernegant.* Hoc autem idem eſt, ac ſi dicerent, verbis negamus, re ipſa probamus, quod hic objicitur. Hâc enim genuinam ſententiam eſſe, nonnullorum ſaltem ex Remonſtrantibus, quum ſtatum hujus quæſtionis indagabam, clarè ſatis probavi. Neque jam obſcurum eſt, quid multi eorum, de originali peccato ſibi-met, & alijs perſuadere ſtudent. 2. *Argumentum hoc ajunt à gratiâ ad naturam non benè deduci.* Sed per naturam intelligitur iſtic ſtatus ille, in quo quiſq; natus eſt. Cum hâc verò naturâ, ſi omnes recipiantur in ſtatum gratiæ, gratia non tantum benè cõvenit, ſed & intimè conjungatur neceſſe eſt. Hac etiam ratione omnes & ſingulos à naturâ, & à peccati ſervitute liberos, & gratiæ participes naſci docent Remonſtrantes, quoniam omnes à nativitate, liberam voluntatem habere dicunt, ad ſpiritualia bona, & neminem tamen, in quem peccatũ dominium exercet, ſic liberum conſtitui fatentur. 3. *Si hæc conſequentia habet locum in omnes homines ex generali redẽptione, quam illi ſtatuunt, tum eam æquè valere dicunt in electos, quos nos per Chriſtum in ſtatum reconciliationis reſtitutos tenemus.* Sed impar eſt ratio. Illi enim, vel eorum ſaltem aliqui, ſic omnes, & ſingulos, in gratiam reſtitutos eſſe docent, ut nullus maneat reatus, nulla propria culpa, uſque dum novâ prævaricatione contracta fuerit. Nos verò in electis infantibus corruptionem, & culpam, unà cum reatu hærere dicimus, quamvis Deus apud ſe ſtatuerit, hæc omnia ſuo tempore, & modo, ab ipſis removere. Nos vario reſpectu tales & iræ, & gratiæ, filios eſſe credimus: Remonſtrantes ex adverſo, *fieri non poſſe* dicunt, *ut quocunque tandem reſpectu diverſo, ſimul quis ſit filius gratiæ & iræ.* Pro-

Reſp. Arm. ad artic. 31. artic. 13. 14.

poſitio hæc eſt Nicolai, pag. 60. cui ſubjungere licet aſſumptionem Borrei, *Infantes omnes in reconciliationis gratiam aſſumpſit Deus*, id eſt, ſunt filij gratiæ: & emerget ſtatim concluſio, *ergo nulli infantes ſunt filij iræ.*

2. *Secundum: non eſſe electionem ſingularium quorundam hominum ad ſalutem.*

Secundum conſectarium eſt, *Non eſſe electionem ſingularium quorundam hominum ad ſalutem.* Reſpond. Remonſtrantes, *Abſurdum eſſe* Univerſalitatem paſſionis Chriſti, electioni *ſingularium quorundam hominum opponere, quoniam paſſio Chriſti præcedit; electio verò ſequitur.* Sed ordinem iſtum præpoſterum eſſe, probatum fuit ſupra. Conſequentia firma videtur hac ratione. Voluntas Patris fuit in mittendo Chriſto, ut per eum ſalventur illi omnes & ſoli, quos dediſſet ipſi Ioh. 6. 39. Propoſitum hoc conſtans manet & immutabile: omnes enim quos Pater dedit Filio, veniunt ad ipſum, & ſalvi fiunt. Ioh. 6. 37. Si igitur omnes dati ſunt Chriſto, & non ſingulares quidam præ alijs, tum propoſitum ſalvandi, vel electio, ad omnes pertinet, non ad ſingulares quoſdam.

3. *Tertium: applicationem reconciliationis pendere ab arbitrio hominis.*

Tertium eſt, *potiſſimum ex hominis arbitrio, non autem ex merâ gratiâ pendere, ut reconciliatio impetrata alicui applicetur.* Conſequentiam negant Remonſtr. quæ tamen hinc evidentiam habet; quoniam vel ex Dei, vel ex hominum voluntate applicationem hanc, ad hos potius, quam illos pendere neceſſe eſt. Ex Dei voluntate pendere negant, qui eum in redemptione & gratiâ univerſali, omnium ſalutem æquè velle dicunt, uſque dum aliquem voluntatis humanæ eò ſpectantem præviderit actum. Ex hominis igitur voluntate potiſſimum pendebit.

Doctrina Confeſſ. & Catech. Belgicæ contra ſecundam hanc theſin Remonſtr.

Ex Confeſſione & Catechiſmo decerpta quædam & oppoſita fuerunt Remonſtrantium theſi. 1. Ex Confeſſ. Art. 16. quod dicitur *Deum ſeſe juſtum demonſtraſſe, relinquendo quoſdam in eo exitio in quod primi hominis lapſu, præcipitati fuerunt.* Cui Remonſtr. reſpondent, *cum hoc non pugnare, Chriſtum eſſe mortuum pro omnibus.* Cum ſufficientiâ mortis Chriſti non pugnat revera, quod articulus ille dicit, ſed

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

pugnat cum intentione, omnes liberandi, & cum reconciliatione, & propoſito miſericordiam ſalutarem demonſtrandi erga omnes, ut relinquantur omnes in exitio primo, & juſtitiæ demonſtratio per hanc relictionē quęratur.

2. Ex Art. 21. *Quâ oblatione conſecrati ſunt & perfecti fideles, atq; ideo dictus eſt Ieſus, quia ſervaturus eſſet populum ſuum à peccatis ſuis.* Cui regerunt Remonſtrantes, *fateri ſe fideles, & eos ſolos, ſanctificari, ſed hoc per applicationem Chriſti fieri, & inde dictum eſſe Ieſum Servatorē.* Sed videre nolunt in articulo dictum, conſecrari fideles *per oblationem*, ita ut in oblatione peculiaris habita ſit ratio eorum, qui fideles erant futuri, & oblatione peractâ, non poſſe aliter fieri, quin ſanctificarentur ijdem. Remonſtrantes ex adverſo defendunt, oblationem integram, completam ac perfectam fuiſſe, ſine ullâ intentione propriâ hujus conſecrationis, & ſic oblatum fuiſſe Chriſtum, ut nullis tamen potuiſſet applicari: atque nomen illud *Ieſu*, inanem appellationem potuiſſe reddi, ſi nemo per illum ſervari vellet. *Nicol. Grevinc. pag. 12.13.14.*

Ex Catechiſmi Quæſt. 84. adferebatur *iram Dei & æternam condemnationem incumbere infidelibus, dum ita perſeverant* ex Quęſt. 86. *renovari nos à Chriſto, poſtquam redēpti ſumus ejus ſanguine.* Ex Quæſt. 1. & 34. *Chriſti proprios vel peculium eos eſſe, qui pretioſo ejus ſanguine redempti ſunt.* Hæc omnia Remonſtr: *nihil ipſis adverſari dicunt, quia pertinēt ad applicationē & explicari debēt ex quæſt. 20. & 37.* Explicatio hęc qualis foret, nec narrāt illi, nec mihi divinare libet. Si verò irā Dei quibuſdā ſic incumbere, ut nunquā ab illâ liberati fuerunt, omnes eos renovari per Spiritū Chriſti, qui per ſanguinem ejus redēpti fuerūt, & Chriſti peculium proprium redēptos omnes eſſe; ſi (inquā) hęc non adverſentur, redēptioni, reconciliationi, & gratię univerſali, inefficaci in multis, quoad eventū, nullam deniq; peculiarem, aut propriam, differentiam facienti quorundam ab alijs, tum adverſa vel contradicentia non ſunt, quorum unum ait, & alterum negat idem.

Sententia Academiæ Leydenſis de ſecunda hac Remonſtr. theſi.

Confeſſionis & Catechiſmi conſenſui teſtimonium etiam adjungebatur, Theologiæ Profeſſorum quorundam Leydenſium, ſcilicet, qui anno 1595. in causâ Cornelij Wiggeri judicabant *Doctrinam de univerſali totius humani generis in Chriſto reſtitutione & beneficij ejus in omnes prioris Adami poſteros extenſione, recedere à Sciptura ſenſu, & à concordi ſententiâ veteris & novæ Eccleſiæ.* Reſpondent Remonſtrantes, *allegationem hanc, & extra ſcopum eſſe, & inconvenientem.* Cur extra ſcopum? *Quia non ſtatuimus ejuſmodi univerſalem reſtaurationem, neque effundimus beneficia poſterioris Adami, in omnes prioris Adami poſteros.* Non ejuſmodi? Cur igitur non cujuſmodi differentia ſit exponunt? de verbis & vocibus non litigabat graviſſimus *Iunius*, cum collegis ejus, qui Cornelij dogmata cenſurâ juſtâ notabant. In Theſibus ipſis non majus indicare diſcrimen poſſunt, quam eſt inter ovum, & ovum. Cur *inconveniens? Quia ſi judicium totius Catholicæ Eccleſiæ Chriſtianæ, quo olim adverſariorum ſententia, tanquam Pelagiana, eſt condemnata (Fauſt. Rheg. lib. 1. c. 16. de grat. & lib. arb.) ipſis non obeſt, multò minus oberit nobis judicium trium Profeſſorum Leydenſium, etſi ſententia noſtra ab illis eſſet damnata.* Quod tres iſtos Theologiæ Profeſſores tam parvi faciunt, non adeò mirandum eſſet, niſi quartus etiam adfuiſſet illis tribus, & ijdem ſubſcripſiſſet cenſuræ, non quidem Profeſſor Academicus, ſed Theologus tamen, & Remonſtrantium ipſorum choragus, *Iohannes* nempe *Vtenbogardus*, quem judicij, & profeſſionis propriæ memoria non nihil retardare debuit ab eodem errore fovendo, quem extinguere nuper ſtudebat, ne ἀυτοκατάκριτος habeatur à multis. Illud verò, quod ſententiæ noſtræ infamiam aſpergunt, quaſi Pelagium haberet auctorem, & ab Eccleſiâ Chriſtianâ totâ, tanquam Pelagiana, jam olim condemnata fuit, non potuit niſi ab impudentiâ Pelagianâ in os Eccleſiæ exſpui. Sic enim hæreticus ille cum ejus aſſeclis

Iohannes Vtenbogardus.

An ſentẽ-

...ſſeclis, Orthodoxis obijcere ſolebat, orientalis Eccleſiæ unanimem conſenſum, Ambroſij etiam & ſimilium Scriptorum auctoritatem, quaſi ab illis accepiſſent, quos defendebant errores. Aug. de grat. contr. Pelag. lib. 1. cap. 43. contr. 2. Epiſt. Pelag. lib. 4. cap. 8. contr. Iulian. lib. 1. & ab illis omnibus damnaretur, quæ illis adverſa fuit, conſpiratio perditorum paucorum Manichæorum, ſic enim illi maledico ſtylo, ut Auguſtinus teſtatur, ſuos adverſarios appellare ſolebant. Ejuſdem planè frontis eſt ſententiam noſtram Pelagianam dicere, & eo nomine damnatam fuiſſe. Auguſtinus contra Iulian. Pelag. lib. 3. c. 3. *Deus totumne mundum redemit? Ecce videmus homines in peccatis ſuis vivere: quomodo putabimus redemptos, quos permanere videmus captivos? Redimuutur, ſed non liberantur. Hæc ſunt ſententiarum portenta veſtrarum, hæc inopinata myſteria dogmatum novorum, hæc paradoxa Pelagianorum hæreticorum.* Proſper in epiſtolâ quam ſcripſit ad Auguſtinum, de reliquijs Pelagianæ hereſeos, expreſſis verbis, non ſemel inculcat, *hanc eorum* (Pelagianorum) *definitionem & profeſſionem eſſe, univerſis hominibus propitiationem, quæ eſt in ſacramento ſanguinis Chriſti, ſine exceptione eſſe propoſitam: pro univerſo humano genere, mortuum eſſe Dominim noſtrum Ieſum Chriſtum, & neminem prorſus à redemptione ſanguinis ejus exceptum, etiamſi omnem hanc vitam, alieniſſima ab eo mente pertranſeat.* In Concilio itidem Valentiniano, *Lotharij* tempore, etiam adverſus Pelagianos congregato, eandem definitionem, quæ eſt Remonſtrantium ſententia, de univerſali redemptione, ut Pelaganiam condemnatam, legimus, Concil. Tom. 3. his verbis: *Item de Redemptione ſanguinis Chriſti, propter nimium errorem, qui de hac causâ exortus eſt, ita ut quidam, ſicut eorum ſcripta indicant, etiam pro illis impijs qui à mundi exordio uſque ad paſſionem Domini, in ſuâ impietate mortui, & æternâ damnatione puniti ſunt, effuſum definiant, contra illud propheticum, Ero mors tua, o mors,*

tia, qua docetur Chriſtum non eſſe efficaciter mortuum pro omnibus & ſingulis, ſit Pelagiana.

ero

ero morſus tuus, inferne: illud nobis ſimpliciter, & fideliter tenendum, ac docendum, placet, iuxta Evangelicam & Apoſtolicam veritatem, quod pro illis hoc datum pretium teneamus, de quibus ipſe Dominus noſter dicit, ſicut Moſes exaltavit ſerpentem in deſerto, ita exaltari oportet filium hominis, ut omnis qui credit in ipſum, non pereat, ſed habeat vitam æternam. Sic enim Deus dilexit mundum, ut filium ſuum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam. Et Apoſtolus; Chriſtus (inquit) ſemel oblatus eſt, ad multorum exhaurienda peccata. Quum legerint hæc Remonſtrantes, & negare nequeant, in conſcientiam & exiſtimationem ſuam prævaricari videntur, dum contrariam planè ſententiam Pelagianis affingunt, ut adverſarijs, hoc pacto, calumniam iniquam aſpergere quoquo modo poſſint. Legem certè Remniam, non immeritò metuere poſſunt, niſi accuſationem ejuſmodi teſtimonio aliquo fide digno probent. Teſtem autem unicum producunt, *Fauſtum Rhegienſem* lib. de Grat. & lib. arbitr. cap. 16. Qualem hominem? *Semipelagianorum anteſignanum, hæreſeos palliatorem, anathematizatum & refutatum ab orthodoxis multis.* Vide *Margarinum de la Bigne*, in Bibliothecâ Patrum edit. ult. Tom. 4. *Baronium* Tom. 6. ad arm. 490. Sed mittamus teſtem infamem, & in propriâ causâ teſtimonium ferentem, omni jure inteſtabilem. Teſtimonium audiamus ipſum. *Num dicit ille cap. 16. ſententiam noſtram damnatam fuiſſe, ut pelagianam?* Remonſtrantes quidem hoc dicunt; ſed Fauſtus non dicit. In toto illo capite nulla fit mentio Pelagij, aut erroris alicujus Pelagiani: imò diſputat eo loco, ſicut & à capite tertio, ad verſus Pelagianorum hoſtes, Auguſtinum, Proſperum, Hilarium, & ſimiles, quorum hâc de re ſententiam ab Eccleſiâ totâ damnari, non minus impudenter, quam falſò conclamat. Neque Pelagianis inſolitum fuit, hanc ipſam ſententiam, odioſis verbis, orthodoxis objicere, ut videre eſt in articulis,

Fauſtus Rhegienſis.

Augu-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

Auguſtino, ab illis, falſò impoſitis, quorum primus eſt, de morte Chriſti. Diſperijt igitur hæc infauſta criminatio tota, niſi apud iniquiſſimos illos judices, qui nec teſtis, nec teſtimonij rationem ullam habent.

Capvt X.

De Scripturæ teſtimonijs, ſuffulciendæ ſuæ theſi, à Remonſtrantibus productis.

PRimum deſumitur ex Ioh. 3. 16. *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum dederit, ut quiſquis credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam.* Reſpondent Noſtri *Mundi* nomine in Scripturis non ſemper omnes & ſingulos mortales notari, ſed illos nonnunquam, quorum caput eſt Chriſtus. 2. Cor. 5. 16. Nunnunquam etiam eos, quorum princeps eſt Satan, Ioh. 12. 31. pro quibus Chriſtus negat ſe orare Ioh. 17. 9. Hanc autem præſcriptionem multifariam impugnant Remonſtrantes. 1. *Negant mundum ullibi ſolos electos ſignificare per totas Scripturas.* Quod ſi verum eſſet de reliquis omnibus locis, ubi *Mundi* vox uſurpatur, non tamen rem ipſam hoc infringeret, quam volunt Noſtri: quia multæ phraſes in Scripturis occurrunt, ejuſdem planè, cum iſtâ, valoris, quæ ad alios non poſſunt, quam ad electos fideles referri, *omnes familiæ, & omnes nationes* Gen. 12. 3. & 18. 18. & 22. 18. Act. 3. 25. Gal. 3. 8. *termini vel fines terræ.* Pſal. 2. 8. *omnes fines mundi, & omnes familiæ nationum* Pſal. 22. 27. *habitabilis pars orbis & filij hominum.* Prov. 8. 31. *omnes gentes* Iſa. 2. 2. Hag. 2. 7. *omnis caro.* Ioel. 2. 28. Act. 2. 16. Iſai. 44. 3. & *omnes* etiam *homines.* Ioh. 12. 32. Sed & non æquipollentes tantum phraſes, ſed & *Mundi* nomen ipſum ad fideles, vel electos notandos in Scripturis uſurpatur, tam apertè, ut

Ioh. 3. 16.

An vox Mundus in ſcriptura ſignificet electos fideles.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

à lectore veritati liberè candideque ſtudenti, non poſſit ulterius extendi. Sic enim legitur Ioh. 6. 33. *Panis ille Dei, is eſt, qui de cœlo deſcendit, & dat vitam Mundo.* Si quis autem dubitet an ſoli fideles, vel electi, ij ſint, quibus vitam dat, conſulat ille Ioh. 10. 27. 28. ubi *ovium* proprium hoc priuilegium eſſe docetur, quas fideles electos eſſe jam ſæpius faſſi ſunt Remonſtrantes ipſi. Eandem etiam ſententiam habent (Toleto ipſo, quamvis Ieſuitâ, & Cardinali interprete) Chriſti illa verba Ioh. 17. 21. 23. *ut Mundus credat, ut Mundus cognoſcat Chriſtum:* niſi Chriſti preces irritas quis diceret, aut mundum alium verè credentem, & Chriſtum per fidem cognoſcentem, oſtendere poſſit, præter mundum fidelium. Cui loco parallelus planè eſt alter ille, Rom. 11. 12. *Caſus eorum eſt opulentia Mundi* & 1. Tim. 3. 16. Chriſtus *creditus in Mundo.* nec non Rom. 4. 11. 12. 13. ubi *Pater fidelium* & *hæres Mundi*, idem planè ſonant, in promiſſione Abrahamo factâ. Quarum locutionum propria cauſa videtur explicari in illis verbis Apoſtoli, Heb. 2. 5. *non Angelis*, ſed Chriſto, *ſubjecit Mundum illum futurum*: in hunc mundum enim, qui regnum eſt Chriſti, gratiam & dona Spiritus, pro ſuâ voluntate diſtribuentis verſ. 4. tranſlati ſunt omnes & ſoli fideles 1. Ioh. 3. 14. Similes occurrunt non pauci loci: ſed à Colloquentium veſtigijs hac in re non eſt cur diſcedam. Inſtant Noſtri in verbis illis Apoſtoli, quæ habentur 2. Cor. 5. 19. *Deus erat in Chriſto mundum ſibi reconcilians, non imputans ijs peccata eorum* ubi *Mundus* dicuntur illi quibus Deus *non imputat peccata ſua*, id eſt, electi, fideles, & verè beati. Rom. 4. 8. Quam confirmationem ut labefactare poſſint Remonſtr. obijciunt multa, ſed ex levi contactu evanitura. 1. Obſervant ex verſ. 14. & 15. Mundum hunc *omnes illos* continere, *qui in peccatis mortui fuerunt*: & benè certè monent eos omnes & ſolos, per Mundum intelligi verſ. 19. qui mortui dicuntur

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

untur verſ. 14. Illud autem non benè; meo quidem judicio, quod mortem illam ad ſtatum illum referunt, qui omnium communis eſt extra Chriſtum & in peccatis manent. Idem enim Apoſtolus argumentum idem tractans, Rom. 6. mortem hanc aliam eſſe docet, illam ſcil: quæ eſt peccato, non in peccato, verſ. 2. 11. quæ fit per *coalitionem in ſimilitudinem mortis Chriſti* verſ. 5. *quæ denique juſtificationem infert à peccato.* verſ. 7. Neque aliter accipi hoc in loco poteſt, niſi illationem illam â Chriſti morte, ad mortem noſtram verſ. 14. cum Apoſtoli ſcopo non convenire dicamus. Non enim propoſitum ibi habet Paulus, probare omnes qui ſunt extra Chriſtum, mortuos fuiſſe in peccatis: ſed omnes eos, qui ſunt in Chriſto, (ut ipſe loquitur verſ. 17.) mortuos eſſe peccato, & ſibi, ut vivant, Chriſto, non ſibi. verſ. 15. 2. Monent *hæc verba* (*illis non imputans peccata ſua*) *non reſpicere ad realem remiſſionem, ſed ad miniſterium reconciliationis, cujus forma eſt, Deum nolle mundo, id eſt, hominibus, in genere, peccata imputare, ſi credant.* Sed animadvertere debuiſſent reconciliationem & remiſſionem jam ante factam ab Apoſtolo narrari, non prædici futuram, ex conditione præſtandâ, *Deus erat in Chriſto Mundum reconcilians ſibi, non imputans ÿs offenſas eorum:* non *erit*, ſed *erat.* Neque oculos avertere debent ab ordine, quem inſtituit Apoſtolus, inter opus reconciliationis, & miniſterium ejus: non ſcilicet prius miniſterium hoc poſitum, ex quo reconciliatio fortè ſequeretur: ſed reconciliatione prius coram Deo peracta, miniſterium dein, vel ſermonem ejus Apoſtolis fuiſſe commiſſum, ut rectè Hugo Grotius in Defenſ: ſuâ contra Socinum obſervat. 3. Arguunt, *ſi per mundum reconciliatum electi ſignificentur, tum ÿs certiſſimè applicanda fuit eadem reconciliatio, atque adeò nec Paulus, nec Deus per Paulum tam ſeriò & fervidè rogaſſet eos, ut reconciliari velint Deo.* Cujus

 contrarium

contrarium argumentum ſolidiſſimum erit, quia reconciliationem certiſſimam præparavit Deus electis ſuis, idcircò cùm omni inſtantiâ, tam externè, quam internè, movet, ut par eſt, eorum animos, ut percipere poſſint benignitatem illam ſuam. Neque certitudo eventus, orationis, & obteſtationis, vel ſynceritatem tollit, vel extinguit fervorem: ſicut manifeſtum eſt ex Chriſti precibus, Ioh. 11. 42. Heb. 5. 7. & obteſtationibus Pauli, Act. 27. 31. In rebus illis quas pro certiſſimis habebant. 4. Ut non dictis tantum reſpondere videantur, ſed & ijs quæ dici poſſunt, *de gentibus ſimul & Iudæis commodiſſimè nobis hunc Mundum accipi poſſe dicunt: atqui non omnes gentes & Iudæos electos eſſe: itaque ne ſic quidem hunc locum de ſolis electis intelligi.* Quaſi univerſalitas quædam electorum ex Gentibus & Iudæis conſtitui non poſſit, niſi omnes Gentes & Iudæi ſtatuantur electi! aut Deus omnes & ſingulos eligeret ſtultos, quia ſtultos mundi elegit. 1. Cor. 1. 26. Vel ineptam ſanè formarunt ſibimet objectionem vel ineptiſſimum ipſi reſponſum dederunt. 5. Diſtinctionem etiam adhibent quâ *non imputari peccata, vel univerſaliter conſiderari poteſt, quatenus Deus propter Chriſtum, ſe à ſuâ parte exhibet facilem & paratum ad condonanda peccata omnia: vel particulariter, quatenus huic vel illi applicetur illa reconciliatio impetrata.* Quâ quidem ratione non reconciliationem ſolam, ſed & juſtificationem, adoptionem, ſanctificationem, & glorificationem ipſam diſtribuere poſſunt, in univerſalem & particularem, quippe qui ad hæc omnia omnibus donanda, Deum à ſuâ parte facilem ac paratum eſſe docent: & hujus diſtinctionis ope non tantum omnes reconciliari, ſed & juſtificari, ſanctificari, ac glorificari defendere facilë poſſunt. Nec quidquam vereantur tueri hac diſtinctione muniti, qui ejus beneficio demonſtrare

norunt

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

norunt univerſaliter peccata non imputari, & particulariter tamen imputari, reconciliari omnes univerſaliter, & multos tamen particulariter inter exoſos hoſtes haberi. Sed revera tam verba, quibus utuntur, quam ſententia, quæ ſubijcitur ipſis, non veritati ſoli, ſed & ſibimet etiam adverſantur. Univerſale namque nihil eſt propriè quod non in particularibus omnibus ejuſdem generis exiſtit, aut aliter alibive exiſtit, quam in ipſis: Si igitur univerſalis omnium ſit reconciliatio, particulariter, huic & illi, non poteſt non applicari. Applicari etiam tandem omnibus neceſſe eſt, ſi Deus, ex parte ſuâ, paratus ſit ac velit hoc facere: niſi aliquid inſuper ex parte hominis, dicatur poſtulari, ac præſtari, idque ante omnem Chriſti gratiæve ejus applicationem, ex quo & hæc applicatio, & ejus effecta, tanquam, ex propriâ causâ, penderent. Si verò nullo modo applicetur, tum non eſt reconciliatio dicenda: quia non eſt redintegratio amicitiæ, nec ulla fit mutatio ex parte hominis, ſed imputantur ipſi peccata ejus, & ira divina omninò manet ſuper ipſum.

Poſt velitationem iſtam de Apoſtoli mente, accedunt Remonſtr. ad Chriſti illa verba Ioh. 3. 16. ubi *Mundum dilectum*, non ſolis electis conſtare, varijs argumentis contendunt, quæ omnia breviter examinari debent. 1. *Mundum*, dicunt, *ſuo judicio nuſquam ſic accipi, præſertim cum agitur de reconciliatione, extra reſpectum applicationis*. Quid verò ſit *eorum judicio* hoc non multum refert: rem ipſam aliter ſe habere, manifeſtis documentis probavi. Neque tam confidenter hoc ipſi negare potuerunt, quam libenter volebant, ſicut ex mitigatione ſubjunctâ liquet (*præſertim cum agitur de reconciliatione extra reſpectum applicationis*) ficta licet ac vana. Fictam illam & imaginariam appello,

Qui Ioh. 3. 16. per vocem Mundi intelligantur.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

quia nullus datur Scripturæ locus, ubi agitur de reconciliatione extra reſpectum ad applicationem. Vanam, quia cum ratione pugnat, ut agatur de medio, quâ tali, ſine ullo reſpectu ad finem. Ipſimet fatentur paginâ proximè ſequenti (206.) Chriſtum in ipsâ reconciliationis impetratione, intentionem habuiſſe homines reipsâ & actu ſervandi: quod ſi verum ſit, nullo modo patitur, ut omnis applicationis reſpectus à reconciliatione ſeparetur uſquam.

Etſi alibi Mundus pro ſolis electis acciperetur, hic tamen ſic accipi
2. *poſſe negant; quia diſtinguitur in duas partes, fidelium & infidelium verſ.17. 18.19. abſurdè alias diceretur, Deum dilexiſſe electos, ut omnes electi qui in eum credunt, ſalventur: ac lucem veniſſe in electos, & electos dilexiſſe potius tenebras quam lucem.* Reſpondeo. 1. Eundem Mundum, in fideles & in infideles, ut in partes propriè diſtribui, non poteſt ex contextu probari. Diſtinctionem vocis aliquam, aut varium ejus uſum agnoſco. Hæc autem non in partes fieri dicenda eſt, ſed in ſignificationes varias. 2. Modus loquendi à multis auctoribus obſervatur, quo idem quidem verbum repetitur, ſed planè diversâ, vel etiam contrariâ ſignificatione (ἀνταναάκλασις καὶ ἀντίςασις dicitur) qui frequens eſt etiam in Scripturis, & nonnunquam uſurpatur à Iohanne. Ut Epiſt.1. c.2. verſ.7.8. *Non ſcribo vobis novum præceptum, & e contrario præceptum novum ſcribo vobis.* Hoc modo poteſt *Mundus*, & fideles, & infideles, in eadem ſerie dictionis notare, ita ut in verſ.16. tamen ſolos deſignet fideles vel ſelectos quoſdam ex mundo. 3. *Mundum* communiter hic accipi dico, non generaliter, vel univerſaliter, ita ut variarum partium reſpectu, & amari, & odio haberi, & ſervari, & condemnari verè dicatur: eodem planè modo, quo Iſraëlitæ communiter, & inimici, & dilecti dicuntur Rom.11.28. *Inimici ſecundum evangelium, dilecti*

autem

autem ſecundum electionem. Atque hac ratione abſurditas illa ſatis removetur, quâ Noſtrorum interpretationem gravare ſtudent iſti. Sic enim Deus afficiebatur erga mundi conditionem perditã, ut non ſineret omnes mortales perire, ſed eos qui crederent, ſervare voluit. Hæc etiam eſt condemnatio mundi, quoad magnam ejus partem, quod lux ad eos venit, & non receperunt eam.

Percontationes quaſdam proponunt, quæ expediendæ paucis, *quomodo dixerit Dominus verè hanc eſſe condemnationem, quod homines dilexerint tenebras, quum non potuerint tenebras non diligere?* Eo tamen ipſo hoc verè dixit, quod læthali morbo correpti, medicinam non aſſumpſerint, quamvis accipere non potuerint, quoniam impotentiam illam, & propriâ culpâ contraxerant, & non agnoſcerent contractam, aut reſtitui verè deſiderarent. *Quomodo cedet illis odium lucis in condemnationem, ſi lux non venit ad illos illuminandos?* Eo ſcilicet modo, quo & medicinæ defectus, & averſationis culpa, cedit in exitium ejus, qui medicamentum ſufficiens oblatum habet, quidquid fuerit de offerentis conſilio interno. *An non peccaſſent potius, ſi voluiſſent amplecti lucem in ipſorum gratiam non accenſam?* Nihil minus, non enim ex intentione Dei internâ, ſed ex præceptis ejus, de officijs & peccatis, pronunciare ſemper debemus. 3.

Hac ratione, Deum prius ordine amaſſe dicunt ad ſalutem, & ex amore elegiſſe, quam deſtinavit Filium ſuum Chriſtum dare, quum tamen Chriſtus fundamentum ſit electionis. Eph. 1. *Confeſſio vetus Art.* 16. De ordine harum rerum ſatisfactum eſt in articulo primo, ſicut & de Apoſtoli verbis, & Confeſſionis etiam. 4.

Hic tamen inſuper adjici poſſunt hæc 1. charitatem aliquam ſalutiferam donatione Chriſti priorem, & ejus cauſam, ab ipſis Remonſtrantibus agnoſci, in proximâ pagellâ *ubi charitate ſalutiferâ, Deum univerſum mundum eouſque amaſſe dicunt, ut ei voluerit Filium ſuum donare.* 2. *Fundamenti*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

menti mentionem nullam factam vel in Apoſtoli, vel etiam in Catecheſeos verbis. 3. *Vocem Fundamenti imprudenter uſurpari (judicio Remonſtrantium) quando agitur de actionibus.* Hæc ipſorum verba ſunt pag. 406. atque adeò ineptè hic ab illis applicari ad electionem, quam actionem eſſe Dei, Nicolaus Grev. expreſsè definit pag. 103. 4. Teſtamentum Chriſti factum fuiſſe antequam depoſuit animam ſuam, atque per mortem ejus confirmatum fuiſſe. Hebr. 9. 17. in teſtamento verò, *hæredum inſtitutio totius actus fundamentum eſt*, ut ajunt Iuriſconſulti: hæredes igitur inſtitutos à Chriſto fuiſſe neceſſe eſt, anteqnam ijs per mortem obſignare potuit quidquam. 5. Ultimo in loco occurrunt Remonſtr. objectioni noſtrorum ex verſ. 17. ubi *Chriſtus veniſſe* dicitur *ut ſervet Mundum.* Reſpondent *hoc non aliter poſſe intelligi, quam de Chriſti intentione, quæ fuit omnes homines reipsâ & actu ſervare.* Hoc etiam pluribus urgent ac torquent, ſed eorum veſtigia in iſtoc loco premere neceſſarium non eſt: ſatis enim liquet ex Nicolai Grev. magis ingenuâ confeſſione, verba nobis dari in iſtoc reſponſo toto. Negat enim ille & pernegat, ſalutem cujuſpiam actualem, in redemptionis negotio, vel intentam fuiſſe, vel potuiſſe propriè intendi pag. 8. 9. &c. imò pag. 170. 188. contradictorias Deo voluntates tribui contendit ab ijs, qui Deum velle, & intendere dicunt, ſalutem hominum, antequam videat eos credere (quod neceſſariò ſtatuendum eſt, ſi intendat eos actu & reipsâ ſervare, antequam Chriſtum ipſis dedit,) & non velle tamen ſalutem ijs conferre, antequam credant. Quæ eadem etiam eſt Remonſtrantium omnium ſolennis cantilena. Si de electionis voluntate intelligi dicant iſta, tum cauſam dicere debent (quod nunquam facient) cur decretum ſalvandi fideles, non æquè conſiſtere poſſit, cum voluntate quodam eligendi, ac cum intentione actu omnes colligendi ante fidem prævisam, & diſcrimen aliquod oſtendere,

quod

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

quod nullum eſt inter-electionis voluntatem, ac intentionem illam, homines re ipsâ vel actu ſervandi.

Hæc igitur ſatis fuerint de præſcriptione primâ dixiſſe: ſecunda eſt *non haberi in textu, Deum Filium dediſſe pro utroque illo mundo, ſed contra quod datus eſt in ſalutem, ſolis omnibus vel ſingulis, qui credunt.* Cui nihil Remonſtr. opponunt ferè, niſi repetitiones eorum quæ prius examinata fuerunt. 1. *Illud (ſolis) non haberi*, dicunt, quod verè dicunt, de literis & ſyllabis hujus voculæ: ſed cum nihil aliud notet, quàm ſegregationem, & ſalvandi à cæteris per fidem ſegregentur in textu, verè dicitur (*ſolis*) quoad ſenſum ibi reperiri. 2. *Exprimi fatentur, quod quiſquis credit ſervabitur, minimè verò quod Filius illis ſolis eſt datus.* Neque hoc ponebatur in præſcriptione, quod ſolis illis datus fuerit, ſed quod ſolis illis *ad ſalutem* eſt datus: hoc verò in illis ipſis verbis exprimitur, quæ referunt ipſi. 3. *De ſalute impetratâ aſſentiri ſe poſſe dicunt huic aſſertioni, ſed hoc non facere ad rem: quia controvertitur de impetrandâ ſalute.* Controvertitur in prȩſenti de ſenſu hujus loci: ſi verò in hoc loco Chriſtus donari dicatur in ſalutem ſolis fidelibus (quæ aſſertio eſt cui aſſentiri ſe poſſe dicunt, ut veræ) tum proprius finis mortis ejus fuit ſalus fidelium, tum dilectio mundi conſiſtit in Chriſto fidelibus ad ſalutem donando. Nam donatio hæc eſt *ad exaltandum* verſ. 14. id eſt, ad mortem crucis, & verſ. 16. charitas illa Dei adverſus mundum in hâc donatione elucere monſtratur. 4. *Mundum dicunt univerſalem intelligi.* De quo dictum eſt in præſcriptione priore. 5. *Negant illa verba (ut quiſquis credat in eum, &c.) propriè eſſe reſtrictionem, ſed indicium ſcopi, ac intentionis Patris in dando Filio, nempe quod eum mundo dederit hac lege, ne mundus ſervetur per illum niſi per fidem.* Ubi 1. in eo contradicere ſibi videntur, quod reſtrictionem nullam ijs verbis propriè contineri dicunt, quibus finem & legem actionis hujus denotari fatentur. Nam actio omnis ordinata li-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

mites & fines à fine & propoſito agentis & ordinantis habet: & ex naturâ legis eſt, ut reſtrictionem & regulam ijs rebus rebus ponat, de quibus fertur. 2. Totum hoc teſtimonium nobis tradere videntur, vel etenim reſtrictio his verbis continetur, *quiquis credit, &c.* vel credẽtium cætus æquè latè patet ac mundus ille à Deo dilectus, cujus mentio fit prius: quidquid horum eligunt, adverſus ipſos facit. Et certè quidem ſi rectè & ſeriò perpendantur omnia, vix ullum Scripturæ locum Remonſtrantibus hâc in causâ inimiciorem eſſe liquebit, quam hunc de cujus favore tantopere gloriari ſolent coram imperitis. Nam 1. inter eorum placita hoc unum eſt, Deum non voluiſſe aut potuiſſe velle ſalutem hominum, antequã Chriſtus ipſius Iuſtitiæ ſatisfeciſſet. Nic. Grev. pag. 9. Sed hic expreſsè dicitur, Deum prius amaſſe homines, id eſt, bene ijs voluiſſe ad ſalutem, quam Filium ſuum ipſis, vel pro ipſis dedit. 2. Amorem hunc voluntatis actum denotare negant. Idem pag. 20. Hic tamen immediata ſtatuitur cauſa donationis Chriſti, quam à voluntate divinâ pendere, inſanum eſſet negare. 3. Amorem hunc abſolutè ſummum eſſe negant Remonſtrantes omnes, pag. 193. ſupremus licet gradus apertè deſignetur, per illam notam præfixam, *ſic, ut,* & ex locis parallelis luculenter confirmetur, quod ſupra probatum fuit ad argumentum ſextum. 4. Deum prius Chriſtum donaſſe dicunt, quam de fide, ſalute, fidelibus, aut ſalvandis, quidquam apud ſe decreverat. Arminius Declar. ſent. pag. 47. Sed hic manifeſtò docetur (concedentibus imprudenter ipſis Remonſtrantibus, pag. 206. 208.) ſcopum ac intentionem Dei fuiſſe, quum filium ſuum deſtinabat morti, ut homines reipsâ & actu ſervaret, idque per fidem: adeò ut neceſſe fuerit decretum aliquod antegreſſum concipere, de ſalute & fide, quæ intentionem hujus operis, id eſt, primum ejus momentum ingredi aliàs non potuiſſent. Hæc omnia

Locum Ioh. 3. 16. maximè adverſari Remonſtr.

ſuppe-

ſuppeditantur nobis tela, ex hujus teſtimonij pharetra, quibus Remonſtrantium cauſam impugnare poſſumus. Illis verò nihil ejus, ne in ſpeciem quidem favet, præter nudum ſonum *Mundi*. Adjiciunt in ultimo loco, ſententiam hanc ſuam confirmari explicatione præcipuorum doctorum, reformatarum eccleſiarum, Lutheri, ſermone de Feſto Philippi; Calvini, in hunc locum; Zanchij, Miſcel. pag. 282. Bullingeri & Muſculi in hunc locum, Rodolphi Gualteri in 1. Epiſt. Ioh. Hom. 5. Sed à cordibus ſuis proprijs percuti debent, quum hoſce viros *præcipuos Doctores* agnoſcunt Reformatarum Eccleſiarum, quibus illi non alam tantum pallij abſciderunt antehac dentatis calamis, ut David Sauli. 1. Sam. 24. ſed ut Hammonitæ Legatis Davidis. 2. Sam. 10. quaſi abraſerunt dimidium barbæ eorum, & præciderunt veſtes eorum per medium, & ſic remiſerunt eos, non Ierichuntem ſolam & Hieroſolymam, ſed & Gathum uſque & Aſhkelonem. Hoc illud eſt quod fœtidos eos facit Eccleſijs ijs reformatis, quibus horum Doctorum nomina manent adhuc in benedictione. Tamen ab ijs confirmari ſententiam ſuam non verè narrant. Lutheri Homiliam Philippicam in ejus operibus nondum inveni. Calvinus in hunc locum, quamvis univerſales notas appoſitas eſſe obſervat, reſpectu promiſcuæ beneficij hujus propoſitionis, dilectionem tamen hanc eandem eſſe judicat cum illâ quæ memoratur, Eph. 1. 5. & eſt electorum propria. Zanchij propoſitum unicum eſt in eo tractatu, quem citant, probare, Chriſtum electorum tantum advocatum & ἱλασμὸν, vel propitiationem eſſe, & Ioh. 3. non alio ſenſu, per *Mundum* omnes & ſingulos denotari poſſe judicat, quam reſpectu propoſitionis, quæ eſt omnium aliquo modo communis: *Sic Deus dilexit Mundum: omnibus enim obtulit*, ait Muſculus in Ioh. 3. *Mundum* opponi dicit populo Iſraëlitico, & apertius mentem ſuam explicat in 1. Tim. 2.

 ubi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

ubi per cunctos homines non omnia individua, ſed omnia genera intelligi docet: Quam eandem ſententiam habet ad Rom. 9. & in locis de Electione & de Voluntate Dei. Gualtherus in 1. Ioh. Homil. 5. nihil habet quod hic ſpectat. Hom. 7. Dicit Chriſtum eſſe univerſalem omnium Servatorem, ſed explicat ſe, illis verbis. *Licet promiſſiones olim Iudæis datæ ſint, & ex his Chriſtus naſci debuerit, meritum tamen ejus ad omnes pertinet, qui ipſum recipiunt.*

1. Ioh. 2. 2.

Per totum Mundum non intelligi ibi omnes & ſingulos mortales.

Secundum teſtimonium, quo theſis Remonſtrantium ſuſtentabatur, deſumptum fuit ex 1. Iohan. 2. 2. *Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, & non modò pro noſtris, ſed & pro peccatis totius mundi.* Ubi 1. probationem eandem deſiderant Noſtri, quam in priore: illud ſcil. *Mundi*, ſignificare omnes & ſingulos mortales. Reſpondent Remonſtrantes. 1, Referendo Lectorem ad priorem defenſionem. 2. Non *Mundum* ſolum, ſed & *totum Mundum* in textu haberi, quâ phraſi ſolos fideles, nuſquam deſignari putant. Ego verò ad priorem diſputationem libenter cum illis appello: ubi non ſolum per Mundi vocem nudam, ſed & per *omnes gentes, omnes familias nationum, omnem carnem, omnes homines, & omnes fines mundi*, id eſt, mundum totum, fideles in Scripturis oſtendi notari. Et ſanè cum *Mundus totus*, pejorem hominum partem ſolam denotat. 1. Ioh. 5. 19. Apoc. 12. 9. cur non ad potiorem etiam applicari poſſit, ego quidem nullus video. Neque video certè quo alio ſenſu bene poſſit intelligi, quod dicit Apoſtolus, Colloſſ. 1. 6. *Perveniſſe Evangelium ad totum mundum, & fructum protuliſſe.* Non enim ita pervenit verbum ad ullos, ut fructum in ijs proferat, niſi ad fideles. 2. Annotant Noſtri *placameutum ſanguinis Chriſti eſt placamentum per fidem Rom. 3. 25. Atque adeò ad fideles ſolos pertinere, non ad omnes & ſingulos homines.* Reſpondent Remonſtrantes: *Per fidem hoc placamentum eſſe, quoad applicationem.* Vel inde

igitur

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

igitur evinci dico ad ſolos fideles Iohannis verba ſpectare: de propitiatione enim ſub eâ ratione loquitur, qua cum interceſſione pro fidelibus conjungitur, & ijſdem terminis continetur. Interceſſionem autem illam, cujus mentio fit verſ. 1. ad ſolos fideles pertinere Remonſtrantes ipſi non negant.

Cum Apoſtoli ſcopo non quadrare putant Noſtri, ut de omni- 5.
bus & ſingulis mortalibus hic verba faciat Apoſtolus, cujus propoſitum fuit conſolari fideles, & hortari, ne deſperarent ſi quando in peccatum lapſi eſſent: univerſalem idcircò conſolationem adfert, ſed univerſalem omnibus fidelibus, omnium ſtatuum, & locorum, non ultra. Reſpondent Remonſtr. 1. *Hortationem præcedentem eſſe omnium communem, ne peccetis, ergo & conſolationem ſequentem.* Ubi ludunt ambiguo: nam hortatio illa quoad doctrinæ genus, quod in ipsâ continetur, eſt omnium communis, ſed quoad immediatum Apoſtoli ſcopum, pertinebat & illa ad finitum hominum cætum. 2. *Conſolationem nullam ex fidelium redemptione oriri dicunt homini infirmo, qui dubitat de fide ſuâ, & peccatorum onere ſic premitur, ut vim ſpiritus non ſentiat in ſeſe. Ex univerſalis autem redemptionis doctrinâ, fundamentum jactum eſſe conſolationis, quamvis conſcientia non omninò tranquilla reddatur: id enim qui audit pergit cum fiduciâ, quod Deus poteſt ac vult unicuique peccatori reſipiſcenti peccata remittere ſine diſcrimine.* 1. Quod ad noſtram doctrinam attinet de redemptione & annexis ejus, dico fidelibus omnibus eam conſolationem ſummam adferre, quippe quæ individuum nexum conſtituit inter fidem veram & beneficium æternum redemptionis æternæ. Si igitur de homine loquantur, qui olim genuinum habuit fidei ſenſum, quamvis in præſenti lipothymiam quandam patiatur, in experientiâ tamen priore fundamentum ſpei non contemnendum reponi dicemus, cujus recordatione ad renovationem pænitentiæ & fidei animari debet, & exſuſci-

tari. Imò, ſi vel deſiderium fidei verum ac ſyncerum infirmitatē illam comitetur, (ſine quo infirmitas non eſſet appellanda) hoc ipſum nos argumento eſſe credimus ſemen aliquod fidei & electionis fructū ſubeſſe. Si verò nulla fides unquam in ullo gradu pręſens obſervari potuit, tali homini nullum adhuc negotium eſſe cum electione ac prędeſtinatione docemus, quoniam electio non habet uſum, nec ſpectari debet ab hominibus, niſi ubi elucet: elucet autē imprimis per efficientiam & applicationem in fidelibus per fidem. Cum cæteris omnibus, legem aliam agendi præſcribit nobis Apoſtolus. 2. Tim. 2. 25. erudiendi ſunt cum omni lenitate, miſeria eorum ob oculos per legem ponenda, ſufficientia redemptionis quæ in Chriſto eſt, ex evangelio ijs eſt proponenda, quid ab ipſis requiritur docendi ſunt, ut ſcilicet pænitentiam agant, & in Chriſtum incumbant: hæc omnia ſedulò facienda ſunt nobis, *experturis, an forte daturus ſit ijs Deus reſipiſcentiam per cognitionem veritatis.*

2. Quod conſcientiam hominum per doctrinam ſuam non omninò tranquillam reddi fatentur, negari hoc non poteſt; neque de redemptionis doctrinâ, quam tradunt, intelligi tantum debet, ſed & de ſerie quam ponunt cauſarum ſalutis, quæ nemini fidelium ulteriorem concedit pacem certam, quam in præſens temporis momentum, futura namque omnia, quæ ſalutem hominum ſpectant, æquè contingentia ſtatuunt, ac eſt voluntatis inclinatio, nullo modo prædeterminata, quæ paulo momento huc atque illuc fertur. 3. Fatentur *conſolationem fidelium hic à Iohanne inſtitui, ſed argumento id fieri dicunt à minore ad majus, non tantum pro fidelibus hanc propitiationem fieri notant, quod minus eſt, ſed & pro omnibus hominibus, quod majus eſt.* Atqui vero non majus eſt illud beneficium ſemper, quod eſt communius. Sæpius obtinet illud Senecæ, *Quod quibuſlibet datur, nulli gratum eſt: quod voles gratum eſſe, rarum effice.*

efficè. Neque revera quidquam ad conſolationem fidelium ex eo accederet, ſi datus Chriſtus ex æquo fuiſſet pro cunctis, imò non parum detractum foret: tum enim ſingularem nullam agnoſcere poſſent dilectionem vel curam ſui in Chriſti morte, magis quam eorum qui in gehennâ jam ante locum occupaſſent. Sed eſto, ſit gradatio à paucioribus redemptis, ad plures, modo ſic intelligatur, ut non ſit pro fidelibus illis tantum, quos alloquitur Iohannes, ſed & pro ijs omnibus qui vixerunt, aut victuri ſunt, fidelibus nempe, vel electis.

Excipiunt hic Remonſtrantes 1. *Per totum mundum ſolos fideles non intelligi:* quod aliter ſe habere ſatis oſtendi. 2. *Quadrare dicunt antecedentem partem hujus comparationis, in fideles omnium temporum, ſicut cap.* 1. *verſ.* 8.9. *ergo in conſequente parte, alij à fidelibus per mundum totum indicantur, alioqui comparatio eſſet nulla.* Quadrat indubiè in fideles omnes, quoad veritatem rei, comparatio aliàs in eodem genere non potuit inſtitui inter quoſdam, & omnes fideles: quia tamen non ex propoſito de omnibus locutus fuiſſet Apoſtolus, in priore parte, per cæterorum aggregationem ſic rem eſſe monet in acceſſione illâ. Idem reſponſum eſſe ſufficiat ad cæteras inſtantias illas, quibus communia beneficia, in ſcriptis privatis memorari docent. Beneficia namque communia ſunt: ſed privatam ſæpe applicationem habent, ex intentione ſcribentis, atque adeò extenduntur nonnunquam per acceſſionē aliquā, ad alios nominatim ante non compellatos. Sic Eph. 2.17. Pax evangelizata per Chriſtum omnium fidelium communis: diſtinguit nihilominus Apoſtolus, *Vobis qui procul eratis, & ijs qui propè erant.* Sic Coloſſ. 1.6. Evangelium pertinebat ad omnes fideles: ſed Apoſtolus diſtinguit inter eos, ad quos ſcribit, & mundum reliquum, in quo ſimilem fructum proferebat: *pervenit ad vos: ſicut & in totum mundum, & fructum profert*, quæ ſola

verba

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

verba ſatis eſſe poſſunt explicandæ ſententiæ illi, de quâ jam agitur. Non enim ad ſingulos ne tum quidem viventium, pervenerat Evangelium quoad ſonum, multo minus, quoad fructum. Non igitur neceſſarium eſt, ut quia propitiatio perveniſſe dicitur ad totum mundum, ut Iohannes habet, vel ad totum genus humanum, ut Catechiſmus explicat, Quæſt. 37. idcircò omnes & ſinguli omnium generum intelligantur: ſatis enim eſt ad veritatem dictionum talium, ſi nullum genus hominum præ cæteris excluſum ſit, quamvis multi ſint inter homines, qui huic albo nunquam inſcripti fuerunt.

Quarta & ultima Noſtrorum ad hunc locum præſcriptio eſt, *In eum ſenſum accipi poſſe, ut non ſolum pro Iudæis hæc propitiatio dicatur eſſe, ſed & pro Gentibus. Iohannes enim Iudæus fuit, atque hanc epiſtolam potiſſimum ad Iudæos ſcripſit, ut apparet verſ. 7. ſubſequente: & Gentes Iudæis oppoſiti Mundus dicuntur, Rom.* 11. 12. De quâ eo minus laborandum eſt, quia non tam ſententiam ſuam hic dicunt Noſtri, quam quid veriſimiliter dici poſſit, narrant. Expendenda tamen breviter, quæ ex adverſo dicuntur. *Quod ille maximè ad Iudæos hanc Epiſtolam ſcripſerit, incertum eſſe dicunt; Auguſtinum ad Parthos putare miſſam, alios Catholicam, ſcriptam ad omnes fideles, Iohannem ipſum dicere cap. ult. verſ.* 13. *ad eos in genere ſe ſcripſiſſe, qui credunt in nomen filij Dei.* Hæc tamen nihil obſtant, quin verum ſit quod Noſtri dicebant. Nam I. Iudæi quidam nominantur Parthi. Act. 2. 5. 9. 2. Non magis Catholica eſt hæc Epiſtola Iohannis, quam Iacobi, ac Petri ſunt. Illas vero *duodecim tribubus & advenis diſperſis* fuiſſe ſcriptas, inſcriptiones earum expreſsè teſtantur. Iac. 1. 1. 1. Pet. 1. 2. Veriſimile etiam eſt quum tres iſti, Iacobus, Cephas, & Iohannes, in mandatis haberent ut apud Iudæos maximè fungerentur apoſtolatu. Gal. 2. 9. & priores duo, ex officij ratione, ad eos potiſſimum ſcripſerint, Iohannem etiam ijſdem incendentem veſtigijs,

ſtigijs, eos præcipuè in iſtâ ſcriptione ſpectaſſe: quod nihil tamen impedit quin ad eos ſcripſerint (adde etiam omnes aliquo modo) qui credebant in nomen Filij Dei. Neque ex uno Beza deſumpta eſt hæc interpretatio, quod Remonſtrantes obijciunt, nam inter antiquiſſimos hæc opinio apertè videtur Cyrilli fuiſſe: ſic enim ille lib. 11. cap. 19. *Iohannes*, dicit, *quia natione Iudæus erat, ne exiſtimaretur docuiſſe, pro Iudæis tantùm Chriſtum propitiationem eſſe quando dixit, eſt propitiatio pro peccatis noſtris, adjecit, pro totius etiam mundi peccatis, ut etiam Gentes ſignificaret.*

De ſenſu verborum, quæ huc adferuntur ex cap. 2. verſ. 7. ego quidem non contendam. Argumentum quod formant (*Si fideles tam Iudæi, quam Gentes, ad quos Iohannes ſcripſit, comprehendantur prioribus verbis (pro peccatis noſtris) tum infideles intelliguntur in poſterioribus illis (pro peccatis totius mundi)* hoc inquam argumentum nullius omninò momenti eſt. Nam. 1. comprehendebat fortè omnes in priore parte: ne tamen ſolos Iudæos intellixiſſe videatur, ut Cyrillus, habet explicationem addidit in poſteriore. 2. Omnes comprehendere potuit, ad quos directè ſcripſit, non tamen omnes qui in orbe fuerunt. 3. Si omnes comprehendebat qui in orbe tunc fuerunt, non ſequitur tamen omnes ante oculos ipſi fuiſſe, quum illa verba ponebat, qui & ante vixiſſent & poſtea victuri eſſent. Poſterius igitur alios à prioribus comprehendere potuit, qui non eſſent infideles. De verbis Apoſtoli, Rom. 11. 12. unicum tantum adfertur, quod ante non fuit excuſſum: Apoſtolum ſcil. cum dicit, *offenſam Iudæorum eſſe opulentiam Mundi, & eorum diminutionem opulentiam Gentium, non ſolos omneſque fideles inter gentes intelligere per mundum, ſed omnes populos & nationes, ſine diſcrimine fidelium aut infidelium. Quamquam enim nemo opulentiæ illius fiat particeps, niſi fide, Dei opulentia tamen omnibus præſtò eſt, omnibus eſt the-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

ſaurus gratiæ patefactus, quum Apoſtoli poſt Iudæorum offenſam, iverunt prædicatum evangelium omnibus, quod etiam præſtabant, nullo diſcrimine fidelium aut electorum à cæteris facto. Quo in reſponſo vehementer hallucinari videntur non uno modo. Nam 1. agitur in textu de opulentiâ Dei, quum tamen opulentia Dei non ſit cujuſpiam hominis, niſi concedatur ipſi in poſſeſſionem. 2. Dilatatio & patefactio theſauri gratiæ per externam promulgationem, non ſtatim facit eos opulentos in gratiâ, quibus hunc in modum exhibetur. Tunc enim omnes eſſent opulenti, ex Remonſtr. ſententiâ, qui omnibus hoc fieri contendunt: ſed Iudæos nunc diminutos, non opulentos eſſe hic ipſe locus teſtatur, & quoſdam theſauros colligere ſibi, qui non ſunt divites in Deo, Salvator confirmat, Luc. 12. 21. 3. Illi ſoli ditati ſunt in Deo, quibus gratia data eſt in Chriſto. 1. Cor. 1. 5. & opulentiam Gentium in eo conſiſtere palam eſt, de quo Apoſtoli & fratres glorificaſſe Deum dicuntur, Act. 11. 18. nempe quod *etiam Gentibus Deus reſipiſcentiam dedit ad vitam.* 4. Apoſtolus ipſe in eodem capite verſ. 17. diſertè explicat opulentiam iſtam, & quorum ſit, eorum nempe, *qui inſiti ſunt oleæ, participes radicis & pinguedinis ejus facti,* id eſt, fideles. 5. Quamvis Apoſtoli (humano more agentes) quoſlibet ex gentibus ditare ſtudebant Evangelij theſauro, miniſterium tamen eorum ex conſilio divino propriè ſpectabat ad *ſanctos,* qui ad corpus Chriſti pertinebant. Eph. 4. 12. & promiſſio eorum propriè fuit, quos Deus ad corpus illud aggregaturus erat. Act. 2. 39. vel aggregaſſet olim. Heb. 9. 15.

Atqui hæc de celebri iſto loco dicta ſunto: quem Sociniani & inter illos anteſignanus eorum Oſtorodius, ut lethalem prędeſtinationi noſtrę, confidenter prædicant & ijſdem conatibus quibus Remonſtrantes urgent, ſicut in Iacobo ad portum Fidei orthodo. defenſ. cap. 29. manifeſtò videre eſt.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

ARTICULUS TERTIUS DE CAUSSA FIDEI.

Theſis tertia hoc modo ſonat:

HOMINEM *fidem ſalutarem à ſe ipſo non habere, nec vi liberi ſui arbitrij: quandoquidem in ſtatu defectiouis & peccati, nihil boni, quod quidem verè ſit bonũ, (quale quid eſt fides ſalutaris) ex ſe poſſit cogitare, velle, aut facere: ſed neceſſarium eſſe, eum à Deo, in Chriſto, per Spiritum ejus Sanctum regigni, renovari mente, affectibus, ſeu voluntate, & omnibus facultatibus, ut aliquid boni poſſit intelligere, cogitare, velle, & perficere, ſecundum illud Ioh.* 15. 5. *Sine me poteſtis nihil.*

De aſſertionis hujus veritate, nulla in Collatione movebatur controverſia, neque nunc in quæſtionem vocatur: imò ad magnam harum litium partem ſedandam, hæc una ſufficeret theſis, modo ſynceram eam Remonſtrantium confeſſionem continere conſtaret, & ex labijs doloſis non prodire. Sed magna ſubeſt ſuſpicio, eos non tam ex animo, quam ex arte dixiſſe multa, quæ continentur in iſtoc effato. Diruunt enim alibi, quæ hic ædificant: ut ex paucis his inter ſeſe collatis, mihi ſaltem videtur manifeſtum.

Iſtic docent Remonſt.

1. Homines ante regenerationem, eſſe in ſtatu peccati, & ab omni gratia, & vero bono relictos.

2. Neceſſarium eſſe ut homo prius in mente regignatur, & renovetur, quam boni quidquam intelligere poſſit.

3. Regigni prius hominem in affectibus, quam boni quidquam deſiderare poſſit.

4. Regigni prius ac renovari voluntate, quam boni quidquam velle poſſit.

Alibi,

1. Vitam ſpiritualem in hominibus animalibus non penitùs à mente ſeparari: nec verè ac propriè à voluntate. Collat. p. 298. 299.

2. Quemlibet, modò uſu rationis & judicij polleat, ſine ullâ peculiari immediatâ, vel internâ lucis colluſttatione, intelligere & percipere facile poſſe, omnes ſcripturæ ſenſus, qui ad ſalutem neceſſarij ſunt, ſcitu, creditu, ſperatu, vel factu. Epiſcopius in diſp. de perſpic. Scripturæ. th. 1. 3.

3. Hominem nondum fidelem & regenitum, pænitentiam agere, liberationem deſiderare, propoſitum ac tentamen vitæ in melius commutandæ concipere, atque elaborare ita ut quoſdam actus notoriè malos vitet, idque magis ex offenſionis divinæ, quam pænæ metu, quo metu adductus, ut à peccando abſtineat, rectè & divinæ voluntati convenienter facit. Idem diſput. de Pænitentiâ th. 1. 9. 13.

4. Irregenitos quoſdam intellectum & affectus habere vivificatos, ac voluntatem etiam potentem factam, ut innatam volendi ac nolendi facultatem in actum

Iſtic docent Remonſt.	*Alibi,*
	in actum producat: adeò vtſalutiferam veritatem norint, & amore ejus inflamati, ad eã amplectendam inſtigentur. in Collatione p. 300. Auxilium Dei efficax non prius agere in voluntatem, quã voluntas concurrat ad converſionem ſui. Nicol. Grev. p. 214.
5. Neceſſarium eſſe regigni hominem omnibus facultatibus, priuſquam boni aliquid poſſit facere.	5. Regenerationem ipſam inchoari ab opere, quod Deus ipſũ hominem jubet facere, & quod cũ homo facit, paulatim reviviſcit. Hominis regenerationem pręcedere opus aliquod bonum, nempe mortẽ ſuam agnoſcere, ac deplorare, velle etiã & rogare, ut ex ea liberetur, vitam eſurire, ſitire, quærere: quod omne & plus etiam à Chriſto exigitur in ijs, quos vivificabit & regenerabit. Collat. p. 302.
6. Nihil boni prærequiri ab homine, ut Deus velit eum regenerare.	6. Parvitatem & humilitatem ut conditionem prærequiri â Deo, ad hoc, ut Paulo potius quam Caiphæ fidem velit ingenerare. Nicol. Grev. p. 117. imò reſipiſcentiam, fidem, & mandatorum etiam præſtationẽ, prærequiri ad hoc, ut particeps quis fiat promiſſorum fœderis novi, inter quæ eſt regeneratio. Epiſcop. in theſ. priv. diſp. 3. & 40.

7. Hominem in ſtatu defectionis & peccati, penitus mortuum eſſe, quoad ſpiritualem ſtatum, quia nihil boni cogitare, velle, aut facere poteſt, ex ſe, id eſt, ex principio aliquo innato, aut vi liberi arbitrij.

7. In ſpirituali morte non ſe parari propriè ſpiritualia don ab hominis voluntate, ſed ean ſic liberam in ſeſe manere, ut ex citari poſſit ad bonum, ante quam propriè vivificetur, aut ul las novas vires accipiat, & loco motivam facultatem eò uſqu ſaltem liberam eſſe, ut mult agat, quæ à Deo ad converſio nem efflagitantur. Collat. p. 298 299. 302. 303.

Hæc inter ſe pugnantia idcirco compoſui & compa ravi, non ut theſin ipſam veritate ſuâ, ſed ut Remonſtran tes ejus poſſeſſione deſtitutos eſſe monſtrarem, & ſibime eam arrogaſſe fide non bona.

ARTI

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

ARTICULUS QUARTUS, DE CONVERSIONIS MODO.

Caput I.

Statu Quæſtionis.

Quarta theſis ſic ſe habet:

Hanc Dei gratiam eſſe initium, progreſſum, & perfectionem omnis boni, atque adeò quidem, ut ipſe homo regenitus, abſque hac prædaneâ, ſeu adventitiâ, excitante, conſequente, & cooperante gratiâ, neque boni quid cogitare, velle, aut facere poſſit, neque etiam ulli malæ tentationi reſiſtere: adeò quidem, ut omnia bona opera, quæ excogitare poſſumus, Dei gratiæ in Chriſto tribuenda ſint. Quoad verò modum cooperationis illius gratiæ, illa non eſt irreſiſtibilis: de multis enim dicitur, eos Spiritui Sancto reſtitiſſe. Act. 7. & alibi multis locis.

De priore hujus theſeos parte quamvis nonnulla contineat, quæ cum Remonſtrantium placitis non poſſunt reconciliari, quod ex diſputatione ſequenti liquebit, in præſentiâ tamen litem nullam intendam. De poſteriore controverſiam habemus ab illis formatam, his verbis, *An gratia quâ in homine, initium, progreſſus, & perfectio omnium, bonarum actionum, uti fidei, converſionis, &c. producitur, operetur in eo irreſiſtibiliter, an ſecus*, id eſt, reſiſtibiliter.

Hanc autem cauſam liquidò non poſſumus intelligere, niſi reſiſtentiæ naturâ prius explicatâ. In iſtac enim voce, quam ut alienam ab iſtoc myſterio rejicere ſolent noſtri,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

Remonſtrantes caput ipſum totius controverſiæ collocari volunt.

Reſiſtentiâ verò eſt pugna ſeu actio contraria patientis cum agente, qua agentis actionem pro facultate impedit aut repellit. A philoſophis, *reactio*, *redactio*, vel *actionis reciprocatio* ſolet appellari. In omni autem reactione, agentium vires exertæ, vel ſunt æquales, vel inæquales: ſi æquales, tum præter pugnam inanem, nihil efficitur: ſi inæquales, tum vel ſuperat agens & vincit, reſiſtentiam aliquam inveniens, ſed imparem & incompletam, ſuccumbente tandem, quod repugnabat; vel ſuperat in redagendo patiens, & non tardat ſolum, ſed planè impedit, ac irritum facit conatum agentis: quæ reſiſtentia prævalens eſt & completa. Hæc ſic in genere dicta, non nihil fortè obſcuritatis habent: ſed ad cauſam præſentem applicata lucem accipient, & fænerabuntur etiam non pænitendã. Gratia Dei agit in hominem ad converſionem ejus: homo ſibimet in præſenti ſtatu placens, repugnat, & in contrarium tendit ex propenſione carnis: ſi jam repugnantia hæc æqualium prorſus virium ſit, cum exertâ gratiæ virtute, tum nec efficitur converſio, nec ut efficiatur exſpectari poteſt: effectio enim ſemper eſt ab inæquali ſuperante. Si verò gratiæ virtus excedat, tum quamvis incompleta reſiſtentia fiat à carne, vincitur tamen à gratiâ, quia fortius agit. Sed ſi repugnantia major ſit, & gratiæ operatio minor, aut minus validè agens, tum caro eam ſuperat, vel irritam facit, quæ reſiſtentia prævalens eſt & completa: & hæc illa reſiſtentia eſt, cui gratiam Dei obnoxiam eſſe Remonſtrantes defendunt, quum operationem gratiæ reſiſtibilem eſſe contendunt. Priorem enim, quam incompletam dixi repugnantium, agnoſcunt libenter Noſtri. pag. 217. 238. Sed illum ſenſum alienum eſſe à theſi profitentur illi diſertè pag. 274. Hanc autem intelligere neceſſe habent, quoniam hominem

hominem dicunt ſic *obniti* poſſe gratiæ, ut illam *impediat & avertat* (p. 274.) ſic verò impedire eſt planè ſuperare: quod, *niſi res agatur ſolis rationibus perſuaſorijs, aliud nihil eſſe* Remonſtrantes fatentur (p. 276.) *quam alius vim maiori vi debellare:* & Deum ex opinione ſuâ fidem producere ſuaſione ſolâ, non volunt hic fateri, ſed injuriam inferri dicunt, ab ijs qui tam iniquè ſententiam eorum proponunt. (p. 309.) Si tamen ſolis rationibus perſuaderet homini Deus, ut convertere ſeſe velit, impedimentum oppoſitum in reſiſtentia, quod averteret & ſuperaret perſuaſionem illam, illud inquam impedimentum in eodem ſaltem genere, majus ac ſuperius eſſe, non opus eſt ut ratione probetur, Remonſtrantes ipſi id adſeverant (p. 310.) *Fieri* (inquiunt) *non poteſt, quin ubi duo de homine ad ſe alliciendo certant, ut alter altero fortius agat, alioqui enim neuter eum ad ſe pertraheret.* Utcunque verò ſe res habet quoad effectionem aut ſuaſionem gratiæ, ſi gratia ſit propria & directa cauſa converſionis, quoad initium, progreſſum, & perfectionem ejus, prout theſis hæc præ ſe ferre videtur, tum vim propriam adfert ad converſionem producendam, & ad effectum cum vi vel virtute cauſali tendit: neque ipſi reſiſti propriè poteſt, niſi per vim aliquam oppoſitam, quæ fortiùs agit in contrarium, quam ad convertendum agit illa. Axioma igitur Remonſtiantium theſi è diametro contradicens eſt, *Gratiæ operationem tam potentis eſſe efficaciæ in converſione hominis: ut ejus actio ab homine non poſſit ſuperari aut prorſus impediri.* Agnoſcunt hoc Remonſtrantes ipſi in reſp. ad arg. 5. p. 312.

Ut clarius adhuc fiat, quam reſiſtentiam vel reſiſtibilitatem Remonſtrantes defendunt, dicēdum eſt aliquid de actionibus illis, quas Deo in hoc negotio tribuunt, ſicut & de reſiſtendi poteſtate, quam homini relinquunt in converſione. Efficientis cauſæ nomen, illud in genere deſignat, â quo motus aliquis principium ſuum habet: quo-

niam verò actiones, vel motus quidam initium ſuum aliquatenus habent ex occaſione oblatâ, & objecto propoſito, unà cum ejus commoditate, quamvis nullum effectum exiſtat, quin cauſam habeat magis realem ac immediatam. Hinc ortum ſuum habet diſtinctio quædam non vana, cauſam unam appellans *moralem*, quæ non niſi impropriè & metaphoricè cauſæ nomen ſuſtinet, quia directè ac immediatè nullam vim aut virtutem adfert ad producendum illud quod effici vult, ac intendit, ſed ea proponit argumenta, quibus alter uti poteſt ad promovendam actionem ſuam propriam, cujus etiam voluntatem ac determinationem exſpectat, ut ejus virtute optatum effectum ſequatur. Hujus moralis cauſæ actio non aliter exercetur, quam proponendo, ſuadendo, conſulendo, & præcipiendo. Altera cauſa, quæ ſola propriè ſic dici meretur, illud eſt principium, quod per ſuam veram ac realem efficiendi vim effectum ſuum producit. Hæc vel *Phyſica*, vel quaſi Phyſica, vel ex ſeſe efficax, vocari ſolet in ſcholis. Ad eandem etiam rationem gratia ipſa diſtingui poteſt, ac ſolet in *moralem*, quæ ſuadet, ut nos boni aliquid faciamus, & *Phyſicam*, vel efficacem ex ſeſe, quæ ipſa in nobis illud bonum opus efficit. Iam verò certiſſimum eſt Remonſtrantes (quicquid in contrarium aliquando præ ſe ferunt) realem iſtam gratiæ efficaciam, vel efficientiam, quâ nos eam in voluntatem ad converſionis opus realiter agere credimus, nequaquam admittere, ſed in morali ſuaſione, totum illud collocare, quod facere gratiam dicunt in modum principij, ad eliciendum liberum voluntatis conſenſum. Sic enim Nicol. Grevinch. (pag. 214.) *auxilium efficax non antecedit efficientiam voluntatis, non ordine quidem cauſalitatis, nec prius in voluntatem agit aut influit, quam ipſa voluntas in determinationem ſui influit nihil in voluntatem agit:*

Deus,

Deus, in viâ ad conſenſum illum, vel tanquam cauſa illius. & pag. 297. *Nihil obſtat quo minus vel ſola gratia moralis, homines animales, ſpirituales reddat.* Profert ille ac profitetur palam, id quod Remonſtrantes in Collatione prudentius ac tutius putabant aliquatenus obvelare: & ipſis tamen ſubindicare viſum eſt quid apud ſe ſtatuerent, his nempe dicendi ſchematis, pag. 311. *Poſſet etiam (ut à quibuſdam fit) diſputari, ſit ne hic nobiliſſimus agendi in homine modus, qui fit ſuadendo, & eſſetne conveniens ſervatis humanæ naturæ proprietatibus, ideòque eſſetne omnino eadem actio ſatis ſufficiens, ſi eſſet qualis Satanæ. Nulla eſſet abſurditas ſi Dei operatio ideò diceretur efficax, quia illa pro Dei infinita ſcientia, circiter illud tempus, ejuſmodi hominibus, tali ſtatu, adminiſtratur.* & pag. 322. *Qui nihil aliud dicunt, quam trahere eſſe operationem, qua à Deo repugnans noſtra voluntas reipſa ita mutatur, ut ex invitis voluntarios efficiat: putantne ſe quid plus ſtatuiſſe quam gratiam allicientem? non exiſtimamus: nam poſſunt & inviti voluntarij reddi ſolo illicio. Niſi forte inviti & pervicaces manent qui convertuntur.* Quæ verba non obſcurè indicant, gratiæ nihil à Remonſtrantibus tribui, reſpectu converſionis, præter moralem ſuaſionem: atque adeò efficientem converſionis cauſam propriam, non eſſe gratiam Dei: efficientem enim cauſam diſtinguunt ipſimet à cauſa morali, pag. 314. *Efficacitas* (inquiunt) *roboris Dei poteſt ſtatui, aut uti cauſa fidei noſtræ efficiens, quod hic reÿcimus: aut ut fundamentum quo fides nititur,* id eſt, ut paulò poſt interpretantur, *fidem excitans per modum objecti.* Cauſam hic efficientem, & moralem ſuaſionem per modum objecti, diſtinguendas eſſe rectè monent.

Sed neque ſummum gradum efficaciæ moralis, vocationis gratiæ concedunt Remonſtrantes: non illum quem Suarez ipſe Ieſuita, ſummus hoſtis irreſiſti-

 bilis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

bilis gratiæ concedendum eſſe fatetur, De auxil. l. 3. c. 20. ſ. 11. ubi omnes illos qui vocantur ſecundum propoſitum Dei, majorem gratiam accipere docet, quam cæteros in ratione moralis beneficij & gratuiti doni divini, reſpectu ſingularis benevolentiæ, ex quâ procedit, & infallibilis efficaciæ, quam habet, ſaltem ex adminiſtrationis congruitate. Remonſtrantes autem infallibilem hanc vocationem non minus reijciunt, quam irreſiſtibilem ipſam, in Collat. pag. 277. Imò cauſam juſtam dubitandi nobis dederunt an ullam aliam agnoſcant gratiam ad converſionem hominis neceſſariam, præter nudam externam verbi propoſitionem, quod etiam de quibuſdam ſaltem eorum aſſeverare tutò licet. Epiſcopius enim, ut ſupra monebam, acriter contendit (Diſput. de perſpic. ſcript. theſ. 1. 3.) *poſſe quemlibet, modo uſu rationis polleat, ſine ullâ peculiari immediatâ vel internâ lucis colluſtratione, facillimè intelligere ac percipere omnes Scripturæ ſenſus, qui ad ſalutem neceſſarij ſunt, ſcitu, creditu, ſperatu, vel factu.*

Senſus autem iſti cum in mente percipiuntur, facillimè voluntati monſtrantur, voluntas autem à naturâ liberam & inſeparabilem facultatem habet (ex eorum ſententiâ, Nicol. Grev. pag. 299. Collat. pag. 298.) eligendi quodlibet objectum ab intellectu monſtratum. Nihil aliud igitur neceſſarium eſſe putant ad converſionem hominis, præter externam verbi propoſinem. Hanc eſſe genuinam Epiſcopij mentem, liquidiſſimè apparet ex theſibus ejus privatis, ubi diſputationi quadrageſimæ ſextæ corrollarium iſtud adjungit, *An ulla actio Spiritus immediata in voluntatem aut mentem neceſſaria ſit, aut in Scripturis promittatur, ad hoc ut quis credere poſſit verbo extrinſecus propoſito? Negativam tuebimur.* Cujus corollarij tamen laus (ſi quam habeat) non tam Epiſcopio, quam Fauſto Socino debetur:

in

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

n cujus Catecheſi (cap. 6. p. 212.) eadem ſententia
ſdem ferè verbis dictatur: *Nonne ad credendum evange-
o, Spiritus Sancti interiori dono opus eſt? Nullo modo: ne-
ue enim in Scripturis ſacris legimus, cuiquam id conferri do-
um, niſi credenti.*

Si hoc verò totum illud ſit, quod per gratiam con-
erſionis intelligunt, non eſt cur quis miretur, quod
reſiſtibilem eam dicendam eſſe negant: operæ ta-
nen pretium erit audire, quomodo & quatenus ope-
ationem gratiæ reſiſtibilem eſſe tradunt. Primarium ſi
on unicum prævenientis gratiæ actum in illuſtratione
nentis vel intellectus ponunt: hic autem reſiſtibilita-
em nullum volunt habere locum: nam virtute planè
rreſiſtibili, ſcientiam hominibus ingenerari docent,
Collat. p. 273. Secundum vocationis gradum in affectibus
pparere tradunt, quos & ſenſu quodam affici dicunt
ulſationis divinæ, & ſanari etiam ac renovari, imò no-
os inſpirari, & ad ſupernaturalium bonorum deſide-
ium accendi. Hoc autem quidquid ſit, irreſiſtibiliter e-
iam effici concedunt (ibid. & Nicol. p. 292. 300. Iohan.
Arnoldi adv. Bogerm. p. 255. 277.) Quidquid ſit, dixi,
uoniam vix intelligere poſſum, quid ſibi velint per affe-
tus iſtos ſanatos, reformatos: accenſos affectus nul-
os putabam eſſe, qui ſic reſtaurari poſſunt, vel ante,
el ſine voluntate: ſi voluntatem ipſam includant, tum
ominis converſionem totam irreſiſtibilem eſſe faten-
ur. Nodum iſtum ut ſolvere poſſit Iohannes Arnol-
li adverſ. Bogerm. (pag, 229. 255. & 277.) affectus iſtos
n ipsâ voluntate collocari vult, diſtinctionem adhi-
bens inter eandem voluntatem, *ſecundum modum affe-
ctus, & ſecundum modum libertatis*: quâ quid ſibi velit
ego quidem non intelligo. Voluntas enim ex naturâ
ſuâ nihil aliud eſt quam affectus ſeu appetitus rationa-
is vel intellectualis, & qua talis eſt affectus, eſt etiam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

libera: qui diſtinguit igitur inter modum affectus, & modum libertatis in voluntate, perinde mihi facere videtur, ac ſi ex affectu & ejus modo, duos efficeret modos. Subiti ſunt quidam voluntatis motus (non neſcio) qui à philoſophis vocantur *primo-primi*, omnem rationis uſum prævertentes: & *ſecundo-primi*, qui juſtam antevertunt conſiderationem: ſed iſti non ſunt affectus illi, quos Remonſtrantes intelligunt: & mentis enim illuminationem juſtam, affectus iſtos antecedere docent, eoſque ordinatâ ratione creare. Neque motus illi tranſeuntes, renovationis & ſanationis illius capacia ſubjecta ſunt, quam affectibus iſtis tribuunt. Explicationem aliquam hujus difficultatis proponere videtur idem Iohannes Arnoldi p. 258. 271. & 277. ubi *irreſiſtibilem actionem gratiæ, paſſivam tantum potentiam animi reſpicere* docet, *non etiam activam*: Sed antepoſitis non ſatis conſentaneè. Si enim intellectionem in mente, affectus in voluntate, irreſiſtibiliter producat, tum actus etiam ſic elici facit: jam intellectionem, deſiderium & excitatos motus, qui meras paſſiones dixerit, is ab omnium hominum communi ſenſu, abundè ſatis refutari poteſt. Quid velint igitur per affectus iſtos excitatos, renovatos, ſanatos, & ad ſpirituale bonum accenſos, abſque ullo voluntatis conſenſu, nec me capere poſſe fateor, nec ipſos noviſſe credo. Sed quidquid fuerit, totum illud irreſiſtibili poteſtate perfectum eſſe dicunt.

Reſtat igitur voluntatis conſenſus merus ac ſolus, in quo reſiſtibilitas gratiæ locum habere poteſt. Sed 1. conſenſus iſte actualis non prærequiritur ad hominis regenerationem, ſi vera ſint, ac non verba mera, quæ dant, cum per actus priores, quos irreſiſtibiles eſſe fatentur, *intellecti & affectus vivificari, voluntatem etiam novis affectionibus imbui, & novis viribus donari* narrant. Collat. pag. 300. Iohan. Arnoldi adv. Bogerm. p. 257. Sicut enim generatur ſoboles humana, quum primò vitæ fit particeps, quamvis

actu

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

ctus ejus exercere nondum poſſit, ſic regenerari dicen-
us eſt ille, ac filius Dei factus, qui ſpiritualiter vivificatus
ſt in mente & affectibus, ac novas vires, unà cum affe-
tionibus novis, accepit in voluntate, quamvis actum hunc
ebitum nondum exercuit, imò regeniti nomen multò
nagis meretur, quam alter ille geniti, quoniam ille ne
oteſt quidem humanas operationes præſtare, hic verò
Chriſtianas pręſtandi potentiam habet præſentem. Quid?
uod ipſa regenerationis eſſentia in malorum affectuum
eformatione & bonorum inſpiratione conſiſtit, quâ fit ut
more, deſiderio, ſpe, ac reverentiâ feratur animus illius
n Deum, cui prius totum figmentum cordis tantummo-
ò ad malum fuit. Deut.30.6. Ier.32.39.40. adeò ut ſi hęc
eformatio & inſpiratio fiat ante voluntatis actualem
ſtum conſenſum, idque irreſiſtibili vi, tum regeneratio-
em ipſam, quoad intimam ejus eſſentiam ante illum
tiam irreſiſtibiliter fieri neceſſe eſt. 2. Si voluntatis con-
enſus ad effectum hoc deſideretur, quum ille tamen in-
allibiliter & certò, ſi non irreſiſtibiliter, ſequitur intel-
ectus illuminationem illam, quâ judicium ſingularis ap-
robationis elicitur circa bonum propoſitum, indifferens
jus libertas, per antegredientes actus, videtur jam ſub-
ata. 3. Conſenſum iſtum voluntatis, quamvis ad eum
roritandum vel maximè faciunt illa quæ peregit jam
ratia in mente & affectibus, ipſum inquam conſenſum
on propriè efficit gratia (ſecundum Remonſtrantium
lacita) ſed exſpectat ab hominis arbitrio, quod allicit
uidem ac invitat ad conſentiendum, ſed conſenſum ip-
um in ejus liberâ & indifferente poteſtate relinquit.
ic Ioh. Arnoldi, adv. Bogerm. pag. 263. *Poſitis omnibus ope-
ationibus, quibus ad converſionem in nobis efficiendam Deus
titur, manet tamen ipſa converſio ita in noſtra poteſtate, ut poſ-
mus non converti.* Ubi illud attentè debet obſervari, con-
omitantem actum gratiæ, quo cum voluntate in opere
con-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

concurrit, non inter illas operationes numerari, vel ab ipſo Arnoldo, quibus ad converſionem efficiendam Deus utitur: hoc enim concurſu jam actu poſito, non eſt in hominis poteſtate, ut poſſit non converti: nam converſionem ipſam ut præſentem actum ſupponi. Fallit igitur & ludit idem Arnoldus pag. 274. quum Deum per concurſum iſtum, conſenſum efficere in voluntate fingit. Fallunt etiam cæteri, cum idem affirmant: concurſus enim ad effectum voluntatis, non habet rationem efficientis cauſæ vel principij, reſpectu voluntatis vel ejus influxus in idem effectum. Quum igitur conſenſus iſte, vel conatus ipſe voluntatis in conſentiendo, non ſit proprium effectum gratiæ quando adeſt, ſic etiam quando impeditur idem conſenſus gratiæ, non propriè dici poteſt reſiſtentiam fieri, aut ejus operatio in iſtoc defectu reſiſtibilis: reſiſtentia enim propriè eſt patientis, dum renititur agenti, unde etiam reactio, vel redactio, & reciprocatio actionis vocatur à doctis. Occurrit iſtis Iohannes Arnoldi adverſ. Bogerm. p. 274. & monet *reſiſtentiam fieri non agenti ſoli, ſed & intendenti: nec eum ſolum impediri, qui ne agat, impeditur, ſed & cui ita occurritur, ut actionem non ſequatur effectus: & gratiam hoc nomine reſiſtibilem dici, quia cum homo vires accepit à gratia ut ſeſe convertat, viribus iſtis abuti poteſt, ſemet non convertendo.* Sed 1. non intentendi propriè, ſed agenti ſoli reſiſti, jam ante monſtratum eſt: quod inde etiam liquet, quia diu intenduntur effecta, priuſquam ad effectionem eorum quidquam agitur, quo toto ſpatio, non dicuntur impediri, ſed tum demum, cum aliquid agitur cui aliud obſtat. 2. Non intendit Deus abſolutè converſionem hominis (ex Remonſtr. ſententiâ) niſi poſito concurſu voluntatis ejus, qui prærequiritur, ad hoc ut Deus abſolutè velit converſionis effectum. Nicol. Grev. pag. 177. Conditionalis autem intentio ſuſpenſum quid eſt ex eventu exſpectato, ut interim non agat, atque adeò

ideò reſiſtentiam propriè non poſſit pati. 3. Conſenſus non eſt proprius & directus effectus actionis gratiæ præcedentis, ſi verum ſit quod iſti dicunt: ejus enim effectione propriâ completâ, conſenſum in alterius eſſe poteſtate docent, ut ſequatur, vel ſiſtatur pró arbitrio ejus.

Sedes igitur hujus reſiſtentiæ propriè nullibi comparet in converſionis ullâ parte, quamvis concedatur illa convertendi ratio quam Remonſtrantes defendunt. Quid tamen per phraſin hanc impropriam ſibi velint ſatis tandem explicatum habemus. *Poſitis* (nempe) *omnibus operationibus gratiæ, quibus ad converſionem in nobis efficiendam Deus utitur, manet tamen ipſa converſio ita in noſtra poteſtate libera, ut poſſimus non converti, id eſt noſmet ipſos convertere, vel non convertere.* Sunt verba Iohannis Arnoldi adv. Bogerm. p. 263. 274. ex quibus accuratè, maximè, conſideratéque formatis ad explicandam gratiæ reſiſtibilitatem, irreſiſtibiliter ſequitur, quod innuebam prius, gratiam non eſſe propriam & immediatam cauſam hujus converſionis, niſi quoad potentiam ejus tantum. Poſitis enim omnibus operationibus propriç ac immediatç cauſæ, quçcunque demum fuerit, effectum ſemper ſequi, vel ſimul potius exiſtere, logica dictat, & lex naturæ.

Quæſtiones circa hunc articulum quartum controverſæ.

Quæſtiones igitur emergentes ex diſquiſitione priore hæ ſunt. 1. Utrum vocationis gratia, vel operatio Dei tota, qua utitur ad hominem convertendum, ſit moralis tantum ſuadendo, proponendo, invitando, &c. an realis etiam, & propriæ efficientiæ? 2. Utrum nulla ſit actio Spiritus immediatè in mentem & voluntatem agens, quâ credere nos facit, ſed credendorum propoſitio ſola ſufficiat ad fidem ingenerandam aut eliciendam? 3. An non idem ſit modus operandi, quoad efficaciam gratiæ, in vivificatione intellectus, affectuum & voluntatis, ſed intellectus & affectus irreſiſtibiliter, voluntas autem re-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

ſiſtibili modo vivificetur? 4. An voluntas renovetur aliquando ſecundum modum affectus, ita ut irregenita prorſus maneat ſecundum modum libertatis. 5. An vires nullæ voluntati dentur ad converſionem ejus præter mentis illuſtrationem & affectuum excitationem? 6. An præter mentis illuſtrationem, & affectuum excitationem, & voluntatis invitationem, nihil faciat gratia per modum principij vel antecedenter ad converſionem, ſed comitetur tantum voluntatem jam conſentientem? 7. An poſitis omnibus operationibus quibus ad converſionem in hominibus efficiendam Deus utitur, converſio ſæpè vel unquam non ſequatur? 8. Ubi ſequitur converſio, an nec ullâ neceſſitate cauſæ, nec eventus infallibilitate ſequatur ex intentione & actione Dei, ſed contingenter tantum & incertò, prout indifferenti hominis voluntati inclinare ſeſe libet. De iſtis quid ſtatuant Remonſtrantes, ſatis ante declaratum eſt.

CAPUT II.

Argumentum primum.

Pag. 279.

SI operatio gratiæ Dei quæ fidem & converſionem in nobis efficit, tanta ſit, ut per illam homini detur, & in eo efficiatur, non tantum potentia credendi, ſed etiam Fides ipſa in actu, tum omnem repugnantiam ſuperat, & ſola converſionem efficit. Sed talem eſſe gratiæ operationem Scriptura teſtatur apertè. Phil.1.29 & 2. 13. Vobis gratis datum eſt in Chriſti negotio in eum credere. Deus eſt is qui efficit in vobis velle & perficere pro ſuo beneplacito. Ergo.

Reſpondent Remonſt. 1. *Etſi ipſum reſiſtere aufertur, manere tamen reſiſtibilitatem.* Quod perinde eſt ac ſi dixiſſent, omni repugnantiâ ſuperatâ, manere tamen illam ſuperabilem, vel reſiſti actu poſſe tali efficaciæ, quali omnis actualis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

actualis reſiſtentia tollitur: ſed animadvertere debēt non dici in argumento, reſiſtentiæ actum ad tempus impediri vel cohiberi, quod cum reſiſtendi potentiâ convenire poſſet, ſed ipſam reſiſtentiam *ſuperari*, quod non fit niſi vi & efficaciâ reſiſtendi potentiam excedente, ſicut ipſi concedunt pag. 276, major autem vis ubi exercetur, non eſt reſiſtibilis reſpectu minoris. Neque propriè dicitur vel ſuperari, vel tolli, reſiſtentia, niſi quoad potentiam penitus renitendi.

Objiciunt Remonſt. *argumentum non eſſe univerſale: quoniam non concludit gratiam converſionis eſſe irreſiſtibilem in ijs, in quibus efficaciter vult agere, ſed tantum in ijs, in quibus efficaciter agit, id eſt, in credentibus.* Ubi 1. ſatis erit illos ad Principia dialecticæ revocaſſe, unde poſſunt edoceri, *generali axiomati non ita contradici per alterum generale, ut verum à falſo dividatur, ſed per ſpeciale tãtum.* Quum igitur theſis eorum generalis fuit, de reſiſtibilitate omnis operationis gratiæ in quibuſlibet hominibus reſpectu cõverſionis (hunc enim ſenſum eſſe enunciationis illius, quam indefinitè ponunt, non poſſunt ipſi negare) accommodatiſſimum certè fuit argumentum opponere, quod ſpecialis contradictionis eſſet, non generalis. 2. Meminiſſe debent reſiſtibilem in theſi conſtitui gratiam, quâ in homine initium, progreſſus, & perfectio omnium bonarum actionum producitur: hujuſmodi autem operandi ratio, non connvenit propriè niſi fidelibus: rectè igitur & ad mentem illam theſeos, quæ verbis exprimitur, diſputabant Noſtri, cum in fidelibus inſtabant contrarium haberi. 3. Ab ipſiſmet expreſsè dicitur pag. 268. conſiderari hominem in quartâ theſi quà renatum, id eſt, fidelem. 1.

Notant aliquid ad voculam illam *ſola* quam in argumento poni non ſatis probant. *Si* (inquiunt) *ſignificet gratiam eſſe unicam, præcipuam, ac ſupremam fidei cauſam, verum* 3.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

eſt, at ſi velint omnem voluntatis, per gratiam excitatæ, cooperationem excludere, error eſt, quia nemo reipſa credit, niſi præcedat credendi voluntas. Ambiguitatem verò dum tollere videntur unam, pluribus eam non debent cumulare. Id autem fecerunt, an de induſtriâ nec ne, non dicam. 1. In eo quod gratiam unicam dicunt eſſe fidei cauſam, vel ambiguè valdè loquuntur, vel ſibimet ipſis apertè contradicunt. Nam & Nicol. Grevinch. p. 208. diſertis verbis affirmat, *liberum arbitrium eſſe cauſam partialem fidei, & gratiam non niſi partialem eſſe, partialitate ſcil. cauſandi.* Et hoc ipſo in loco ubi gratiam cauſam *unicam* dicunt, addunt ſtatim *præcipuam*, ac *ſupremam*, ſatis clarè ſubindicantes, aliam eſſe fidei cauſam, præter Dei gratiam, quamvis minus fortè principalem. 2. Cauſa dicitur præcipua, vel ſecundum gradum ipſius (ut loquuntur) cauſalitatis, vel aliâ aliquâ ratione: ſi priori modo, qui maximè proprius eſt, intelligi velint, quum dicunt gratiam eſſe fidei *præcipuam* cauſam, ſibimet etiam in eo contradicere videntur, quod *gratiam ab arbitrio determinari* (dicunt) *ad actum, agere voluntatem quum in ipſam nihil agit gratia.* Nec aliud, quicquam agere per modum principij ad voluntatis actum, quam quod *removet impedimenta, & allicit ad agendum.* Nicol. Grev. p. 206. 204. 300. nam cauſa determinans aliam nullam ab ipsâ virtutem communicatam habens, & agens propriè, ad inſtigationem alterius moralem principalior dici debet cauſa, quam alliciens illa, quęcunque demum fuerit. 3. Voluntatis excitatio de quâ loquuntur, vel eſt externa ſola pulſatio, vel eſt interna quædam vivificatio: ſi priorem intelligant, tum cooperatio voluntatis ad proximè ſequentem actum, id eſt, ad ingenerationem ſpiritualis vitæ excludi poteſt, ſine ullo errore, ſi etiam poſteriorem, tum actionis illius terminum proximum & immediatum (vitam) ante voluntatis cooperationem qui exiſtere dicit, quid errat ille,

lle, ego non video. Imò in ipsâ cooperatione volun-tatis ad actum converſionis, ſi quis gratiam ſolam & adæquatam cauſam eſſe dicat, cur homo convertatur, quia tota ratio hujus efficaciæ vel actus, quà talis, quamvis non quà actus, à gratiâ ſolâ dependet ac fluit, is non errabit, niſi Chriſto duce Ioh. 15. 5. *Sine me nihil*, ergo à me totum, *facitis*. 4. Illud ultimum autem eſt omnium tortuoſiſſimum, *Nemo re ipſa credit, niſi præcedat credendi voluntas*. Voluntas enim credendi eſt ipſum credere: atque adeò quomodo alterum alterum præcedat non liquet: niſi fortè per voluntatem credendi, influxum intelligant arbitrij diſtinctum ab ejus termino, quo ſenſu dicere poſſunt, non minore cum ratione, voluntatem credendi, & concurſum divinum, & intentionem ejus abſolutam præcedere, influxum enim illum conditionem prærequiſitam eſſe tradunt, ut Deus concurrat, vel abſolutè concurrere velit, ad actum fidei in eſſe determinato. Nicol. Grevinch. pag. 117. 214.

Loca producta nihil ad rem facere dicunt, *quia de operatione agunt ſola, non de operandi modo, qui ſolus in quæſtionem vocatur*. Sed. 1. operatio & operandi modus, in quibuſdam tam arctè connectuntur, ut qui de alteru-tro agit, neceſſe habet utrunque notare. 2. Tertiam & quartam theſin in iſto reſcripto conjungi norunt, operationem idcirco cum operandi modo conjungi, non eſt cur mirentur. 3. Modus etiam hujus operationis ſub titulo *doni gratuiti, ſecundum beneplacitum Dei* communicati, manifeſtò ſatis declaratur. 4.

Ad Philipp. 1. 29. *Mentionem fieri* contendunt *actualis fidei, quam tamen negant produci, niſi humanâ voluntate ad credendum præventâ*. Quod ego reſponſum valere ſinam, quantum valere poteſt: vel enim nullam vim habet, vel eam quam ego non poſſum capere. Quid 5. *Phil. 1. 29.*

enim prohibet hæc efficax voluntatis præventio, quo minus ipſa actualis fides, quæ tam certò ſequitur, ſit

6\. proprium & purum Dei donum?

Donum illud alterum, pro Chriſto patiendi irreſiſtibile non eſſe pro confeſſo aſſumunt, *quoniam Chriſto abnegando poterant Philippenſes afflictiones evadere. Eandem autem rationem utriuſque donationis eſſe, locutionis convenientiam indicare.* Eandem quidem eſſe rationem utrimque non invitus concedo: donum enim quoad rem ipſam non varium eſt, ſed unum idemque, neque magis differt, donum quo credimus, & donum quo patimur, quam fides vera, & fides conſtans, vel fortis. Dignationis quidem nonnulla fit acceſſio per tolerantiam crucis: ſed nihilo major, quam ad gratiam accedit per ejus fructum & teſtimoninm. Neque verum tamen eſt illud, quod pro certo habent, *Philippenſes potuiſſe has afflictiones evadere Chriſtum abnegando.* Fieri enim non potuit, ut Chriſtum penitus abnegarent illi, quorum perpeſſionibus Evangelium Deus illuſtrari voluit; nec ſi aliquatenus abnegarent, afflictiones, idcirco declinarent: fatentur enim ipſimet pag. 99. fideles ad crucem prædeſtinatos eſſe. Ut non declinarent autem propter terrorem, eodem argumento perſuadet hic Apoſtolus, quo utitur ad Rom. 8. 28. *Quoniam omnia in bonum cooperantur ijs qui Deum diligunt*, vel in Deum credunt: idque ex Dei gratuita & conſtanti donatione. Quum igitur donatio hæc propriè non aliò refertur, quam ad præcedentem gratiam, & conſequentem eventum, optimè monet Apoſtolus, ut gratiam illam excitare vellent in ſe, & intrepidi exſpectent optatum eventum.

7\. Ad Philipp. 2. 13, duo reſpondent. 1. *Velle efficere, & irreſiſtibiliter efficere pugnantia eſſe.* 2. *Nec perficere effi-*

Phil. 2. 13. *ci abſque noſtrâ voluntate.* Quorum priùs manifeſtò falſum

um eſt. Deus enim efficit, ut voluntas appetat bo-
um in genere, ſeu verum, ſeu apparens, quod ta-
en tam neceſſariò vult, ut non poſſit non velle. Effi-
it ut Chriſtus jam velit Dei gloriam, & Eccleſię ſa-
utem, ita ut non poſſit eam non velle. Alterum igi-
ur ut ex priore pendens, nullo nititur fundamento:
ec ut verba ſonant, quidquam continet cum noſtra
ententia vel argumento pugnans.

Si ipſum perficere, irreſiſtibiliter detur, tum non majo- 8.
em fore (dicunt) *cooperationem hominis in progreſſu, quam*
itio converſionis. Cujus conſequentiæ nullam vim
ſſe, vel inde liquere poteſt, quod mentem irreſiſtibi-
ter ſemper illuminari docent ipſi, plus tamen homi-
em ad ſcientiam ſibi comparandam in progreſſu coo-
erari palam eſt, quam in initio illuminationis pri-
næ.

Si Philippenſes irreſiſtibili gratiâ ſuſtentabantur, tum 9.
ullum uſum timoris & tremoris fuiſſe ipſis affirmant. Sed
timor ac tremor non magis cum irreſiſtibilitate cau-
e pugnat, quam cum eventus infallibilitate nota:
um hac autem optimè conſiſtere poſſe, per exem-
lum Chriſti videmus, qui victoriæ certiſſimus, me-
u tamen vehementer affectus fuit. Heb. 5. 7. 2. Per
imorem ac tremorem incerta dubitatio non debet in-
elligi (ad eam enim non ſolet Apoſtolus fideles ex-
ortari) ſed humilitas, reverentia, & ſolicita cura, quæ
ptimè conſiſtere poteſt ac ſolet cum Dei certiſſimâ præ-
efinitione & efficaciſſimâ etiam procuratione ſalutis, vel
o ipſo nomine, quod ſignum, teſtimonium, ac medium eſt
fficacis illius procurationis actu jam operantis. 3. Timo-
e poteſt quis affici, dum vires proprias perpendit, & fidu-
iâ tamen ſummâ, dum omnipotentiam contemplatur &
romiſſionem divinam. 4. Efficientiæ divinæ modus
on eſt adæquata regula noſtrarum, vel actionum, vel
affe-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

affectionum, ſecundum quam dirigi debent à nobis, ſed voluntas Dei revelata. Perperam igitur & imperitè faciunt, qui præcepta Dei negligentes, ad operationes ejus, nobis maximam partem incognitas, exigere volunt affectus & officia hominum.

Cap. III.

Argumentum ſecundum

Pag. 281.

Gratiam Dei ita efficaciter operari in hominis converſione, ut homo per eam certò convertatur.

SI per operationem gratiæ Dei, re ipſâ, & efficaciter, cor circumcidatur, homo convertatur, novum cor, oculi, & aures donentur, efficiatur ut in præceptis Dei ambulemus, leges Dei hominum cordibus indantur, ac inſcribantur, cor ipſum aperiatur ad fidelem attentionem, tum in ijs qui illam accipiunt omnem repugnantiam tandem aufert, & non ſolam potentiam credendi, ſed & fidem ipſam efficit. Sed prius verum. Deut. 30. 6. *Ier.* 31, 18. *Deut.* 29. 4. *Ezech.* 36. 26. 27. *Ier.* 24. 7. *Ier.* 31. 33. *Act.* 16. 14. *Ergo & poſterius.*

Hujus argumenti concluſionem ineptam, & præmiſſas invalidas eſſe Remonſtr. contendunt. De concluſione unicum tantum adferunt, præter ea quæ in argumento priore ſunt examinata: idque nullius omninò momenti. *Fatentur* (ſcilicet) *gratiam omnem repugnantiam tollere, & fidem re ipſâ efficere, in ijs omnibus qui illam accipiunt, ſed metuunt ne aliud quid his verbis intelligatur, gratiam ſcil. hoc efficere in omnibus quibus offertur, ſive accipiatur, ſive non: aut ſaltem hanc gratiam ab omnibus quibus offertur accipi, & ſic fidem efficaciter efficere.* 1. Ad conceſſionem quod attinet ſyncera non eſt, ſed ficta quædam eluſio, nonnullam forſan æquivocationem continens, ſed quæ vix meretur examen. Res ipſa patet eos nempe docere, gratiam ſæpè recipi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

recipi in intellectu, in affectibus, in ipsâ voluntate, ſecundum modum affectus, (ſicut ſupra monſtravi) adeò ut hactenus vivificentur facultates iſtæ: imò quidquid illud eſt gratiæ, quod tantum recipitur, id multis adeſſe (irreſiſtibiliter enim hoc totum imprimi dicit Ioh. Arnoldi adverſ. Bogerm, pag, 58.) in quibus fidem non elicit, aut efficaciter operatur. Nam poſt receptionem illam, in manu vel poteſtate hominis relinqui dicunt, utrum converti velit, nec ne. 2. Meticuloſum illud inſomnium eſt, quod verentur ne Noſtri velint converſionem & fidem, per gratiam effici, *ſive accipiatur illa, ſive non accipiatur*. Quod non accipitur ab homine, non poteſt in homine manere & operari. 3. Quum aliter interpretantur ſententiam Noſtrorum, *Gratiam* ſcilicet *ab omnibus quibus offertur accipi*, faciunt id etiam ſine ullo fundamento: niſi tunc ſolum hanc gratiam offerri putent, quum ſufficienter illuſtravit mentem, affectiones bonas inſpiravit, & voluntati novas contulit vires. In ijs enim omnibus, quibus tunc in modum offertur gratia, efficaciam etiam habere eam credimus, quâ fidem veram producit: ſed non in omnibus ijs quibus à longè quaſi proponi ſolet.

De teſtimonijs quibus nitebantur argumenti nervi, fuſiùs & particulariùs agunt Remonſtr. quam reſpondentium partes requirunt. Quorum veſtigia ſequi neceſſarium eſt: non ut ſingulis exceptionibus immorer, ſed ut eas ex viâ depellam quaſi levi brachio, & ad ſequentia feſtinem.

Deut. 30, 6. Circumcidet Iehova Deus tuus, animum tuum & animum ſeminis tui, ad diligendum Iehovam Deum tuum ex toto corde tuo, & ex totâ animâ tuâ, ut vivas. Reſpondent Remonſtrantes: *Promitti quidem hoc in loco efficacem circumciſionem, ſed non quæ producatur vi irreſiſtibili:* Quo ſenſu irreſiſtibilis hæc vis dicenda ſit, id ſupra monebam: quatenus nempe certam & inſuperabilem efficaciam hæc vox designat, 1. Deut. 30, 6.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

deſignat, non quatenus connotat vim aliquam cum libertate pugnantem. Rationes hic perpendendæ ſunt, quibus talem vim oppugnant. 1. *Adjicitur conditio converſionis verſ. 2. exigitur ab homine verſ. 8. 10. additis promiſſionibus & minis. verſ. 17. 15. 19. quæ omnia pugnant cum irreſiſtibili vi.* Quæ ipſa defenſio olim Pelagianorum fuit, *quæ conferuntur ſunt in Dei poteſtate, quæ exiguntur in noſtra.* Reſpondeo. 1. hæc duo nihil omninò inter ſeſe pugnant, ut conditio poſtuletur ab eo, cui fides eſt ingeneranda, & fides tamen irreſiſtibili modo ingeneretur. Robuſtiſſimâ manu & brachio extenſo, id eſt, irreſiſtibili vi deduxit Deus eundem hunc populum Iſraëlis ex Egypto, & ex terrâ Aquilonis: exigebantur tamen ab ijs cum aliæ conditiones multæ, qualis erat aſperſio ſanguinis in ſuperliminari, ac poſtibus ædium. Exod. 12. 23. profectio cum firmâ ſpe, vel exſpectatione ſalutis. Exod. 14. 13. 15. tum ipſa etiam converſio per preces expreſſa. Ier. 29. 12. 13. 14. 2. Notitia credendorum, unà cum affectione ſequente, irriſiſtibili vi communicatur hominibus, ex ipſorum Remonſtr. ſententiâ. Collat. pag. 273. hujus tamen conditionem præviam, ex quâ lege ordinariâ pendet, dicunt eſſe *auditum verbi, qui pendet etiam à libero arbitrio, in cujus poteſtate eſt audiendo acquirere, vel non acquirere eam notitiam.* Sunt verba Nicolai Grevinchovij, pag. 198. Irreſiſtibilitas igitur efficientię, cum conditionis præſcriptione, Remonſtrantium ipſorum judicio, nullo modo pugnat.

Scriptura (dicunt) *alibi jubet hominem facere, quod ipſe Deus hic ſe facturum promittit.* Reſp. 1. Iuſſio hæc aliquando legalis eſt, oſtendens quid facere nobis incumbit, ut ad auxilium Chriſti humilius confugiamus: aliquando evangelica oſtendens quid, & quo medio, Deus nobis daturus eſt id quod jubet. 2. Iubet etiam Scriptura ut habeamus intellectum: ubi dicitur, *nolite eſſe ſicut equus & mulus, ubi non eſt intellectus:* ut Auguſtinus rectè obſervat

Epiſtol. 95. intellectum tamen irreſiſtibiliter illuminari, Remonſtrantes non negant. Coll. pag. 273. 3. Hujuſmodi promiſſiones & juſſiones inter ſe collatæ, ſatis oſtendunt Deum potenter efficere in nobis conditiones illas, quas à nobis exigit, illa ſola cooperatione noſtra intercedente, qua acti agimus, & facultatem à gratia nobis ingeneratam, per gratiam etiam exercemus.

Medium (affirmant) *hujus circumciſionis eſt verbum Dei:* 3.
Heb. 4. 12. *Act.* 2. 34. 37. *cui poteſt homo reſiſtere.* Reſp. Verbum eſſe hujus operis inſtrumentum, quamvis loca producta non oſtendunt, ego quidem non nego: ſed. 1. verbum non eſt inſtrumentum ex ſeſe ſufficiens ſine Spiritu comitante: litera, namque vel ipſius evangelij ſi ſpiritu deſtitueretur, non prodeſſet: Paulus & Apollo nihil ſunt, ſed verbum cum Spiritu. 2. Verbum etiam eſt medium illuminationis, quam tamen effici concedunt irreſiſtibili virtute, ut ſæpiùs memoravi. 3. Verbo quà inſtrumentum eſt divinæ voluntatis, coordinatum ad hoc vel illud efficiendum, non magis reſiſtere poteſt homo, quam efficaciſſimæ Dei voluntati: ſic enim id effectum ſemper dat ad quod miſſum eſt. Iſa. 55. 11.

Probandum eſſe dicunt *per* (*cor*) *hic voluntatem intelligi,* 4.
quod Calvinus affectus carnis deſignare putat, & circumciſionem hanc primam hominis converſionem notare. Reſp. 1. Per affectus carnis, nihil aliud intelligit Calvinus quam voluntatis corruptam diſpoſitionem, quam Deus ſe amoturum eſſe promittit. 2. Si affectus intelligantur à liberâ voluntate diſtincti, tum tota ſumma legis obſervari poteſt, ſine libero voluntatis actu: hæc enim circumciſio cordis eſt ad dilectionem Dei *ex toto corde & tota animâ,* quæ legis divinæ pars eſt principalis. 3. Imò vitam nobis adipiſci licet ſine libero voluntatis actu: hîc enim finis & fructus eſt hujus circumciſionis & dilectionis, *ut vivas.* 4. De converſionis momento utrum primum aut ſecun-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

dum hic propriè ſpectetur, non opus eſt ut contendamus, ſi enim ad progreſſum irreſiſtibilis vis requiratur, tum ad initium multò magis.

5. Conjectant Remonſtr. *circumciſionis modum in iſtoc argumento ſpectari*, de quo poſt aliena quædam reſpondent, *collationem circumciſionis ſpiritualis non eſſe in modo, ſed in re ipſâ, quæ eſt præputij amotio.* Benè eſt, amotio præputij eſt amotio impedimentorum omnium, hæc autem irreſiſtibili vi removeri concedunt Remonſtr. ipſi, Coll. p. 273. Nicol. p. 292. 300. Circumciſionem igitur hanc, eâdem peragi vi, non poſſunt ullâ cum ſpecie negare.

2. Secundum teſtimonium ex Ierem. 31. 18. petitum fuit,
Ier. 31. 18. *Converte me, ut convertar.* Hoc autem *nihil ad rem facere* contendunt. Et quare nihil? 1. *Quia illic nihil eſt mentionis de irreſiſtibili.* Quaſi de voce jam quæreretur, & non de re. Si poſitis omnibus actionibus, quibus Deus utitur in nobis ad converſionem in nobis efficiendam, non maneat in hominis poteſtate utrum velit converti nec ne, tum irreſiſtibilis eſt converſio, teſte Iohanne Arnoldi adverſ. Bogerm. p. 265. 274. Sed poſito hoc quod Deus hominem propriè convertat, non manet poſtea in hominis poteſtate, utrum velit converti nec ne, ergo ſi verum ſit quod Deo tribuitur à Prophetâ, eum ſcilicet hominem propriè convertere, tum iſta converſio eſt irreſiſtibilis. 2. *Quia (converte me) poteſt idem eſſe, quod caſtiga me, vel corripe me, quaſi diceret, ſicut Ephraimum caſtigaſti Domine, caſtiga itidem & me, & quantumvis ſim aliquatenus caſtigatus, perge me caſtigare*, &c. Ego vero nec idem eſſe, nec poſſe eſſe, probabo. 1. Quia nullum exemplum datur in totâ Scripturâ, quamvis hujus vocabuli perfrequens habetur uſus, ubi השׁיב *convertere* notat caſtigationem. 2. Quia contrarium prorſus non rarò deſignat, vel ſaltem includit. Pſal. 80. 4. 8. 20. & 85. 5. liberationem ſcil. à gravibus preſſuris. 3. Nullum locum oſtendere poſſunt, ubi vel præceptum vel

el exemplum datur, afflictiones à Deo tam directè peten-
i. 4. Si aliâs locus eſſet hujuſmodi petitioni, non opus
amen fuit, ut fornacem ardentiorem optarent, aut
leum addi camino, tum cum adeò *magnus fuit anguſtiæ*
ies, ut nullus ei par eſſet. cap. 30. 7. cum exclamare coge-
antur propter *mortiferam confractionem & ægerrimam per-*
cuſſionem doloris verſ. 12. 15. quum denique *in Rama audita*
it vox lamenti, & fletus multi amariſſimi. cap. 31. 15. 5. Ine-
ptiſſimè palliant ſuam gloſſam per diſtinctionem fictam in-
er Eccleſiam convertendam, & *Ephraimum:* promiſſio-
es enim quæ in illâ prophetiâ continentur ad illum cæ-
um pertinent, qui Ephraimi nomine ſignificatur: ſic
erſ. 6. *Dies eſt futurus, quo clamabunt cuſtodes in monte Ephrai-*
i: Filius charus mihi eſt Ephraim verſ. 20. Neque ſine ma-
ifeſtâ vi, caſtigatio & converſio verſ. 18. divelli poſſunt
nter ſe, aut ad varia ſubjecta referri.

Nihil etiam ad rem hunc locum facere dicunt, *quia on ſit ſermo, de primâ converſione, nam converſus orat.* Quo omine tamen vel maximè facit ad rem. Nam 1. Quæſtio nſtituitur non de initio tantum converſionis, ſed & de jus progreſſu ac perfectione. 2. Ex ijſdem principijs & auſis pendet omnis vera converſio. 3. Si quid ſit diſcriminis, tum abſolutè magis à Deo pendet converſio illa ota, quæ primò efficitur, quam ejus inſequens renovaio: ſi hæc igitur tam efficaciter â Deo fiat, tum multò mais illa. 4. Quamvis nomine populi converſus orat Proheta, in populo tamen multos fuiſſe veriſimile eſt, qui rimam converſionem nondum adepti fuerunt. 5. Si veum ſit quod Remonſtr. docent p. 302. *mortuum hominem ogare ut ex morte liberetur*, tum ratio illa nulla eſt, quam ic inſinuant, *orabat, ergo converſus fuit.*

Tertium teſtimonium eſt Deut. 29. 4. *Non dedit vobis Ie-* 3.
ova mentem ad cognoſcendum, & oculos ad videndum, & aures Deut. 29.
d audiendum, uſque in diem hunc. Multa hic regerunt Re- 4.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

monſtr. ſed quæ parum juvant. 1. *Non agit hic locus de dando, ſed de non dando.* Quaſi dicerent non affirmativè, ſed negativè, donatio gratiæ hic explicatur à Moſe. Hoc tamen ſatis eſt ſi rem ipſam quoquo modo deſcriptam habemus: imò non nihil hoc pacto munitum magis videtur, argumentum, ex hoc loco petitum, quod aliquibus docet hoc donum non eſſe communicatum. Si enim fuiſſet in textu *dedit vobis Iehova mentem* &c. repoſuiſſent ſtatim Remonſtr. *dedit revera huic populo, ſed non huic ſoli: eadem enim gratia eſt omnium hominum communis.* 2. Conjectant rationis vim in eo poni *non dedit, ergo ſi dediſſet, irreſiſtibiliter id feciſſet.* Ponitur autem in eo, ſi Deus non dederat ijs mentem adhuc quum omnibus medijs reſiſtibilibus uſus fuerat adverſus eos, quibus talis mens ingenerari debet, & nihil reſtabat, niſi ut ipſa reſiſtentia tolleretur divinâ potentiâ, tum donatio efficax omnem reſiſtantium ſuperat. Sed prius verum. Ergo. Valet etiam adverſus Remonſtrantium ſententiam, hoc modo: adfuit huic populo verbum, una cum ſignis multis & magnis, nec mentem tamen, nec oculos, nec aures donatas habebant: ergo per iſta media non illuſtratur mens irreſiſtibiliter, quod illi docent, pag. 273. Ergo etiam ſufficiens gratia non ſemper adeſt, ne ijs quidem omnibus qui verbum habent ſibi prædicatum. Sed audiamus quid conjecturæ ſuæ reſpondent. *Non ſequitur* (inquiunt) *quoniam antecedens agit de pœnâ, conſequens autem de gratiâ: neque ſequitur gratiam eſſe irriſiſtibilem, quia pœna eſt irreſiſtilis.* Quicquid verò ſit de pœnæ gratiæque collatione generali, in iſta certè ſpecie, de qua jam agitur, conſequentiam iſtiuſmodi firmam eſſe neceſſe eſt, niſi Deum potentius ad infidelitatem egiſſe dicent in hoc populo, quam ad fidem, aut ijs antea non æquè liberum quiſſe gratiam accipere cum reſpuebant, ac liberum fuit eandem reſpuere poſtea quum eam ad ſalutem recipiebant. 3. *Nihil ſolidè ex hoc loco inferri poſſe*
(cont

contendunt) *niſi dictum fuiſſet, non tantum Deum non de- diſſe ipſis hanc mentem, ſed & noluiſſe dare: ſed Deus voluit, & ſtetit per eorum contumaciam, quo minus illis eam dederit.* Stetit fateor per eorum contumaciam, quo minus eam illis non dederit: ſed non dicent ipſi ſpero, Deum eodem modo & gradu, contumacibus illis tunc temporis voluiſſe donum illud, quo voluit ijs poſtea, quibus contumaciam illam per circumciſionem cordis tollebat. Utcunque ſe habuit voluntas divinâ, firmum tamen eſt argumentum, quod non ab internâ Dei voluntate deſumitur, ſed ab externâ ejus operatione, ſicut ante monſtravi. 4. *Rationem cur Deus hanc mentem illis non dederat, pueritiam eorum fuiſſe dicunt, judicio D. Iunij.* De ratione vel causâ facti non quæritur nunc, ſed de ipſo facto, ejuſque modo. Quoniam tamen Iunium appellarunt, ad Iunium ibimus, & ab eo petemus, hujus tam loci, quam argumenti, doctiſſimam explicationem, Sic verò D. Iunius; *Communicatio beneficiorum Dei duobus modis fit hominibus: foris in ſenſu, & intus in conſcientiâ, qui ſenſus eſt internus animi. In ſenſu beneficia Dei Iſraëlitæ, perceperunt: in conſcientia, quam internum animi ſenſum appellant alij, minimè perceperunt ſalutariter. Ratio eſt duplex, una interna, quia homines, per ſe, non habent cor ad intelligendum, oculos ad videndum, & auresad audiendum: ſed excordes, cæci, & ſurdi ſunt vitioſitate naturali ſuâ: altera cauſa non efficiens propriè, ſed potius (ut ita dicam) deficiens, & foris advenien s, eſt, quod Deus non dat cor, oculos, & aures, niſi quibus, & quando vult, ad ampliorem demonſtrationem ſuæ beneficentiæ.* Hæc D. Iunius. 5. Reddunt ultimò, *Conceſſis omnibus antecedentibus nihil tamen inferri poſſe de fide actuali, quia ſunt qui habent oculos ad videndum, & aures ad audiendum, qui nec vident tamen, nec audiunt, id eſt, non credunt. Ezech.* 12.1. Si verò par pari componere vellent, exemplum vel teſtimonium aliquod adferre debuiſſent, ubi quidam non ſolum oculos & aures ad videndum & audiendum, ſed & mentem

tem

tem etiam, vel cor, ad cognoſcēdum habuiſſe dicuntur,& hoc omnia ſpeciali Dei dono & gratiâ communicata, qui minimè tamen crederent. Hoc ſi feciſſent, tum paritatem & vim aliquam eſſe in hac ratione, ego quidem inficias non irem. Sed quam umbratilis & manca ſit hæc objectio, quę paritate vel potius identitate rerum quum nititur ſolâ, nec mentis vel cordis mentionem ullam faciat, nec ullius doni per gratiam communicati? Dicam quod res eſt, non defuit ijs voluntas aut etiam induſtria, quâ magis idoneum teſtimonium adducere ſtudebant, ſed locus defuit, & adhuc fruſtra quæretur, ubi Deus ex gratia donaſſe cuiquam legitur cor ad cognoſcendum, oculos ad videndum, & aures ad audiendum, & qui ipſo facto non factus eſt fidelis. *Quibus dedit mentem ut cognoſcant verum illum, ij ſunt in vero illo.* 1. Ioh. 5. 20. *Qui gratiæ collyrio inunctos habent oculos, illi vident.* Apoc. 3. 18. Qui *aures* habent per gratiam *perfoſſas*, ij reſpondent illicò, *ecce venimus.* Pſal. 40. 7. 8.

4. Ezech. 36. 26. Quartum teſtimonium eſt Ezech. 36. 26. 27. *Dabo vobis cor novum & ſpiritum novum ponam in medio veſtri, & amovens cor lapideum è carne veſtrâ indam vobis cor carneum: & ſpiritum meum ponam in medio veſtrum, quo faciam ut in ſtatutis meis ambuletis, & jura mea obſervetis, facientes ea.* Reſpond. Remonſtr. 1. *Locutiones eſſe figuratas, ex quibus nihil poteſt argui, niſi ſenſu genuino monſtrato.* Quaſi ex locutionibus proprijs non nihil argui poſſet, ſenſu genuino non monſtrato: Hæ tamen locutiones non ſunt omnes inuſitatæ figuræ: miſcentur etiam vel adſtruuntur tam propriæ phraſes, quam uſquam habet Scriptura ad idem ſpectantes argumentum. 2. *Dici hic fatentur Deum tam efficaciter velle operari, ut ipſa obedientia ſequatur: ſed an irreſiſtibiliter hoc fiat non dici.* De voce non diſputatur, ſi tamen tam efficaciter Deus operetur, ut vi illius efficaciæ converſio & obedientia certò & infallibiliter ſequatur, (quod

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

quod hic Remonſtr. concedere videntur, quamvis alias
pernegent) hic litis hujus optatus finis erit. 3. *Non ſequi*
dicunt) *amotionem lapidei & donationem carnei cordis irreſi-*
ſtibiliter fieri, quamvis illam amotionem & donationem am-
bulatio in Dei præceptis irreſiſtibiliter ſequeretur. Imò verò
ſequitur hoc vel maximè: *an non major erit hominis coope-*
ratio in progreſſu, quam initio converſionis erit? proculdubio.
unt ipſiſſima Remonſtr. verba, in reſponſione ad argu-
mentum præcedens. pag. 280. Si igitur in ambulatio-
ne vel externâ ſanctificatione, quæ converſionis progreſ-
ſus eſt, operatio gratiæ ſit irreſiſtibilis, tum internam Spi-
ritus communicationem, quæ initium operis conſtituit
irreſiſtibiliter etiam fieri, ſi bene ſibi conſtent, non poſ-
ſunt certè negare. 4. Obſervant *Deum alibi nobis idem jubere*
facere, quod hic promittit ſe facturum, atque adeò irreſiſtibili-
tatem his phraſibus non denotari. De Iuſſionibus iſtiuſmo-
di divinis jam ante reſponſum eſt. Illud unum hic re-
petam, jubere nobis etiam Deum ut intellectum habea-
mus ſpiritualem, & affectus accenſos ad ſpiritualia bo-
na: hæc tamen à Deo irreſiſtibili modo nobis inſpira-
ri docent ipſi Remonſtr. 5. *Promiſſiones has non abſolutè,*
ſed cum conditione factas affirmant, ex Ezech. 11. 18. 19. 20. 21.
& proinde non irreſiſtibiliter hæc effici: nec primum gratiæ præ-
venientis initium hic promitti, ſed abundantiorem gratiæ am-
pliationem, & efficacem in illâ progreſſum. 1. Conditionem
promiſſionibus iſtis annecti, non negant Noſtri, ſed ex
conditione propriè dictâ (qua aliquid confertur in ca-
ſum dubium & incertum eventum alienæ voluntatis, &
quæ præſtita movet voluntatem judicis ad præmium, ſe-
cundum deſcriptionem Nicolai Grevinchovij pag. 24.)
ex tali inquam conditione ſi penderent promiſſiones
Dei, actum eſſet de noſtra ſalute, ilicet periremus. Non
hoc, ſed contrarium prorſus docetur verbis illius prophe-
tiæ, cap. 11. verſ. 18. 19. &c. *Quumque venerint illuc amovebunt*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

omnes res deteſtabiles ejus, & omnes res abominandas ejus ab eâ. Nam indam ipſis cor novum, & ſpiritum novum dabo in medio veſtri: amovens inquam cor lapideum à carne eorum, indam eis cor carneum, &c. Spiritus promittitur ijs qui amovent amovenda, ſed non quia hoc fecerunt ante, ſed ut vi ſpiritus inditi faciant: adeò ut amotio illa ſit conditio conſequens non antecedens, quæ ipſa quoque in hoc loco promittitur potius, quam poſtulatur. Tres enim ibi ſunt promiſſiones, vel tria potius membra promiſſionis ejuſdem, ut rectè obſervat D. Iunius. Primum eſt *reſipiſcentiæ* verſ. 18. ſecundum *fidei*, verſ. 19. & tertium *ſanctificationis* per fidem ex fœdere, verſ. 20. 2. Unde etiam liquidiſſimè patet initium ipſum efficacitatis gratiæ promitti, non ampliationem ſolam & progreſſum ejus: nam 1. hæc promiſſio rationem, cauſam, & fundamentum continet, eorum omnium quæ ab homine poſtulantur. 2. Continet remotionem impedimentorum illorum, quæ dum adſunt initium ipſum actionum bonarum excludunt. 3. Continet etiam primum principium omnis boni, id eſt, Spiritum illum vitæ, qui non perficit ſolum, ſed & incipit in nobis opus omne bonum.

6. *Notandum* (addunt) *hanc promiſſionem non fieri ſingularibus quibuſdam hominibus, ſed toti populo: aliud autem eſſe ita rem moderari, ut ſemper ſint aliqui fideles, quod ille efficit irreſiſtibiliter, aliud hunc vel illum irreſiſtibiliter convertere.* 1. Toti populo has promiſſiones fieri concedimus, non tamen ſimpliciter toti genti Iudaicæ: *non enim omnes qui ſunt ex patre Iſraël, ſunt Iſraël.* Rom. 9. 6. Nec totus Iſraël hæc bona promiſſa aſſequutus eſt, Rom. 11. 7. Sed illi *populo* ſunt factæ, *quem Deus præcognovit*, Rom. 11. 2. id eſt, *electis*, qui eas etiam *aſſequuti* ſunt, verſ. 7. 2. Huic toti promittitur fides, &c. non tanquam univerſali & abſtractæ ideæ, nec ut integrali vel aggregativo toti, reſpectu totalis partium coagmentationis, ſed reſpectu eſſentiæ illius, quæ prius

prius ineſt membris, quam toti communicari poſſit: atque adeò prius ad membra ſingularia ſpectat, quam ad totum populi cætum. 3. Negant alibi Remonſtr. promiſſionem ullam abſolutam exſtare: cujus vi efficitur, ut Eccleſia vel irreſiſtibiliter vel infallibiliter per converſionem colligatur, aut etiam collecta perſiſtat ad finem. 4. Sibimet videntur apertè contradicere, quum Deum ſic rebus irreſiſtibiliter moderari dicunt, ut ſemper ſint aliqui fideles. Si hoc enim ita ſit, tum aliqui ſaltem fideles irreſiſtibiliter convertuntur. Sed ne neſciat hoc Lector, longè aliud eſt quod his verbis intelligunt, Dei ſcilicet providentiam, nullam iſtis rebus inferre neceſſitatem: ſed per vim irreſiſtibilem, ſic hominibus omnibus cum proſpicere, ut credere poſſint ſi velint, volentibus igitur aliquibus, irreſiſtibiliter propterea Deum efficere dicunt, ut aliqui ſint fideles. Quam Deo dignæ & Scripturis conſentaneæ ſint argutiæ iſtæ, tam verſutiloquæ, hoc pios & doctos non poteſt latere.

Conjiciunt argumentum hoc eo fundamento niti, quod cum 7.
cor hominis ante regenerationem ſit lapideum, non poteſt cooperari, niſi prius à Deo emollitum, quaſi hoc eſſet quod Deus hic per promiſſionem de corde lapideo amovendo, & de corde carneo dando, ſibi vult. Eos autem qui ſic exiſtimant, errare pronunciant. Ego verò miror, quâ in parte hic tantus error lateret, utrum in ipſo dogmate, quod verbis illis continetur, an in ejus deductione ex his verbis Prophetæ? Si in ipſo dogmate vel ſententiâ collocent, tunc magis miror, quomodo ſemetipſos eodem errore defendent Remonſt. qui in art. tertio, *neceſſarium eſſe* docent, *hominem à Deo regigni, ut aliquid boni poſſit intelligere, cogitare, velle.* Hæc namque cooperatio vel boni aliquid eſt, vel ego certè neſcio, quid homo faciat boni. Si in hujus loci ad ſententiam illam applicatione, tam gravem errorem admitti velint, tum non ſex illos quos adverſarios habebant in

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

collatione, ſed omnes & ſingulos confeſſionis noſtræ Theologos ejuſdem erroris accuſant: omnes inquam ad unum, ne Arminium quidem excipio, qui in Diſp. publ. de libero arbitrio th. 9. & 12. in eandem ſententiam hunc locum allegat. Cauſa tamen eſt perpendenda, quam accuſationis hujus dicunt. 1. Obſervant *Chriſtum etiam conferri lapidi angulari*, & quærunt *an quadrent omnia lapidis angularis in Chriſtum?* Reſpondeant autem ipſimet, an non omnia & ſingula quæ ad perfectionem virtutis pertinent in lapide angulari (hæc enim qualitas eſt in illa comparatione) etiam eminenter quadrant in Chriſtum: ſi hoc negare non poſſint, tunc imperfectionem, & ineptitudinem ullam quam durus lapis habet ad actus ductilis & flexibilis rei, ab homine irregenito alienam eſſe, quoad ſpiritualem & veram obedientiam, illud ſaltem exemplum neutiquam oſtendit. 2. *Hanc verò concluſionem* (*ut lapis nihil ſui ad emolitionem poteſt conferre, ſic homo irregenitus nihil conferre poteſt ad regenerationem*) *hanc, inquam, concluſionem non poſſe conſiſtere* dicunt. Si verò hæc ſententia non conſiſtat, ubi miror conſiſtet Remonſt. ſynceritas & fides, qui (in art. 3.) ſic uſi ſunt foro, quaſi crederent ipſi, hominem irregenitum nihil omnino boni, ne cogitare quidem poſſe, nedum conferre ſymbolam ad regenerationem ſui, qui (art. 4.) omnem actionem bonam quæ vel cogitari quidem poteſt, gratiæ in ſolidum tribuendam eſſe fatentur. Si enim homo irregenitus *aliquid ſui conferat* ad regenerationem, tum gratia non confert totum. *Sed hac ratione dicendum eſſe* contendunt, *hominem neque vitam neque motum habere, & eſſentiam ſuam exuere debere ad aſſequendam regenerationem: talis enim eſt conditio lapidis.* Ubi vel imperitè vel invidè nimis, totam ſententiam pervertunt: ſimilitudo namque prophetica, non eſt *continua* ſicut ſe lapis habet ad regenerationem, ſic homo etiam in peccatis mortuus ad regenerationem (qualem illi

(illi fingunt) ſed quatuor tetminis *disjuncta*: ſicut ſe habet lapis ad flexionem, ſementem, vel culturam, ſic homo in peccatis mortuus ad regenerationem, neque etiam rupes ad hujuſmodi transformationem neceſſe habet eſſentiam ſuam totam exuere, ſed formam tantum & modum exiſtendi, materiâ manẽte ſalvâ: ſic verò & homo non vitales facultates deponere, quæ ſubjecti materialis rationem habent, reſpectu gratiæ, ſed formam illam deformem, quam ex peccato contraxit exuere planè debet, ut capax planè reddatur naturæ divinæ.

3. Terminos conſtituunt quibus ſimilitudinem iſtam continendam eſſe definiunt: ſcilicet, *ut lapis durus ſe ipſum non poteſt emollire, ſed vi extrinſeca emollitur: ita & homo animalis non poteſt renaſci, niſi extrinſecus vis divinæ gratiæ interveniat.* Quâ in circumſcriptione non ſatis æquos dimenſores ſe gerunt, tam dextrorſum enim quam ſiniſtrorſum juſtos limites tam gratiæ, quam lapidei cordis imminuendo curtarunt. Durities illa quam lapidi tribuunt, variarum rerum communis eſt, quæ facili negotio poſſunt emolliri: cera ipſa cum ſemel induruit, ex frigore accedente, ſemet ipſam non poteſt emollire, ſed extrinſecam poſtulat caloris vim, ut ductilis denuò reddatur: rudis etiam ac tardus puer non poteſt ad liberaliorem artem aliquam aſpirare, niſi periti alicujus interveniat opera. Nihilne major eſt hominis in peccatis mortui (ut cum Tertulliano loquar) duricordia, vel ineptitudo illa, quæ per adamantinam rupem à Prophetis denotatur? Nullane vis gratiæ ad cor emoliendum requiritur major aut efficacior, quam eſt illa Solis in ceram, aut magiſtri in diſcipulos? Næ ille cor ad errorem nimis habet flexibile, qui in animum inducere poteſt, ut credat vel ſic ſe rem habere, vel ſi ſic eſſet, Prophetas voluiſſe rem adeò vulgarem tam gravibus verbis notare.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

Si inſiſtatur (inquiunt) *in voce facere*, (*faciam ut ambuletis in ſtatutis meis*) *vim irreſiſtibilem illa non ſignificat.* Ex voce quidem *faciam*, ſimpliciter & ſeorſim conſiderata, talis efficacia non poteſt neceſſariò probari : id probant inſtantiæ quas adferunt huc ex D. Beza. Sed quum hujus effectionis modum tam luculentis verbis exponat hic Propheta, omnium impedimentorum amotionem, & omnis boni, etiam capacitatis ipſius communicationem, ſoli Deo tribuens, totumque converſionis hujus opus ex promiſſione divinâ pendere docens, ejus vi perfici, eamque tam certò & infallibiliter ſequi, quam certum eſt promittentem ipſum fidelem eſſe, quis niſi mentis inops vel ſponte cæcus, ejuſmodi effectum, ex hominis arbitrio ſuſpendi credet, quo nihil incertius eſt aut magis contingens? Veritas & pietas nos credere vetant (ut rectè obſervat Auguſtinus) in hominum eſſe poteſtate, utrum Dei promiſſa compleantur nec ne.

Ier.24.7. Quintum teſtimonium habetur Ier.24.7. *Inditurus ſum illis cor ad cognoſcendum me, me eſſe Iehovam, eruntque mihi in populum, & ego ero ijs in Deum, quia* (*vel*) *quum reverſi fuerint ad me ex toto corde ſuo.* Reſp. Remonſt. 1. *Donationem cordis ad cognoſcendum Deum, intentionem Dei ſignificare, ſive eventus, id eſt, cognitio ipſa ſequatur, ſive ſecus. Neq; converſionem iſtic poni ut fructum ex novo corde prodeuntem, ſed ut conditionem præcedaneam: nec de primâ converſione hic agi, ſed de progreſſu & incremento ejus, ut promiſſio comitans innuit* (*erunt mihi populus, &c.*) *hanc etiam converſionem priorem eſſe cognitione illâ, quæ hoc in loco intelligitur, veræ ſcilicet & efficacis experientiæ.* Quam hæc tam cum alijs Remonſt. dogmatis, quam cum veritate & inter ſeſe etiam pugnent, ſtudioſi Lectoris non fugiet attentionem. 1. Mentem, affectus, & voluntatem ipſam, quatenus affectus rationem habet vel ſenſus, irreſiſtibiliter à gratiâ moveri docent. Hoc verbis ipſorum ante monſtravi, quum ſtatum quæſtionis ponebam.

nebam. Hic tamen cor ipſum donari volunt per gratiam ad cognitionis & ſenſus communicationem, ex intentione divinâ, eventu ipſo (an cognoſcet nempe ac ſentiet, qui cor hujuſmodi donatum habet vel ſecus) incerto prorſus manente. 2. Ad hujus argumenti teſtimonium tertium reſpondebant inter cætera, multos habere cor ad intelligendum, oculos ad videndum, & aures ad audiendum, qui nondum credunt. Hic tamen converſionem ex toto corde, id eſt ex fide, donationem ipſam cordis ad cognoſcendum antecedere volunt, ut conditionem prærequiſitam. 3. Non converſionem tantum ex toto corde, ſed & progreſſum ac incrementum ejus, conditionem præcedaneam faciunt ad ipſam donationem cordis, quam intendit Deus, ut cognitionē ſui communicet ſuis. 4. Deum negant ullo modo eſſe populi alicujus Deum, antequam illi non ſolum convertantur, ſed progreſſum etiam in converſione fecerunt. 5. Illam ſolam cognitionem promitti docent in fædere novo (id enim eſſe quod verbis iſtis continetur, liquet ex cap. 31. 33.) quam experimentalem illam, quæ oritur ex converſionis progreſſu. Corruunt hæc ἀσύστατα ſua vi, non opus eſt ut ulterius à me premantur.

2. *Quamvis donetur hoc à Deo, irreſiſtibiliter tamen id fieri negant, quoniam eleemoſyna mendico datur, ſed non irreſiſtibiliter: nec propriè donum appellandum eſſe* (dicunt) *quod rejici non poteſt.* 1. Scientiam igitur, affectus bonos, & vires ipſas credendi ex Remonſt. placitis non licebit nobis ulterius habere pro Dei donis, niſi impropriè loquendo: hæc enim irreſiſtibiliter communicari nobis fatentur, ſic ut in ſtatu quæſtionis monſtravi. 2. Abſurdum eſſe dico, reſiſtibilitatem illi dono tribuere, cujus proprium opus eſt, reſiſtentiam removere. Sic autem res ſe habet in converſionis, non in eleemoſynæ dono. 3. Eleemoſynæ quædam non irreſiſtibiliter ſolum donantur, ſed & invitis.

Sic

Sic dæmoniacis quibuſdam ſanitatem reſtituit Chriſtus, quamvis renitentibus: ſic etiam inſanis, ægrotis, infantibus, benefacere ſæpè neceſſe habemus, quum ipſi non vellent. 4. In mendico eleemoſynam rogante, vel avidè cupiente, impar eſt ratio: tales enim non ſumus nos mendici, quum Dei gratia nos viſitat ab alto. Actu tamen non datur quidquam egeno tali, ſic ut poſtea maneat in ejus poteſtate, utrum accipiet nec ne: accipiendi voluntas præſupponitur, actus comitatur actualem ipſam donationem. 5. Imò inter conditiones propriæ Donationis, iſtæ duæ numerantur Lege 1. ff. de donat. 1. *Vt res donata ſtatim fiat accipientis.* Alias erit pactum ſolum de donatione, vel promiſſio. 2. *Vt non revocetur amplius ad donantem.*

3. *Negant ſequi, Deus dabit illis animum ut ſe totâ mente convertant, ergo efficietur irreſiſtibiliter. Quoniam certò poteſt fieri, & tamen non irreſiſtibiliter.* Sed ludunt inanibus verbis, non aliam enim irreſiſtibilitatem propugnant Noſtri, quam realem & efficacem donationem, cujus vi effectum certò vel infallibiliter exiſtit. Nec dicitur in textu *ut convertant ſeſe*, ſed *quia revertentur.* Voluntatis quidem interventus eſt, ſed non talis ut pugnet cum irreſiſtibilitate illâ, de quâ jam agitur: dicimus enim repugnante voluntatis diſpoſitione ſublatâ, moveri eam efficaciter ad cooperationem certò ſequuturam.

4. *Per cor hic intelligi dicunt non converſionis & fidei donum infuſum, ex quo ipſum Recognoſcere & Cõverti tanquam fructus prodit, ſed potius animam, quæ dicitur nova, tam propter novæ lucis cognitionis illuminationem, quam propter nova converſionis opera, quæ profert.* Sed 1. aſſenſum infuſum fidei formam eſſe Arminius ipſe fatetur Diſp. priv. 44. th. 4. Deus autem ſub cordis novi nomine, totum illud promittit, quod infundit ipſe: ergo fidei donum infuſum intelligi debet in iſto c promiſſo, quo cor promittitur novum. 2. Vel illud per gratiam donatur, & à Deo promittitur, ex quo ipſum

Reco-

recognoſcere & converti tanquam fructus prodit, vel illud recognoſcere & converti eſt fructus naturæ, non gratiæ. 3. Nova non dicitur anima primario & propriè, propter nova converſionis opera, nova enim non facit opera, niſi prius ipſa fiat nova, nec propter mentis illuminationem, illam enim cum vetere homine & corde carneo conſiſtere poſſe Remonſtr. affirmant: etſi eo nomine diceretur nova, tum nova fieret irreſiſtibili vi: ſic namque mentem illuminari hac ipsâ paginâ, docent. *Aliter accipi phraſin Pſ.* 51. monent, *cum David petit à Deo cor novum & ſpiritum novum.* ubi tamen non aliud eſt differentiæ, quam eſt inter irradiationem primam, & ejuſdem continuationem unà cum vigore ſenſuque divino renovato.

Probant infuſionem talem non præcedere cooperationem hominis ad ſui converſionem: quia dicitur in textu converſionem præcedere hanc donationem inſtar conditionis. Reſp. 1. de ordine jam non quæritur, poteſt fieri ut converſio qualis qualis antecedat, & perficiatur tamen hæc cordis novi donatio irreſiſtibili quadam vi. 2. Nego converſionem præcedere ut conditionem, nam conjunctio cauſalis, *quia revertentur ad me*, eandem prorſus vim hic videtur habere, quam habet Luc. 7.47. *Remiſſa ſunt ei peccata multa, quia dilexit multum.* 5.

Sextum teſtimonium eſt Ier. 31.33. *Indam legem meam menti eorum & cordi eorum inſcribam eam, & ero eis Deus, &c.* Reſp. Remonſtrantes. 1. *Innui hic quidem virtutem efficacem, ſed non irreſiſtibilem.* Sed efficaciæ hujus rationem debuiſſent nobis explicare, utrum virtus hæc efficax dicenda ſit, reſpectu naturæ ſuæ internæ, vel etiam individuæ connexionis, quam habet cum effectu ſuo, id eſt converſione hominis, vel denique reſpectu eventus contingenter inde ſequentis: ſi primo modo ſpectetur nihil aliud efficax gratia, niſi virtus illa ſufficiens, quam etiam non credituris donari 6. *Ier.* 31. 33.

contendunt ubique Remonſtrantes: hoc igitur non totum illud eſt, quod iſto cotinetur promiſſo. Si tertio intelligant ſenſu, tum efficacia hæc ex cooperatione liberâ voluntatis humanæ dependet, judicio Remonſt. tanquam ex partiali ejus cauſa, non poteſt igitur à Deo promitti, quia non dependet ab eo ſolo, ſed poſitis omnibus operationibus, quibus ille utitur ad effectum hoc producendum manet adhuc in hominis poteſtate, utrum fiet, nec ne. Si verò ſecundam interpretationem recipiant, amplius aliquid nou poſtulamus, ad expugnationem ſententiæ, quam Remonſt. defendunt.

2. *Diſcrimen hiſce verbis indicari notant inter vetus & novum fœdus: quod hoc non vult inſcribere tabulis lapideis, deſtitutum virtute ſeu gratiâ, ſed cordibus conferendo vires internas & gratiam etiam abundanter ad illud præſtandum, eas tamen irreſiſtibiles non eſſe.* 1. Primò dicant mihi velim, quænam illa gratia ſeu virtus fuit, quâ deſtitutum fuiſſe dicunt vetus illud fædus? non de fuit illis, qui ſub eo vivebant ſufficiens illuminatio ad ejus intelligenda præcepta, tunc enim Epiſcopio judice (Diſp. de Scripr. perſpic. th. 16.) *Obſcura fuiſſet vitæ norma atque adeò fruſtra tradita, utpote quæ tranſgreſſori iuſtam ſemper exceptionem, & judici iniquam ſententiæ dictionem reliquam faceret.* Mente vero illuminatâ, affectus exinde movebantur, & alliciebatur voluntas ad conſentiendum. nihil aliud fit ſub fœdere novo ex Remonſt. ſententiâ per modum principij vel antecedentis cauſæ ad voluntatis liberum adſenſum. quid igitur diſcriminis hac in parte ſtatuere poſſint inter novum & vetus fædus, ego quidem non video. 2. Nullam differentiam tabularum vel cordium, quoad vires internas & inſitas voluntatis agnoſcere poſſunt Remonſt. quoniam voluntati nulla ſpiritualia dona inſita fuiſſe putant ante lapſum, nec per lapſum abrepta. Collat. p. 298. 3. Non tantum inſcriptio in cordibus hic promittitur, ſed & cordium etiam

iam lapideorum in carnea mutatio conveniunt enim
hæc verba (fatentibus Remonſt. p. præced.) cum Ezech.
36. 26. ubi illa pars promiſſionis apertius explicatur. 4.
Quidquid illud ſit quod hoc in loco promittitur, id ir-
reſiſtibili effici vi, non debent Remon. negare, quippe
qui mentem hoc modo illuminari docent. Mentem enim
hic partem intelligi confirmat Apoſtolus Heb. 8. 10. &
inſcriptio quæ tribuitur cordi, efficaciorem non habet
ſignificationem, quam donatio illa quæ ad mentem ibi-
dem applicatur.

Sequuturum dicunt *ex interpretatione noſtrâ, populum vete-* 3.
*ris Teſtamenti converſum fuiſſe reſiſtibiliter, & novi fœderis po-
pulum, irreſiſtibiliter, atque adeò variam fuiſſe eorum & horum
prædeſtinationem.* Quod non majore cum ratione dicunt,
quam ſi nos diceremus ex eorum interpretatione ſequi,
populum veteris Teſtamenti irreſiſtibiliter fuiſſe con-
verſum, & novi fœderis populum non niſi reſiſtibili vi.
Nos autem credimus per fædus illud vetus, quatenus
mere legale fuit, neminem omnino converſum fuiſſe, ne-
que reſiſtibiliter neque irreſiſtibiliter. Nihil habuit illud
per ſe, reſpectu peccatorum, niſi literam occidentem: no-
vum autem ſpiritum habet vivificantem qui iſtis verbis
promittitur, *indam leges meas menti ipſorum &c.*

Collationem inſtituunt inter verſ. 33. *& verſ.* 34. *unde evi-* 4.
*denter monſtrari dicunt inſcriptionem hanc humanæ voluntati
non opponi, ſed doctrinæ mutuæ, quâ alij alios docent: quumque
id non ſimpliciter ſed comparativè ſit intelligendum, irrefutabi-
liter ſequi, converſionis gratiam eſſe reſiſtibilem, quia fieri non
poteſt, ut quis alium verbo irreſiſtibiliter doceat, aut convertat.*
Ubi non facilè quis dixerit, utrum ipſa collatio, vel col-
lectio exinde formata, magis aliena ſit ab omni ratione.
Nam. 1. quis unquam fuit, qui vel per febrem ſomnia-
rit, inſcriptionem illam, quæ in corde vel voluntate fit,
ipſi voluntati opponendam eſſe? 2. Idem argumentum

in verſ. 34. tractatur, quod verſ. 33. proponitur. verſu enim 33. modus & ſubſtantia utriuſque fœderis indicatur. verſu vero 34. eorundem effecta comparantur quoad cognitionem Dei. 3. ſi talis eſſet collatio, qualem illi volunt, collectione tamen nihil eſt vanius, *quia fieri non poteſt ut quis alium verbo irreſiſtibiliter doceat aut convertat, idcirco converſionis gratia eſt reſiſtibilis.* Quaſi converſionis gratiam efficacem collocaſſet propheta in hominum inſtitutione, contrarium prorſus his verbis innuitur, *non docebunt ſinguli proximum ſuum* &c. & alibi clariſſime docetur. 1. cor. 3. 6. 7. 1. theſ. 4. 9. 1. Ioh. 2. 20. 27. ubi efficacia hujus gratiæ, ad internam & peculiarem inſtitutionem refertur, quam Deus per Spiritum ſuis largitur, cujus etiam certiſſimus eventus eſt fides vera: ſic enim & prophetæ & Chriſtus ipſe teſtatur Ioh. 6. 45. *eſt ſcriptum in Prophetis & erunt omnes docti à Deo, quiſquis ergo audivit à patre & didicit, venit ad me.*

5. *Obſervant nobis ipſis imperari, ut hoc idem faciamus Prov. 3. 3. & 7. 3. Inſcribe eas tabulæ cordis tui, ergo irreſiſtibiliter non efficitur à Deo.* Cui objectioni quoad ejus vim generalem, ſæpius ante ſatisfactum eſt. Ad Salomonis monita quod attinet, dico primam in illis converſionem non propriè deſcribi, ſed ejuſdem confirmationem ac renovationem: alloquitur ille directè filium ſuum in domino, quem adhortatur ut benignitatem ac fidem unà cum earum doctrinâ, quas Deus jam ipſi communicavit, continenter exercere & recolere pergat. hæc igitur inſcriptio cujus Salomon facit mentionem, eſt actio ſecundaria & quaſi reciproca, qua prior inſcriptio promovetur, quæ liberrimè etiam perficitur, libertatis illius ratione, quam gratia volũtati contulit per inſcriptionem priorem. Phraſis tamẽ ipſa etiam his in locis ſummam deſignat vim ac virium intentionem ad virtutem intimè ac firmiter imprimẽdam cordi, adeo ut nullis machinis tentationum dimoveri denuo poſſit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

poſſit. non video igitur quin his etiam in locis, irreſiſtibi-
litatem quandam denotari dicamus, eam ſcilicet firmi-
tatem quæ ab inferorum portis non poteſt expugnari. ſi-
milis etiam irreſiſtibilitas peccati notari videtur Ier. 17.
1. Quum exarari dicitur in tabulâ cordis Iehudæ ſty-
lo ferreo &c. non quod Iuda ad peccatum ab externo
movente, neceſſitate tali impellebatur, ſed quod per
conſuetudinem peccandi, tam obfirmatam pertinaciam
ſibimet contraxiſſet, ut omnia remedia, vel converſionis
media externa ſuperaret obnitendo.

Septimum teſtimonium aſſumitur ex Act. 16. 14. *Ly-* Act. 16. 14.
diæ cor adaperuit Dominus ut attenderet ijs quæ dicebantur â
Paulo. Reſp. Remonſtrantes. 1. *conſequutionem illam*
probandam imprimis eſſe, Deus aperuit Lydiæ cor, ergo aperuit
illud irreſiſtibiliter. Et ex adverſo varijs documentis pro-
bant operationem Dei in iſtoc negotio reſiſtibilem pla-
ne fuiſſe. Conſequutio vero cujus probationem deſyde-
rant, hanc ſecum in tergo rationem adfert; actio reſiſten-
tiam ſuperans ac tollens, irreſiſtibiliter producit ſuum
effectum, ſed apertio cordis ad attentionem, eſt actio
talis, clauſio enim quæ eſt obſtaculum prohibens in-
greſſum & egreſſum, per apertionem iſtam ſuperatur
ac tollitur. Apertio igitur cordis irreſiſtibili modo per-
ficitur, unde eſt quod aperiente Chriſto qui clavem habet
Davidis, neminem claudere diſertis verbis teſtatur Scri-
ptura Apoc. 3. 7. Confirmatur etiam hæc ratio magis
ex infirmitate probationum illarum, quæ in contra-
rium hic adferuntur. 1. *Lydia jam tum erat pia: ergo &*
apta ad agendum. Religioſa quidem vocatur, vel Deum
colens: ſed non magis inde ſequitur eam verè piam
fuiſſe, quam ex eodem titulo probari poteſt, mulie-
res eas Antiochenas, quæ à Iudeis exſtimulatæ, Pau-
lum & Barnabam perſequebantur, fuiſſe etiam verè pias,

 quia

quia religioſæ dicuntur. Act. 13. 50. Sed eſto fuerit pia, & aptitudine nonnullâ prius donatâ, ejuſdem tamen doni tam continuatio quam ulterior acceſſio ſimilem efficaciam poſtulat cum ingeneratione primâ. 2. *Præcipi dicunt homini hanc apertionem cordis. Apoc. 3. 20. Atque ideo non fieri ſine hominis cooperatione.* Cui catilenæ jam ſæpius inſuſurratæ ſæpius etiam occurſum eſt. Addo tamen 1. ſi rigidè hæc verba, prout ſonant eſſent accipienda, tum converſionis opus totum, non homini tantum, ſed & humanis viribus ttibuendum eſſe nihil enim iſtic adſcribitur Deo, quod apertionem vel converſionem præcedit, præter externam pulſationem, & invitationem blandam, homini res ipsâ tota defertur. 2. Veriſimillimum eſſe ex ipſo textu, de fidelibus hic agi, quamvis tepidioribus: Eccleſiæ enim hæc epiſtola ſcribitur, quę non ad converſionem primam, ſed ad zelum ardentem hortationibus hujuſmodi vocatur. 3. Duplicem agendi rationem adhibere Deum ad converſionem & ſalutem ſuorum perficiendam moralem ſuaſionem, & realem efficaciam. Reſpectu prioris in ſeſe conſideratę, rectè dicitur ad oſtium ſtare, pulſare & apertionem ipſam exſpectare: ſed altera illâ accedente vi, aperire dicitur ipſe corda hominum Luc. 24. 45. & oſtium ipſum fidei Act. 14. 27. 3. *Apertionem hanc per verbum factam eſſe dicunt, atque adeò reſiſtibilem.* Sed 1. illuminatio etiam mentis, & affectuum excitatio, per verbum etiam fiunt: in illis tamen irreſiſtibilem actionem agnoſcunt Remonſtrantes ipſi. Hæc igitur objectio nihil omnino valet. 2. Per verbum eatenus efficitur, quatenus per moralem cauſam effici poteſt: ſed ad verbum accedat oportet realis quædam virtus vel efficacia ſpiritus, quâ propriè perficitur opus. Hoc manifeſtiſſimè docetur ab Apoſtolo. 2. Tim. 2. 25. ubi poſt omnem eruditionem externam, quæ in verbi miniſterio adhiberi poteſt, exſpectandum eſſe monet, *an fortè Deus daturus ſit reſipiſ-*

centiam

entiam. Ad miniſtros quidem verbi hic Dei honos non unquam transfertur. ut Act. 26. 18. Sed id fit propter omitantem illam vim ſpiritus, eorum enim optimi, per ſe conſiderati, ſunt planè *nihil.* 1. Cor. 3.7.

Explicari ſibi volunt quid hæc cordis apertio ſignificet, mentis unt illuminationem, & affectuum efficacem commotionem nihil d hanc rem facere: novi autem ſpiritus vel doni regenerationis fuſionem non poſſe intelligi: quia nuſquam alias id ſignificaur hac voce: quia non facta fuit ſine hominis cooperatione: quia ydia prius pia fuit. Sic objectiones eaſdem ſæpiùs repeere amant, ut multa ſaltem dixiſſe videantur, quamvis on multum. De Lydię pietate, hominis cooperatione, & ocis vi, ſatis ante diſputatum. Illud unum iſtic addam, ejungere ea Remonſtrantes quæ conjungi potius debent n hoc argumento, mentis nempe illuminationem & afectuum ſpiritualem commotionem à ſancti Spiritus & egenerationis dono. Hæc membra ſunt ejuſdem operis b eadem causâ, eodem modo pendentia: non debent gitur ſeparari. Nec verè quidem poſſunt in iſtâ causâ. Nam apertio hęc, obſtaculorum omnium ſignificans amoionem, quæ verbi ingreſſum & fructum impediebant, t mentis & affectuum, & voluntatis etiam commutaionem deſignat. 2.

Negant ſequi ad apertionem cordis in Lydiâ: attentio eſt ſubequuta, ergo irreſiſtibiliter ſequuta eſt. Nec poni ſciunt arumenti vim in conſequutione tali, ſed in eo quod aperio illa cordis fuit cauſa continens attentionis illius, quâ uit in corde ſicut ipſa phraſis apertè ſatis declarat δι-ήνοιξε τὴν καρδίαν προσέχειν, *aperuit cor attendere:* non aperuit t attentio poſtea per intervallum temporis ſequebatur. 3.

Fieri poſſe monent ut apertio illa & attentio irreſiſtibilis in ydia peculiare aliquid habuerit, quod alijs qui convertuntur ombus non contingit. Quam tamen attentio non neceſſario ſeueretur: & certum eſſe omnium corda non aperiri, quæ Spiritus ſanctus 4.

ſanctus aperire vellet. Sed 1, nullum indicium in hiſtoriâ totâ datur extraordinariȩ alicujus operationis, quæ omnibus converſis non eſt communis. omnibus credituris neceſſarium eſt ut cor apertum habeant: vel ab ipſis hoc fit, vel à Deo: ſi ab ipſis, tum non eſt opus gratiæ, gratia namque in corde clauſo nullam ſedem habet: ſi à Deo fiat in omnibus, tum nulla reddi poteſt ratio, quare talis apertio, privilegium unius dicatur. 2. Si peculiare quid fuerit: hoc tamen inde ſequitur adverſus Remonſtr. aſſiduos clamores; irreſiſtibilem converſionis gratiam, cum præceptis divinis, & voluntatis humanæ naturâ nullo modo pugnare. Non dicent enim (ſpero) vel Deum à Lydiâ poſtulaſſe fidẽ, vel ipſam ex violento motu, utrum voluerit an non voluerit, in modum lapidis vel bruti credidiſſe. 3. Ex nimio ſtudio adverſarijs ſuis contradicendi, ſibimet ipſis non parcunt. Quæ enim apertior poteſt eſſe contradictio, quam quod iſtic faciunt Remonſt. dicere, *quamvis omnibus contingeret, quod Lydiæ contigit, ſi cor habuit irreſiſtibiliter apertum, quam apertionem etiam attentio ſequebatur irreſiſtibiliter, attentionem tamen in omnibus non ſequi cor apertum.* Irreſiſtibilis enim apertio cordis, irreſiſtibiliter etiam confert illud quod apertionem talem irreſiſtibiliter ſequitur. 4. Deum velle cor alicujus aperire, æquivocè dicitur à Remonſtrantibus, vel enim votum, deſiderium, & velleitatem intelligunt, aut efficacem & potentem voluntatem: in ijs quibus cordis apertio actu contingit, efficax Dei voluntas neceſſariò præcedit, ſi ab ipſo efficiatur. In ijs autem quibus non aperitur, efficaciter id velle Deum non dicent ipſi: imò ne in convertendis quidem potentiorem ullam voluntatem Dei præcedere concedunt quoad actum ullum liberum, quam quæ eſt per modum voti ac deſiderij. Dico igitur Deum non velle ut ejus cor aperiatur, qui clauſum ad finem retinet, eodem modo, quo vult in ijs in quibus actu facit: *quos*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

quos enim(hoc modo) *vult vivificat*, Ioh.5.21. & *cujus vult miſeretur*. Sed hoc in articulo primo diſputatum fuit abundè ſatis.

Addunt ultimò, *non liquere ex contextu Lydiæ ſoli cordis apertionem conceſſam fuiſſe*. Maneat igitur (per me licet) incertum, quippe quod nihil quidquam ad argumentum ſpectat: ſi enim & alijs hæc cordis apertio conceſſa fuit, cum etiam aliæ cum Lydiâ crediderunt, quamvis earum non expreſſa fiat mentio: ex textu tamen pluſquam veriſimile eſt, ſolam Lydiam eo tempore converſam fuiſſe.

Cap. IV.

Argumentum tertium.

Pag. 295.

Converſio hominis ſit per modum regenerationis & ſuſcitationis ex mortuis,

SI *converſio hominis ſit ejus regeneratio, & ſuſcitatio à mortuis, tum homo nihil confert ad ſui converſionem, ex quo pendet ipſa, ſed eſt opus meræ gratiæ Dei in Chriſto, quod homo non poteſt prorſus impedire. Sed verum prius.* Ioh.3.3. & 5.25. Eph. 2.5. *Ergo & poſterius.*

Arripiunt hic anſam Remonſt. tam falſas quaſdam effundendi gratias, quam de ſtatu quæſtionis faciendi verba benè multa. Quo toto ſermone permittam ipſos frui. Statum enim quæſtionis, quo debui loco tractavi: de argumentis jam & ſolutionibus eorum ſatagere ſolis, & inſtituti ratio, & leges etiam diſputandi jubent.

In reſponſione autem illud imprimis huic argumento vertitur in vitium, quod *ab impropriâ & figuratâ phraſi deſumptum ſit, & in illâ parte non firmum ſit, quam ſimilitudo propriè ſpectat.* Loquutio figurata in argumentum verſa non poteſt in ullam reprehenſionem incurrere apud Remonſt. qui in hâc ipsâ theſi p.229. *ex vinea labruſcas edente*, converſionis modum demonſtrare ſtudent. Si verò qualitas comparationis, quam intendit Scriptura, non retineatur,

neatur, in hoc argumento, cauſam nullam dico, quin extra limites extendi, & ad cauſam iſtam nihil facere, ſummo cum jure dicatur. Hoc ut apareat, diſcrimina multa Remonſtr. notant, inter ſpiritualem & corporalem mortem: ſed ea quæ vel nulla ſunt, vel falſa, & nullo juſto fundamento nitentia, vel vana, nihil prorſus ad cauſam iſtam vel argumentum ſpectantia. 1. Diſſimilitudinem primam in eo ponunt, quod *in corporali morte diſcedit verè animâ à corporis omnibus partibus, ita ut omnia membra emoriantur. At in ſpirituali morte, non ſeparantur propriè dona ſpiritualia ab hominis voluntate, quia illa nunquam ei fuerunt inſita.* Hæc autem diſparitas. 1. Nulla eſt: nam in morte corporali anima non diſcedit propriè ab illis partibus, in quibus nunquam fuit; ſed à ſolis illis quibus inſidebat. Si igitur gratiæ dona idcirco non diſcedant à voluntate, quoniam in ipsâ nunquam fuerunt, hoc ſimilitudinis vim non poteſt labefactare. 2. Falſum eſt & contra ſententiam omnium Theologorum, *dona ſpiritualia nunquam inſita fuiſſe voluntati, nec per peccatum ab illâ ſeparari.* Quod idem eſt ac ſi dicerent in hominis integri voluntate, nullam propriè virtutem hærere vel habitare, nec vitium ullum in voluntate corrupti. Hoc enim ſi ita ſit, tum 1. voluntas nec ſpiritualiter vivebat in integro ſtatu, nec mortua fuit per peccatum, nihil enim vivit niſi quod vitam habet in ſe, nihil eſt mortuum, niſi quod eam à ſe ſeparatam habet. Homo igitur dum deſtituitur Chriſti gratia, ex parte tantum eſt mortuus, & per Chriſtum ex parte tantum eſt vivificatus, nec totus eſt nova creatura in Chriſto, ſed ex parte tantum. *Abſit autem* (ſunt verba Zanchij in Eph. 2.1.) *hæc blaſphemia à noſtris Scholis & Eccleſijs.* 2. Tum vitale principium actionum humanarum non fuit per diſpoſitionem internam ſpirituale ante peccatum, nec per peccatum factum eſt carnale. 3. Tum facultas illa, quæ per conſenſum & imperium ſuum, bo-

nitatem

nitatem & malitiam ſpiritualem actionibus omnibus humanis impertitur, illud facere poteſt abſque ullâ qualitate vel inclinatione tali. 4. Tum voluntas hominis in peccatis mortui quoad intrinſecam ſuam naturam, non minus potens eſt, ac libere benéque ad ſpirituale bonum diſpoſita, quam fuit olim ante lapſum. 5. Tum denique nulla portio ſupernaturalis imaginis Dei cujus mentio fit, Eph.4.24. vel ſedem ſuam habuit ante lapſum, vel poſt privationem, in voluntate.

Hæc tam abſona, non digna quidem ſunt quæ fuſius refellantur. Arminij confeſſionem ſolam, ut ſacris literis conſentaneam, iſtis commentis adverſam, opponam. Sic enim ille Diſp. publ. 11. Theſ. 5. 6. In ſtatu primævæ integritatis habuit homo cor, juſtitiâ & ſanctitate ſalutarique boni amore imbutum, id eſt, ut ſemet interpretatur ipſe, Diſp. Priv. Theſ.6. Habuit in *voluntate ſuâ* habitus juſtitiæ & ſanctimoniæ originalis: ex quâ conditione præcipitavit ſe per peccatum, id eſt, (Diſp. priv. 31. Theſ. 5.) ſpiritus gratiæ qui intus habitaverat, diſceſſit.

2. Secundam differentiam faciunt, *quod in morte corporali anima penitus à corpore ſeparatur: ſed in ſpirituali morte reſidua facta eſt adhuc in mente aliqua Dei notitia.* Quaſi hæc puſilla notitia, pars eſſet propria illius animæ vel vitæ ſupernaturalis, de quâ jam agitur. Dei etiam notitiam ſimilem ipſi Dæmones habent, & ad ſenſum etiam qualis qualis fidei. Iacob. 2. 19. ſpiritualis tamen vitæ, quæ eſt gratiæ ſuper naturalis, nullam habent partem. Ut verò quod res eſt uno verbo exponam, Vita eſt actus vivificantis in vivificatum per unionem utriuſque. Mors eſt hujus vitæ privatio, per disjunctionem unius ab altero. Sicut autem vita naturæ eſt per animam, ſic vita gratiæ eſt per Deum. Primum igitur vinculum, quo Deo conjungimur ac unimur, eſt ipſum principium hujus vitæ. Deus autem *Quid ſit Vita & Mors ſpiritualis.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

vel Chriſtus non habitare dicitur in nobis per notitias illas naturales, ſed per fidem veram ac vivam: ante fidem itaque ſupernaturalis hujus vitæ *expertes* prorſus manemus. Hoc illud eſt quod toties in Scripturis conteſtatum habemus, *Iuſtus ex fide vivet.*

Tertiam diſparitatem exinde formant, *Quod in morte ſpirituali remanet anima rationalis, & ſenſus naturales, qui omnes intereunt in morte corporali.* Et hoc ut dicunt verum quidem eſt, ſed ſimilitudinis rationem nullo modo lædit. Non ponitur enim in argumento, eandem vitam auferri in morte utrâque, ſed proportionem juſtam eſſe unius ad alteram, æquè ſcilicet animam ſupernaturalem in ſpirituali morte tolli, ac naturalem illam in morte corporali. Neque magis impedit animæ naturalis præſentia totalem privationem ſupernaturalis vitæ, quam elementaris ille calor, qui reſiduus eſſe ſolet poſt animæ diſceſſum, corporis mortem impedire poteſt. Sic autem ludunt Remonſtr. in hac parte reſponſi, quaſi perfecta non eſſet proportio inter mortem unam & alteram, niſi non arithmeticâ tantum paritate, ſed & numericâ planè identitate, quæ tollantur & maneant, varietatem nullam admittant. Iſtud quam iniquum ſit, & tam ab hujus argumenti ſcopo, quam â ſimilium regulis alienum, non opus eſt ut ego dicam.

4. Quartam adjiciunt diſſimilitudinis rationem, à præcedentibus illis non diſſimilem, quod *quamvis qui ſecundum corpus mortuus eſt, non poteſt agere quidquam, homo peccator tamen illa agat, quibus Deus utitur ad transferendum illum in vitam ſpiritualem.* Homo enim in peccatis mortuus nihil quidquam agit, priuſquam vires novas accepit à gratiâ, quod eſt in eodem genere cum actionibus vitæ ſupernaturalis, vel quod cauſæ vim habet (quatenus ab ipſo procedit) ad vitam illam comparandam. Utitur quidem Deus facultatibus & operationibus naturæ in homine regenerando:

rando: ſed utebatur etiam qualitatibus & operationibus corporis mortui in excitatione à mortuis filij Shunamitidis. 2.Reg.4.34.calore ſcilicet naturali,& humore radicali, qui latebant adhuc in corpore puerili. Neque amplius nobis concedi poſtulamus in toto hoc argumento, quam ſequentibus verbis(quamvis ambiguis)Remonſt.ipſi concedunt. *Hominem ſcil. ideò dici in peccatis mortuum, quia ex ſe ad vitam ſupernaturalem nihil poteſt, ſed ceſſat ab omni opere & actione illuc pertinente: quamvis in ſui converſione nequaquam eſt tanquam cadaver, lapis aut truncus.* Ad vitam ſupernaturalem nihil poteſt ex ſe, vel *ad converſionem nihil agit ſuâ vi*, ſed *in atque à converſione* per gratiæ vim non nihil agit. Sic enim eſt in morte corporali: ad excitationem ſui nihil egit ex ſe Shunamitidis ille puer, ſed in excitatione, non nihil egit per vim excitantis.

2. *Duplices irregeniti ſecundum Remonſt.*

Hactenus igitur nullam differentię rationē cernimus in diſcriminationũ harum tam fœcundâ progenie, quâ ſimilitudinis & argumēti vis vel enervari poteſt, vel etiam eludi. Sequitur diſtinctio nova non mortis unius ab alterâ, neque hominum mortuorum, ſed irregenitorum tamē. *Notandum* (inquiunt) *quod irregenitorum alij ſunt tanquam omnis vocationis expertes, non cognoſcētes viam veritatis; alij verò mentem habent ſalutiferâ veritate illuminatam, & affectus inflammatos amore ejus. Priores propriè dicuntur mortui, poſteriores non ſunt mortui, nam intellectum & affectus jam vivificatos habent, eâque ratione voluntas eſt potens facta, ut innatam volendi ac nolendi facultatem in actum producat, in quo voluntatis vivificatio propriè ſita eſt.* Notatu quidem digna paucis his verbis non pauca proponunt. 1. Quoſdam agnoſci à Remonſtrantibus non vocatos, vel tanquam non vocatos eſſe, cum tamen alias ſufficientem gratiam omnibus concedi, & reconciliationis gratiam omnibus annunciari contendunt. pag. 190. 2. Notitiam veritatis quibuſdam hic à Remonſt. auferri, quamvis aliquam vitalem notitiam Dei,

omnium hominum communem, in hujus reſponſi priore parte faciebant, & mentis illuminationem irreſiſtibili vi communicatam eſſe docent. 3. Illos ſolos pro ſpiritualiter mortuis à Remonſtr. haberi, qui ſunt omnis vocationis, & cognitionis expertes: Sed Apoſtolus Paulus eos omnes mortuos eſſe docet, Eph. 2. *qui ambulabant in peccatis, qui vitam hujus mundi ſequuntur, qui aguntur à ſpiritu maligno, qui filij ſunt contumaciæ, qui converſantur in cupiditatibus carnis, & omnes denique, qui manent in illa naturâ, quâ filij ſunt iræ.* Quæ ab omnibus illis qui veritatem qualicunque modo ſciunt, non poſſunt removeri, niſi tam Scripturis quam experientiæ ad inſaniam uſque contradicendo. 4. Multos eſſe vivificatos ex Remonſtr. ſententiâ, intellectu ſaltem & affectibus, qui non ſunt regenerati. Disjunctionem ejuſmodi nec Scriptura novit, nec ratio recta. 5. Vivificari hominem in mente & affectibus, voluntate adhuc ſine vitâ manente. 6. Voluntate nondum vivificatâ (quæ ſola eſt inclinatio totius hominis) hominem à mortuis excitatum eſſe, ſecundum Remonſtr. nec diutius mortuum appellandum eſſe. 7. Voluntatem ad ſui converſionem potentem fieri per ſolam intellectus illuminationem, & excitationem affectuum involuntariorum. 8. Opus illud totum quo ex numero & ſtatu mortuorum eximitur peccator, per gratiam irreſiſtibilem perfici: ſic enim & mentem illuminari & affectus excitari docent. 9. Voluntatis vivificationem in eo proprie ſitam eſſe, ut innatam volendi ac nolendi facultatem in actum producat: novas nullas vires propriè & internè per gratiam acquirit: neque vitam novam accipit, ſed veterem exercet, quum ſe convertit. Quæ ego certè ſatis habeo, prout ipſi volunt, notaſſe, cenſuræ notam lectori relinquens.

Iſtis fundamentis (ut illis quidem videtur) benè poſitis, quaſi totum negotium pro voto jam confectum eſſet, animosè

moſè concludunt, facilè eſſe videre abſurditatem argumenti ſumpti à ſimilitudine mortis corporalis & ſpiritualis, propter diſſimilitudinem utriuſque mortis inter ſe multiplicem ac palpabilem. Ego autem ex adverſo concludo, facilè eſſe videre abſurditatem quarundam earum diſſimilitudinum, & vanitatem reliquarum. Neque opus ut concluſionis meæ rationes repetam, prout illi ſuis repetendis unam aut alteram paginam rhetoricantes impediunt: in quibus pauciſſima dicunt, quæ non prius tum dicta ſunt, tum etiam refutata. Illa tamen à cæteris excerpam, & breviter examinabo, quæ vel nova ſunt, vel refutationem novam diſiderare videntur. 1. Quorum primum eſt: *A Noſtris agnoſci, facultatem aliquam in homine ſpiritualiter mortuo relictam eſſe, quâ certare poteſt, & reſiſtere Deo: quia dicunt Noſtri hominem naturâ ſuâ depravatâ Spiritui Dei poſſe repugnare, imò nihil aliud poſſe quam gratiæ Dei repugnare, talem autem facultatem in ijs qui ſecundum corpus ſunt mortui, non reperiri, nec tale certamen.*

Ubi varijs modis hallucinantur. Nam. 1. potentia illa repugnandi, quæ peccatoribus ineſt, non niſi per abuſum facultas appellari poteſt. Δυναμὶς *poteſtas, facultas*, ut Ariſtoteles monet, non eſt ad malum, quà tale: poſſe repugnare gratiæ, eſt poſſe peccare: quod non propriè potentis facultatis eſt, ſed impotentis. 2. Major verò abuſus in eo eſt, quod facultatem iſtam *reliquam* ſeu *relictam* eſſe dicunt in peccatore mortuo, quaſi reliquiæ prioris vitæ in peccandi facultate conſiſterent. 3. Repugnandi potentia quam Noſtri concedunt, nihil aliud eſt quam illa diſpoſitio depravatæ naturæ noſtræ, quâ eo fertur, ut quantum in ſe eſt impedimento ſit gratiæ in ejus operationibus: non eſt facultas propriam intentionem Dei fruſtrandi, & efficaciam ejus gratiæ penitus impediendi. Hoc autem ſenſu corpus mortuum poteſt reſiſtere vivificationi ſui: imò actu reſiſtit. Cadaveris vivificatio non

fit

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

fit ſine alteratione, ſine actione & paſſione, nec ſine impedimentorum amotione: in hiſce verò omnibus reſiſtentia quædam occurrit. Alteratio tota non fit in momento, ſed in tempore: ergo non ſine reſiſtentiâ. Omnis propria paſſio reſiſtentiam habet conjunctam: impedimentum non amovetur, niſi dum patiens impediendo reſiſtit.

An regeneratio fiat in instanti.

Secundum eſt: *Generationem vel vivificationem corporis mortui fieri & perfici in inſtanti: ſed regenerationem non fieri & conſummari in inſtanti.* Quâ in re diſſimilitudo nulla manebit, ſi tollantur omnes ambiguitates loquendi. Generationis & vivificatianis vocabulum ſumitur aliquando pro ipſa introductione formæ præcisè: quo ſenſu non eſt motus propriè dictus, ſed motuum finis, atque adeò non eſt cum ſucceſſione, ſed in momento, quia forma res eſt indiviſibilis. Aliquando verò accipitur ad ſignificandum tractum illum, qui inter primum ingreſſum præparationis, quæ fit ab accidentibus, atque momentaneam formæ introductionem intereſt: quo ſenſu motus eſt, & ſuccesſivè fit. Accipitur etiam nonunquam pro continuatione ejuſdem formæ, unâ cum intentione vel extenſione ejus, quoad participationem ejus à ſubjecto vel materiâ: quo etiam ſenſu ſucceſsionem & gradus admittit. Sic ſe res habet in regeneratione peccatoris. Sumitur aliquando præcisè, pro introductione illius formæ, quæ facit hominem verè fidelem & filium Dei: & eo ſenſu in momento fit. Id enim unde ſpecies cujuſque rei ſumitur, conſiſtit ſemper in indiviſibili, quia ſpecies rerum ſunt veluti numeri, quibus nihil adimi vel addi poteſt, ſine variatione quoti. Fides unius poteſt eſſe major quam fides alterius, vel major nunc quam aliàs fuit: ſed non eſt magis fides, nec ipſe magis filius Dei. Si verò ſumatur pro apparatu illo, quo utitur Deus ad for-

nam iſtam introducendam, ſeu fidem ingenerandam, vel pro intenſione ac extenſione ejus quoad participationem ſubjecti in operationibus & fructibus ejus, momento tunc non ſolet quidem perfici: ſed nec eo ſenſu generatio perficitur in inſtanti, nec ipſa ſemper vivificatio mortui, ut videre eſt in Shunamitidis filio. 2. Reg. 4. 34. 35.

Tertium eſt: *Regenerationem ſeu vivificationem hominis peccatoris, inchoari ab opere quod Deus ipſum hominem jubet facere, & quod cum homo facit, paulatim reviviſcit Legis & Evangelij miniſterio. Exigere namque Chriſtum, ut homo mortuus ſuam mortem agnoſcat ac deploret, liberationem velit, roget, vitam eſuriat, ſitiat, quærat, & plus etiam faciat, prius quam vivificetur, quum in eis qui ſecundum corpus mortui ſunt, nihil præcedat, quod ad eorum excitationem requiritur.* Reſp. 1. Si prout hæc verba ſonant, ſic illa velint intelligi, *regenerationem incipere ab opere, quod homo facit*, tum vix, aut ne vix quidem, defendere ſe poſſunt à ſocietate eorum, qui dicere ſolebant (ut Auguſtinus memorat de Prædeſt. cap. 2.) *Ex nobis eſt fidei cæptum, ex Deo fidei ſupplementum:* ſibimet arrogantes primitias boni, Deo vix decimas relinquentes. Non poſſunt enim hic regerere, quod ſolent alias, hominem hoc facere per Dei gratiam. Si enim gratiæ operatio aliqua præcedat hoc opus ab homine faciendum, tum ab illâ, non ab hominis opere vivificationis negotium inchoari dixiſſent. 2. Inchoatio hæc vivificationis, de quâ loquuntur, eſt accidentalis præparatio ſola, vel gradus ad rem, non eſt initium formale, vel gradus in re. Illam enim inchoationem deſignat, quæ fit per miniſterium Legis, id eſt, mortis, non vitæ. Hæc verò non propriè ſpectat ad quæſtionem. 3. Nego poſſe hominem vel miſeriam ſuam agnoſcere, nedum vitam velle, rogare, quærere, eo modo quo debet, antequam vitæ ſemen accepit à Deo. Sic enim velle credere, eſt reipsâ credere, & rogare vitam eſt viventis fidei fructus. Si hæc igitur

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

& plura fiant à mortuis, vix reſtat majus aliquid, quod peragant vivi. 4. Quod impetrationem gratiæ fieri conſtituunt, per hujuſmodi opera hominis quoad gratiam mortui, atque adeò viribus naturæ elicienda, in eo excludunt rationem gratiæ, vel ipſo Ieſuita Suarezio judice, De Præd. l.2. c.6. ſ. 41. 5. Exiguntur illa ab homine dum mortuus eſt, quæ non facit ille niſi vivificatus. 6. Deus jubendo talia, quæ ipſe daturus eſt, oſtendit obedientiam debitam, & partim etiam jubendo dat. 7. Nihil fit ab homine mortuo, quod quatenus ab ipſo procedit, vim aliquam confert ad ejus vivificationem. 8. Quamvis igitur diſcrimen ſit inter modum agendi, circa ſpiritualiter & corporaliter mortuos, in viâ ad vivificationem, nihil tamen in eo reperiri poteſt, quod in illis, quam in iſtis effectum à Deo minus abſolutè pendere facit.

4. Addunt ultimò, *Se non minus quam Noſtros fateri, hominem animalem in peccatis eſſe mortuum, modò ſibi concedatur tantum diſcriminis inter corporalem & ſpiritualem mortem, ut homo in morte ſpirituali retinuerit liberam voluntatis facultatem.* Ubi illi per facultatem liberam eam intelligunt voluntatis conditionem, quâ libera foret, 1. Ab omni inhærenti & prædominante peccato. 2. Ab omni defectu ſpiritualium donorum vel olim ipſi inſitorum, vel denuò per gratiam ad fidem eliciendam inſerendorum. 3. Ab omni tam prædeterminatione quam prædefinitione divinâ. 4. Ab actuali etiam dominio & poteſtate Dei, quoad operationem ſuam, habens in poteſtate ſuâ voluntatem, gratiam, promiſſionem, & prædictionem divinam vel irritam facere vel ratam: talem eos velle ex ijs quæ dicta ſupra fuerunt, manifeſtè ſatis liquet. Hanc verò quamvis non concedant ijs Noſtri, nec id poſſint quidem, niſi ut fugiant ſervitutem, ſacrilegium incurrere velint; liberam tamen facultatem, in medio peccati manentem agnoſcunt: ſed non ad omnia & omni modo liberam:

atque

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

tque adeò conceſſio iſta non obſtat, quin ſententiarum diſparitas magna ſit de ſpirituali morte hominis animalis.

Mirari ſe dicunt Remonſtr. *hoc tam infirmum & nihili argumentum tantopere urgeri, cum palam ſit, mortis vocem, etiam ſpiritualiter ſumptam, non ſemper in Scripturâ plenam abolitionem & ſeceſſionem vitæ notare. Rom,* 6. 2. *Gal.* 5. 24. Sed 1. Multo magis videtur vel mihi mirum, inveniri tandem, qui inter Evangelicos vel Reformatos nomen ſuum profitentur, & argumentum tamen iſtud non infirmum tantum, ſed & nihili eſſe contēdunt, quod ab ijs omnibus qui Pontificios errores impugnarunt, tanti fieri norunt, ut primarium ipſi ſemper concedant locum, inter demonſtrationes illas, quibus naturæ vires ad converſionem hominis nullas eſſe probant. Mirum non eſt, quod non eſt novum: hoc adeò non novum eſt, ut vix ullum Scriptorem nominari poſſe credam, qui liberum illud, quod Papiſtæ defendunt, arbitrium impugnat, & iſto non pugnat argumento. 2. Illud etiam permirum eſt, ſatis iſtis videri id argumentum quodlibet infirmandum & redigendum in nihilum, ſi voces illæ, quibus nititur, alio aliquo ſenſu, nonnunquam uſurpentur. Hac lege ſemel poſitâ vix quidquam erit in totâ Scripturâ, quod firmum argumentum ſuppeditabit. Statuatur exemplum in primo illo effato, *In principio creavit Deus cælum & terram*: nulla vox in iſtâ ſententiâ ponitur, quæ ſignificationem aliam non habet aliàs: non tamen infirmum & nihili argumentum erit, ſi quis hinc probaverit, Deum verum ac æternum totum orbem ex nihilo feciſſe, & initium ipſi dediſſe. Non igitur ſufficit ad teſtimonium aliquod invalidum reddendum, ſi obijci poſſit varius uſus earundem vocum.

Non dicent ipſi parem eſſe rationem mortis illius, quæ eſt *in peccato*, cum illa quæ eſt *peccato*, quatenus nobis adhuc in viâ conceditur. Variam eſſe rationem loquu-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

tionum harum uſus oſtendit: homo enim regenitus non dicitur *mortuus in peccato*, quamvis magnam ejus vim circumfert ſemper ſecum; ſed ille ſolus qui nihil accepit vitæ novæ per fidem in Chriſtum. Sed *mortuus peccato* dicitur, qui à dominio peccati liberatur, quamvis ejus onere adhuc urgetur. 4. Mors etiam in illis phraſibus, quum fideles mortui dicuntur peccato, plenam abolitionem peccati denotat, 1. quoad cauſam vel principium hujus operis, meriti ſc. Chriſti, qui non imperfectè plenè ſuſtulit peccata noſtra. 2. Quoad ſignaculum & ſigillum ejus: in Baptiſmo enim perfecta renovatio repræſentatur. 2. Quoad promiſſionem divinam, & 4. Quoad officium omnium vocatorum, qui eò ſtudere debent ſedulò, ut corpus hoc mortis penitus aboleatur. Significant mortem plenam, non plenè tamen applicatam.

4. Obſervant Remonſtrantes: *Hominem in peccatis demerſum, non tantum dici mortuum, ſed & dormientem, & ægrum, morbidum, ſauciatum ac vulneratum: atque adeò converſionem ejus à peccatis, expergefactionem & ſanationem vocari. Eph.* 5. 14. 1. *Pet.* 2. 24. *Eſa.* 53. 5.

Quaſi mortui etiam non dicerentur dormire, & reſurrectio eorum excitatio à ſomno! quaſive mors ipſa Chriſti ijs ipſis in locis, quos hic allegant, non plaga, vibex, vel vulnus diceretur: & reſtitutio ſanationis nomine notata, non proportionem haberet accommodatam ad malum illud curatum! Nihil ſanè magis temerè potuit opponi, quam hæc varietas vocum, non varias res deſignantium, ſed unam eandemque. De eo quod obiter monent, poſtulari hæc ab homine, ſæpiùs ante reſpondi. Illud autem inconſideratè nimis urgent, *Reſurrectionem à mortuis ab hominibus ad hoc requiri, ut Chriſtus eis illuceſcat.* Exinde enim probare velle videntur, hominem ſeipſum prius convertere, quam illumina-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

inationem ullam accipiat à Chriſto: quod tam alie-
um eſt à veritate Chriſtiana, ut inter Chriſtianos non
ebeat nominari.

In illuſtratione hujus cauſæ ab exemplo Lazari petitâ,
ui â mortuis excitatus fuit, Ioh. 11. non tam externâ
hriſti voce, quàm internâ quadam & divinâ vi, *tres tur-*
s errores inveniri putant Remonſtrantes. 1. *Quod verbum*
hriſti ad Lazarum, & ſermo converſionis, qui irregenitis præ-
icatur, eodem loco ſtatuuntur, quaſi ſint ejuſdem operationis &
eneris. 2. *Quod robur ad noſtram converſionem, non per ver-*
um, ſed per ſpiritum Chriſti vivificum dari docetur. 3. *Quod*
erbum deſtitui dicitur ſpiritu Chriſti vivifico, quando illud an-
unciatur eis, qui reipsâ ex ſpirituali morte non excitantur.
ed tres iſti tam turpes errores totidem nituntur non
tis honeſtis calumnijs. Nam 1. quamvis imaginem quan-
am converſionis in iſtoc exemplo ſtatuerint Noſtri,
uod plerique omnes interpretes faciunt, quoniam, ut
erbis utar D. Hemmingij in Ioh. 11. *abſque omni dubio ſym-*
olum fuit ſpiritualis gratiæ, quæ per Evangelium contingit; nun-
uam tamen dixerunt, vocem Chriſti ejuſdem omninò
eneris, quoad operandi modum eſſe in converſione ho-
ninum, cujus tunc fuit in excitatione Lazari. Sentiri
olet, & aliquatenus etiam intelligi, non ſine affectu,
uali quali, ab hominibus convertendis abſque ullo mi-
aculo, à Lazaro verò non potuit vox Chriſti ullo mo-
o percipi, niſi miraculosâ interveniente virtute. Um-
ram igitur impugnant ſuam Remonſtr. dum iſtam ſen-
entiam argumentis inſectantur, & ſarcaſticis etiam fi-
uris. 2. Quamvis convenientiam rationis hactenus
onant in iſtis comparatis, quod *ſicut Lazarus non*
otuit exire ad Chriſti vocem, niſi vivus ante per Spiri-
um Chriſti factus, ſic homo non poteſt credere, cum
er verbum ad fidem vocatur, niſi Spiritu Chriſti vivifica-
us. Nuſquam tamen dicunt per verbum nullo modo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

dari has converſionis vires. Verbum & Spiritus ad opus unum unà ſolent agere, nec ſeparatim, nec ad ſeparata. Verbum eſt inſtrumentum coordinatum ad converſionem, quamvis ipſam converſionem non perficiat niſi virtute ſpiritus comitatum, & ad operationem illam inenarrabili modo quaſi vegetatum. Enthuſiaſmum igitur huic dogmati quum Remonſtr. improperant, non id ex judicio faciunt (quod profitentur,) ſed ex perturbatione mentis. Enthuſiaſtarum enim error eſt, (ut Arminius rectè docet Diſp. publ. 16. theſ. 13.) arbitrari, Spiritum ſuâ internâ actione in aliam Dei Chriſtique agnitionem mentem illuminare, quam quæ verbo extrinſecus continetur, aut cor & animum alijs ſenſibus afficere, quam qui ex ipſo eodem verbo proponuntur. Hoc ſine atroci calumniâ non poteſt Noſtris impingi. 3. Neque magis æqui ſunt in accuſatione tertiâ. Non enim dicebant Noſtri, *verbum deſtitui Spiritu Chriſti vivifico, quando illud annũciatur non credituris*, quod impingunt ipſis Remonſtr. ſed hoc tantum *Spiritum vivificũ non dari niſi ijs, qui re ipſâ per illum ex ſpirituali morte ſuſcitantur.* Aliud autem eſt *verbum deſtitui ſpiritu*, aliud *hominibus ijs ſpiritum vivificum non dari, in quibus verbum non operatur.* Quum igitur ficti ſint errores iſti & planè commentitij, eorum conſectarijs perpendendis immorari non eſt hujus loci.

Capvt V.

Argumentum quartum.

Pag. 309.

Converſionem fieri non ſolâ ſuaſione morali, ſed

SI operatio gratiæ ad hominis converſionem talis ſit, ut illâ poſitâ maneat adhuc in humanæ voluntatis poteſtate, utrum illam ſequi vel impedire velit, tum ſuaſio ſola moralis eſt, & illicium blandum. Sed non eſt hujuſmodi ſuaſio tantùm: nam ſic non operaretur Deus efficacius ad homines convertendos, quam Satan operatur

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

peratur ad eoſdem ſeducendos, & in impœnitentiâ detinendos. Er-o talis non eſt operatio gratiæ ad hominis converſionem, ut in ejus poteſtate relinquat, utrum illam ſequi velit, an impedire. *efficaci etiam virtute divinâ.*

Sic huic argumento Remonſtrantes occurrunt, ut ſen-tentiam ſuam nec omninò celent, nec palam tamen præ ſe ferant, & liberè profiteantur: ſed mediam ſequuntur viam, quâ ſatis quidem quid velint intelligentibus ſubin-dicarunt, tamen ut rimam interim apertam habeant, quâ elabi ſe poſſe putant, ſi acrius fortè in iſtâ parte pre-mantur. 1. *Negant ſe uſpiam dixiſſe, Deum in nobis fidem effi-cere tantùm blandâ aliquâ ſuaſione & allicio.* Quid verò hac de re dicunt, id ante dictum eſt in hujus quæſtionis ſtatu. Nec tamen in argumento dicitur eos hoc dixiſſe, propo-nitur hoc non tanquam expreſsè dictum, ſed tanquam conſequens ex dicto pendens, ſicut in ſyllogiſticâ illâ, quam adjeci, formâ apertè ſatis liquet. Res autem ipſa jam clarè patet, ut quum hoc reſponſum Remonſtran-tium lego, *non dicimus Deum in nobis fidem efficere ſolâ ſuaſio-ne &c.* Figura mihi videatur haud abſimilis illius, quâ uſus eſt Paulus olim ad Philemonem: *Non dicam tibi, quod te ipſum etiam mihi debeas.* 2. *Poſito hoc antecedente, Deum ſcilicet per ſuaſionem ſolam, converſionem noſtram operari, ſequi tamen pernegant, Deum non efficacius in converſione noſtrâ ope-rari, quam Satan in nobis ad peccatum ſeducendis, & in impœni-tentiâ detinendis.* Cujus denegationis cauſas tam multas, tam ſollicitè ſatagunt cumulare, ut cæcos lectores pro-cul dubio ſibi ſpoſponderint, ſi quenquam eorum clam fore putabant, doceri ab ipſis cum ſummo ſtudio, quod modo negabant à ſe dici. Rationes etiam quas adferunt, ejuſmodi ſunt, ut niſi rem ipſam perſuaſam eſſe quam maximè vellent, probationes nunquam tanti feciſſent, ut illas dicis cauſa commemorandas eſſe putarent. 1. Prima ratio eſt quoniam *uſus rerum docet, ubi duo aliquid ſuadent, al-terum ſæpè fortiùs altero ſuadere.* Quæ primò nihil facit ad

rem:

rem: non enim agit argumentum de gradu efficaciæ in eodem genere vel modo operandi: ſed modos ipſos vel genera confert, ſtatuens nempe genus, & modum illum operandi, quo Deus homines ad ſe convertit, multo efficaciorem eſſe, quam quo Diabolus eos pervertit. 2. Quum Deus, ex Remonſtrantium ſententiâ, non perſuadet niſi per media, inter quæ præcipuum eſt miniſterium hominum, ſuaſionis argumenta ex verbo quidem divino, ſed modo humano proponentium, probabilius eſt veterem illum ſerpentem mille artificem (qui & argumenta illa benè novit, quæ à Dei ſervis adverſarijs ejus adhiberi ſolent, & ipſis illudendi mille novit artes, quas ignorant ipſi) probabilius eſt inquam ſuperiorem eum ſemper futurum in iſtâ contentione, ſi ex tali ſuaſione res tota penderet.

2. Diſcrimen hoc eſſe notant inter perſuaſionum rationes, vel allicia Dei & Satanæ, *quod Deus æterna & incorruptibilia bona prommittit, Satanas temporalia tantum & corruptibilia.* Quod multo ſecus eſſe, miror equidem ipſos non vidiſſe: Satanas enim quamvis ne temporalia quidem bona præſtare poteſt pro arbitrio ſuo, polliceri tamen æterna ſolet, quum ejuſmodi pollicitationes fortiores futuras putat. Promiſſionis ejus primæ (*Eritis ſicut Dei*) alia non poteſt eſſe mens, quam virtutem aliquam divinam & ſimilitudinem Dei, parentes illos noſtros adepturos ex eſu vetiti fructus. Ultimis etiam hiſce diebus, eo auctore cælum ipſum promitti novimus proditoribus ipſis, & peſſimis parricidis. Hæc pars eſt transfigurationis illius, qua ſe transferre ſolet in ſpeciem angeli cæleſtis lucis.

3. Diſparitatem quam volunt hac ratione demonſtrant. *Vbi duo de homine ad ſe alliciendo certant, fieri non poteſt, quin alter altero fortiùs agat, alioqui enim neuter eum ad ſe pertraheret. Quum igitur reſipiſcentia re ipſa ſequitur, ibi Spiritus Sanctus Satanâ fortiùs egit: qui autem Spiritui ſancto reſiſtunt, eos certè ſuperat*

perat Satan quoad effectum aut eventum. Ubi temeritatem
rodunt inconſideratam. Nam. 1. fieri poteſt ut certent
nter ſe duo (non loquor nunc de Deo & Satanâ, ſed in
enere) de homine ad ſe alliciendo, & alter altero non
ortiùs agat, ſed in æquilibrio conſiſtat res, & ad neutram
artem inclinet ille, de quo certant, vel ſi ad alterutram
ccedat, ut id faciat ex inſitâ propenſione. 2. Quam je-
unum eſt & indignum Deo, fortiorem nullam actionem
ribuere Spiritui ſancto, quam Satanæ in efficaci hominis
onverſione, niſi quoad eventum qui nec auget nec mi-
uit actionis præcedentis vim, & (eorum judicio) actio-
e illâ poſitâ in poteſtate hominis eſt, ut vel ſequatur, vel
mpediatur. 3. Poſteriora illa verba, *qui autem Spiritui
ncto reſiſtunt, eos ſuperat Satan*, vel pudorem vel perturba-
onem aliquam indicant. Conſequenter enim ex com-
arationis & regulæ prioris vi dicendum ipſis fuit, certan-
bus Deo & Satana de hominibus ad ſe alliciendis, in
s qui convertuntur Deus ſuperat Satanam, in ijs verò
ui non convertuntur, Satanas (abſit blaſphemia) Deum
perat. Hoc autem quia dictu horrendum fuit, etiamſi
anc victoriam ad potentiam illam ſolam referant, quam
eus exercet in hominis converſione, idcirco vel pudore
ffuſi vel confuſi perturbatione, *eum* vel *Deum* vertunt
eos, & comparationem inſtitutam in ſcopas diſſolutas.
i pudebat eos inceptæ comparationis, pedem potius
ecuiſſet eos revocare, quam ita pergere, ut vitium ſe
idiſſe oſtendant, & non emendaſſe.

Poſſe dicunt, ut à quibuſdam fit, diſputari, ſitne hic nobiliſſi- 4.
*us agendi in homine modus, qui fit ſuadendo, & eſſet ne con-
eniens alio modo uti, ſervatis humanæ naturæ proprietatibus,
deòque eſſetne omninò eadem actio ſatis ſufficiens, ſi talis eſſet,
ualem Satanas exercet.* Ubi. 1. id imprimis obſervandum
ſt, probabilem ſaltem Remonſtrantibus videri ſenten-
am iſtam, quam referunt: quum enim diſputari poſſe di-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

cunt, non hoc intelligunt de quâcunque diſputatione: ſic enim nihil eſt in religione totâ, de quo non poſſint idem affirmare, ſed probabilitatem innuunt hujus defenſionis. 2. Pluſquam probabilem eam ab ipſis haberi, exinde patet, quod nullam actionem ſic ſoli Deo tribuunt nominatim (ubi maximè opus fuit) & Satanæ denegant, præter mentis illuminationem immediatam, & hanc etiam alibi Deo ipſi denegant: ſic enim paulò ſupra (p. 306.) *credimus Dei Spiritum nullum in nobis robur ad converſionem ordinariè efficere, niſi per verbum*, hoc eſt, nihil im-immediatè. Id quod Epiſcopius clariùs multo docet in Theſ. priv. Diſp. 46. cui corollarium iſtiuſmodi apponit; *An ulla actio Spiritus immediata in voluntatem aut mentem neceſſaria ſit, aut in Scripturis promittatur, ad hoc, ut quis credere poſſit verbo extrinſecus propoſito? Negativam tuebimur.* Hoc etiam in loco frigidè ſatis hunc modum agendi Deo concedunt. Exiſtimamus, inquiunt, alias eſſe actiones &c. & eundem Satanæ confuſè nimis negant. Poteſt enim & ille interius ad peccatum inſtigare, tam phantaſiæ imaginarias quaſdam formas offerẽdo, quam affectus vel perturbationes excitando. Si tamen ſyncerè & conſtanter hoc faterẽtur, (Deum ſcilicet immediatè mentem illuminare, Satanam verò non poſſe) parum hoc, aut nihil eſſet. Si enim ſufficiens adſit objecti repræſentatio, ſivè mediatè ſive immediatè fiat, id efficaciam ſuaſionis nihil mutat. 3. Neceſſe habent Remonſt. hanc totam ſententiam agnoſcere pro ſuâ. Nam ſicuti ponitur in hujus argumenti propoſitione, ſi operatio gratiæ ad hominis converſionem talis ſit, ut maneat adhuc in humanæ voluntatis poteſtate, utrum illam ſequi vel impedire velit, tum nihil aliud eſt, quam ſuaſio moralis: operatio enim quæ aliquid propriæ efficientiæ addit ſupra ſuaſionem, cujus vi converſionis effectum vel quoad initium exiſtit, non relinquit rem incertam, vel in humanæ voluntatis indifferenti poteſtate.

4. Quid

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

4. Quid autem exiſtimandum ſit de opinione tali, hoc unum ejus immediatum conſectarium oſtendet. Qui tantum ſuadet ad agendum non eſt directa & propria, nedum primaria, illius actionis cauſa. Hoc Remonſtr. ipſi expreſsè docent (p. 314.) ubi latum diſcrimen faciunt inter *cauſam fidei efficientem*, & *illam quæ excitat per modum objecti.* Suaſio namque non aliter agit, quam per modum objecti. Atque hæc unica eſt ratio cur Satanas nec eſt primaria, nec propria ſeu directa cauſa peccati humani, neque poteſt homo peccans, vel culpam vel reatum facti à ſe in tentatorem transferre. Si Deus igitur ſit ſuaſor tantum converſionis, tum non eſt ejus præcipua, propria & directa cauſa, nec tam ipſi debetur hujus operis gloria, quam homini, conſilium ejus tam prudenter ſequenti.

Retorquere conantur argumentum hoc, invitis regulis omnis rationis. *Si Deus* (ajunt) *ſuos irreſiſtibiliter convertit, qui ſunt longè pars inferior, & Satan reſiſtibiliter potiſſimam partem avertit, in eo Satan plus Deo valet, qui minoribus & inferioribus auxilijs ſuum conſilium in multo pluribus hominibus, quam Deus ipſe poteſt exequi.* Quâ in concluſione nihil eſt quod intelligentem aliquem poteſt movere. Nam, 1. pro confeſſo hic habent, quod norunt à Noſtris negari, proprium conſilium eſſe ac intentionem Dei, omnes & ſingulos homines ſervare. 2. Satanam in ſuis conatibus ſolutum fingunt ab imperio & gubernatione Dei. 3. Quum reſiſtibilem actionem in multos potentiorem faciunt, quam irreſiſtibilem in paucos, perinde arguunt, ac ſi Medicum vulgarem varios ægros reſiſtibiliter curantem, potentius eo nomine dicerent agere, quam egit Chriſtus, quum paucos tantùm irreſiſtibili modo ſanavit. 4. Quum averſionem multorum majus quid eſſe putant, quam converſionem paucorum, coargui poſſunt à quolibet idiotâ; norunt enim omnes, longè majus eſſe ædificium vel opus quodlibet unum conſtruere, quam deſtruere multa.

6. Declinare ſtudent argumenti vim: *Difficultas* (inquiunt) *non eſt propriè in converſione vel converſionis modo, ſed in ſcopo & intentione Dei, qui talia auxilia ſubminiſtrat, quibus hos ſolos (& non alios) ſervat, ſive eorum liberum arbitrium ei aſſentiatur, ſive non aſſentiatur: ac proinde tamen in eo nulla eſſet abſurditas, etſi eadem operatio ejuſdem in ſe efficaciæ inſtitueretur, ſed Diaboli & aliorum operatio reſiſtibilis, Dei verò efficax, quia illa pro Dei infinita ſcientiâ, circiter illud tempus, ejuſmodi hominibus, tali ſtatu, adminiſtratur.* Cujus aſſertionis tam multa ſunt vitia, ut illis demptis, vix quidquam poſtea remaneat. 1. Parum ſui memores videntur in eo, quod negant difficultatem hujus controverſiæ in converſionis modo verſari. Nam in theſi totâ nihil eſt, quod ſpeciem habet controverſiæ cum Noſtris habendæ præter clauſulam illam ultimam, in quâ etiam collocare ſolent, totius quæſtionis caput: *Quoad vero modum operationis illius gratiæ, ille non eſt irreſiſtibilis.* Nihil etiam aliud probare ſatagunt, ex verbis illius Stephani, Act. 7. 5. quibus theſin quartam confirmant. Repetunt etiam diſertis verbis in reſponſionis hujus initio (p. 268. 269.) *in theſi tertiâ agitur de fidei cauſâ, in quartâ verò de modo ejus efficiendæ.* 2. Controverſia illa de ſcopo & intentione Dei ad primum articulum ſpectat, ubi de electione divinâ tractatur. 3. Ridiculum eſt illud ſcomma, quo Noſtros tenere dicunt, *Deum quoſdam velle ſervare, ſive aſſentiatur ipſorum liberum arbitrium, ſive non aſſentiatur.* Idem enim eſt ac ſi dixiſſent, Deum velle efficere, ut quorundam liberum arbitrium aſſentiatur, ſive aſſentiatur, ſive non aſſentiatur. 4. Nullam abſurditatem in eo eſſe dicunt, quod eſt abſurdiſſimum, ut ſcilicet propria ratio, cur gratia Dei ſit efficax, in circumſtantijs quibuſdam externis ponatur, quæ nonnunquam leviſſimæ ſunt nugæ, & nunquam non communes caſus. 5. Illud unum tamen hic excidit ipſis, quod attentè debet obſervari, operationem *reſiſtibilem* &

efficacem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

ficacem gravem oppoſitionem inter ſe habere. *Diaboli* (in-
iiunt) *& aliorum operatio reſiſtibilis, Dei verò efficax.* Quum
itur converſionis gratiam reſiſtibilem eſſe contendunt
(quod unicum agunt in iſtâ quæſtione totâ) eâdem ope-
e efficaciam ejus impugnare ſe fatentur.

Caput VI.

Argumentum quintum.

Pag. 311.

SI modus operationis gratiæ, quâ fides in nobis efficitur, ſit potentis & eminentis efficaciæ, ac ejuſdem virtutis cum illâ, quâ Deus utitur in excitatione hominum ex corporali morte, tum à depravatâ voluntate humanâ, neque ſuperari neque prorſus impediri poteſt. Sed prius verum Eph. 1.18.19. *Coloſſ.*2.12.13. 1 *Theſſ.* 1.11. 2. *Pet.*1.3. *Ergo & poſterius.*

Converſio fit per eandem virtutem, eâdemque efficaciâ, quâ homines à corporali morte ſuſcitantur.

1. Agnoſcunt hic Remonſtr. concluſionem hanc è diametro opponi ſuæ theſi, agnoſcent igitur ſimul (ſpe- ro) reſiſtibilitatem illam ab ipſis in hac theſi poni, quâ gratiæ operatio ab hominum arbitrio ſuperari poteſt, ac prorſus impediri: id enim eſt quod in iſtâ concluſione negatur. Non ſatis igitur ſimpliciter agebant (p.276.) quum hanc ipſam ſententiam cautiùs quam veriùs rejicere ſtudebant, quaſi non ſuam. *Hoc ſuperare* (ajunt) *non habet in hoc argumento locum:* ſed monent & conſiderari volunt, *non tantum actum, ſed & potentiam reſiſtendi, hoc argumento tolli.* Quatenus hoc poteſt admitti, in ſtatu quæſtionis monſtravi. Ut verbo hic expediam, nec omnis potentia, nec actus omnis reſiſtendi tollitur: ſed 1. actus illius reſiſtentiæ, quæ ſuperans eſt & prorſus impediens, ſic ut ipſa verba præ ſe ferunt. 2. Non omnis potentia diſſentiendi, ſed poſſibilitas hujus eventus, ut actu non convertatur, qui ſic movetur ad converſionem.

Propoſitionem argumenti negant, quia *poteſt eſſe ſuaſio,* 2.

cujus ratio & argumentum ab ejuſmodi rebus ſumerentur, quas nemo poteſt excogitare, neq; in manu ſuâ habet præter ſolum Deum, à bono puta ſupernaturali vitæ æternæ, &c. illa ſuperaret omnem humanam & creatam virtutem, neque eſſet tamen irreſiſtibilis. Sed 1. ſuaſionem non ſufficere ex ijs quæ dicta fuerunt ad argumentum proximè præcedens, ſatis eſt manifeſtum. 2. Reſponſum hoc non aptatur ad argumentum: contendunt enim Noſtri modum operationis, quo Deus utitur in homine convertendo, efficaciorem eſſe quam ut ab homine ſuperetur: de modo autem non reſpondetur, ſed de rebus objectis, quas tales eſſe narrant, ut omnem humanam virtutem ſuperent. 3. Illius modi vim non poſſe ab homine ſuperari, quod in argumento ponitur, longè aliud eſt, quam argumentum uſurpatum in illo, ſuo modo ſuperare vim humanam, quod regerunt iſti. 4. Superare in operationis efficaciâ vim omnem repugnantem, qui ſenſus eſt argumenti, & ſuperare dignitate vel eminentia naturæ apprehenſionem & aſſequutionem quærentis, quod Remonſtrãtes intelligunt per boni ſupernaturalis exuperationem, duo ſunt diverſa. 5. Bonum illud propoſitum in ſuaſione, vita ſcilicet æterna, non eſt in anima realiter, ſed notionaliter tantum, ex conceptu rationis: fieri igitur non poteſt ut moveat voluntatem tanquam cauſa realis verè ac propriè agens, ne reſiſtibiliter quidem, ſed metaphoricè tantum per modum finis.

3\. De proportione quam converſionis opus habet ad excitationem à morte corporali, obſervant iterum, *ſimilitudines non eſſe ulterius extendendas, quam ipſa rerum natura fert.* Quod fruſtra monent, niſi poſſint oſtendere, hujuſmodi peccatum in hoc argumento committi. Id verò ne conantur quidem facere. Nec certè nimis extenditur hæc ſimilitudo, quum ſimilẽ vim requiri dicitur ad converſionem hominis, ac ad excitationem à morte corporali. Nam hactenus extenditur ab ipsâ Scripturâ: nec ſolum hactenus. ſed

ſd&ulterius etiam quorundam doctorū judicio. Sic enim
ter cæteros Hēmingius in Ioh. 11. *Tametſi non videtur pro-*
anis hominibus miraculum, homines in peccatis ſuis mortuos vo-
Evangelij revocari ad vitam, revera tamen maximè miraculum
ſ, & ſanè non minus quam corporaliter mortuum revocare ad vi-
m hanc caducam.

Citatorum locorum nullum (dicunt) *agere de Dei gratiâ, quâ*
les in nobis efficitur. 1. Si verò efficaciam invictam in ullâ
rte operationis illius, quæ gratiæ eſt, oſtendant, conci-
t theſis Remonſtr. quæ non in initio ſolo, ſed & in pro-
geſſu etiam reſiſtibilem eam ſtatuit. 2. Si tam potens effi-
cia in progreſſu requiratur, quum vivit quis Deo, tum
l initium quando mortuus in peccatis jacet, minor po-
ntia ſufficiens non poteſt æſtimari. Ijſdem nutrimur, ex
ibus conſtamus: eâdem gratiâ vivificamur, & in vitâ
rvamur. 4. De illâ etiam gratiâ, quâ fides efficitur, non
llum ſaltem ex iſtis locis agere ſequens hæc indagatio
onſtrabit.

Primus locus eſt Eph. 1. 19. *Et quæ ſit excellens illa magni-* Eph. 1. 19.
do potentiæ ipſius in nobis qui credimus, pro efficacitate roboris
ius, quam exeruit in Chriſto, quum excitavit eum à mortuis, &c.
xcipiunt 1. Remonſtr. *Fidem hic ſtatui non ut eminentis illius*
tentiæ fructum, ſed ut qualitatem vel actionem præcedaneam in
, quibus Apoſtolus precatur, ut ſupereminentem illius potentiæ
gnitudinem ſciant. Quaſi hæc duo ſic inter ſe pugnarent,
 ſimul conſiſtere nullo modo poſſint. Errant multum ſi
a credant: eadem fides fuit & qualitas vel actio præce-
anea reſpectu precationis Apoſtolicæ, ac ſcientiæ Ephe-
orum, & fructus etiam eminentis illius poteſtatis: non
ertunt hæc ſeſe mutuò, ſed ſtabiliunt potius ut intelli-
ens quiſque percipere facilè poteſt.

D. Calvini, ſcilicet, judicium ſequentes, *efficacitatē illam*
boris Dei, cum fide connectendam eſſe negant, tanquam ejus eſſet
uſa, Sed 1. quamvis poſteriora illa verba, *pro efficacitate*
fortis

fortis roboris ipſius, referenda non eſſent ad verbum credendi, vel ad credentes, antecedẽtia tamen quæ ſunt ejuſdem planè valoris, non poſſunt aliò referri, *excellens illa magnitudo potentiæ ipſius in nobis qui credimus*. 2. Calvini beato nomine abutuntur miſerè, dum auctoritatem ejus prætexunt interpretationi ſuæ. Putat ille quidem efficaciam illam potentiæ non eſſe referendam ad verbum credendi *tantum*, non tamen rejicit penitus illam conſtructionem: rem ipſam verò, potentiam nempe, & efficax robur Dei, cauſam ibi ſtatui vocationis & fidei noſtræ, pro confeſſo habet & indubitato: quod ut liquidò appareat, & argumentum hoc ſimul etiam non parum illuſtretur, graviſſimis ejus verbis hunc locum ornare juvabit. *Videmus ut ſibi nunquam ſatisfaciat Paulus in prædicandâ noſtrâ vocatione, & ſanè mirifica Dei virtus hic ſe profert, quum à morte traducimur ad vitam: atque ex filijs gehennæ filij Dei & vitæ æternæ hæredes efficimur. Stulti homines frigidam eſſe hyperbolen hoc loco putant: ſed qui varijs conſcientiæ certaminibus, quibuſcum pij quotidiè confligunt, ſunt exercitati, facilè agnoſcent, nihil hic amplius fuiſſe dictum quam oportuerat. Revocat eos ad conſiderandam Dei potentiam, ac ſi doceret eorum regenerationem opus eſſe Dei: neque id vulgare, ſed in quo immenſam ſuam virtutem mirabilem declaraverit.* Sed præter D. Calvini nomen habent etiam unde probare ſe poſſe putant quod volunt. *Alioqui* (ajunt) *Paulus precaretur, ut ſcirent quomodo convertantur, quod eſt abſurdum, & non neceſſarium ſcitu, quod & nemini in hac vitâ plenè poteſt notum reddi.* At verò temeritas hæc eſt nimis inconſulta *abſurdum* id appellare, quod Chriſtianos omnes maximè decet, *non neceſſarium*, quod ſummum habet edificationis uſum, & *non quærendum*, quod plenè non poteſt in iſtâ vitâ acquiri. Quid autem vocatos magis decet, quam ſcire & profiteri vocationem ſuam gratioſo & efficaci modo à Deo fuiſſe adminiſtratam? Quid magis eſt uſui, quam hujus modi ſæpius meminiſſe?

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

Quamvis etiã non poſſunt hũc modum penitus &plenè ſcire, dum iſtic vivunt(quid enim eſt quod plenè ſcimus?) hoc nihil tamen impędit, quin aliquã ejus perceptionem Epheſijs optet Apoſtolus: ijſdem enim optat illius charitatis cognitionem, quã fatetur ibidem ipſe cognitionẽ omnem ſuperare. Eph.3.19. Fundamẽtis iſtis arenoſis concluſionẽ adſtruunt ejuſdem notæ. *Hic itaq;* (dicunt) *tribuitur Deo efficax actio in fidelibus ut intelligant, quanta ſit Dei potẽtia in ijs quos non minus neq; aliter die noviſſimo è mortuis excitaturus, quã propriũ filiũ: quam potentiam Deus, & in nobis qui credimus exeruit in eo, quod uti Chriſtũ propter nos è mortuis excitavit, & ad dextrã ſuam collocavit &c. ſic & nos cũ eo vivificavit, excitavit, & collocavit in cælis.* Nã. 1. ſi efficacia hujus potentię referenda fuiſſet ad reſurrectionẽ futuram in die noviſſimo, tum eam in pręſenti in fidelibus tam excellenti modo exerceri nequaquã dixiſſet Apoſtolus, ſed exſerendã in futuro, ſicut in pręterito, eam exſertam fuiſſe in Chriſto narrat. 2. Apud Apoſtolum ipſum C.2.5. expreſſam applicationem habemus hujus efficaciæ ad reſurrectionem illam primam, quæ eſt in converſione. 3. Potentiam illam, qua mortui excitantur, in nobis qui credimus, exſertam eſſe cum dicunt, totũ argumentum concedere videntur. Major enim nonnunquam exſeritur in nobis potentia, dum iſtic in vivis manemus, quàm in opere converſionis. 4. Miror quo ſenſu velint id intelligi, quod addunt, *omnipotentiam illam divinam, exſertam fuiſſe in eo, quod nos cum Chriſto vivificavit, excitavit, & collocavit in cælis.* Ego certè ne conjecturâ quidem poſſum aſſequi, ut cum eorum dogmatis hoc poſſit conciliari.

Reſpondent ultimo in loco, *quamvis efficacitas hæc roboris Dei, referenda eſſet ad fidem, tanquam ejus cauſam, non tamen firmum foret argumentum, quia non eſt cauſa fidei efficiens: talem enim cauſam particula κατὰ non neceſſariò notat: ſed fundamentum, quo fides nititur, ut Petrus docet* 1. *Pet.* 1.3. *Regenuit nos per reſurrectionem Ieſu Chriſti ex mortuis: quod reſurrectio* 2.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

Chriſti in nobis efficere, & fidem in nobis excitare per modum objecti ita conſideratur. verſ. 17. 18. Ubi dum ſecurè nimis cogitationibus quibuſdam crudis indulgent, in errorum acervum incurrunt. Nam. 1. quam inconſideratè ponitur illa diſcretio, *quamvis efficacitas hujus roboris, ſtatuatur fidei cauſa, tamẽ non eſt ejus cauſa efficiens, ſed fundamentum excitans fidem per modum objecti*, id eſt, quamvis cauſa ſit, tamen non eſt cauſa. 2. Si ſit cauſa, debet ad efficientem referri, quoniam nec materiæ, nec formæ, nec finis rationem habet hæc efficacitas ad fidem. 3. Præpoſitio illa κατὰ, *ſecundum*, quamvis non ubique denotet ejuſmodi vim cauſalem, ſemper tamen videtur eam ſignificare, ubi nominibus ijs præponitur, quæ actionem, operationem, & poteſtatem indicant. Sic Marc. 1. 17. κατ' ἐξουσίαν, *per poteſtatem etiam imperat ſpiritibus impuris*. Eph. 3. 7. κατὰ τὴν ἐνέργειαν τῆς δυνάμεως, *ſecundum operationem potentiæ*. & 4. 16. κατ' ἐνέργειαν *ex vi intus agente*. Sic Philip. 3. 21. Coloſſ. 1. 29. non exempla tantum ſunt uſum hujus vocis indicantia, ſed & firmamenta vel teſtimonia totidem argumentum ipſum non parum confirmantia: illa præſertim quæ ex hujus Epiſtolæ ad Eph. 3. 7. & 4. 16. petuntur, quæ ſi cum iſto loco cap. 1. 19. attentè conferantur, tres nobis indicant ejuſdem efficaciæ gradus (ut rectè obſervat acutiſſimus Theologus, Antonius Sadeel, de Spirit. manduc. object. 9.) *Primum Spiritus Sanctus generat in nobis fidem ſecundum efficaciam ejus potentiam. Eph.* 1. *deinde idem Spiritus nos cum Chriſto arctiſſimè conjungit, ſecundum potentiam efficaciter in nobis agentem. Eph.* 3. *denique nos reddit beneficiorum Chriſti participes, ex vi intus agente.* 4. Verba Petri, 1. 1. 3. nihil faciunt ad rem: in ijs enim nulla mentio fit efficacitatis hujus potentiæ, quam Paulus tantoperè commendat: non *docent* igitur (quod hic affirmatur) *efficacitatem illam ſtatui ut fundamentum, quo fides noſtra nititur.* 5. Conſideratio ſola reſurrectionis Chriſti, non poteſt hominem regenerare

nerare: quidquid enim fit ex conſideratione merâ, id præcipuè ac propriè fit à conſiderante: ſed hominem non dicent, ſpero, cauſam eſſe præcipuam ſuæ regenerationis. 6. Apertè hic Remonſtr. profiteri videntur nullam gratiam ad converſionem hominis neceſſariam eſſe, præter gratiam doctrinæ ac revelationis externæ: præſertim ſi his adjungatur Epiſcopij opinio, De perſpicuitate Scripturæ, cujus ſemel aut iterum ante feci mentionem. Socini veſtigia quis hic non videt expreſſa? 7. Perperam dicunt ex verſ. 17. & 18. palam fieri Apoſtolum hanc potentiam Dei conſideraſſe tantum ſub ratione objecti: æquè poſſunt colligere ex verſ. 18. opes ipſas gloriæ non alias nobis conferri quam proponendo. 8. Illud interim unum attentè debet obſervari, modum objecti, & modum efficientis cauſæ diſtinctas res eſſe, & multum differentes, fatentibus id Remonſtr. ipſis: atque adeò ſuaſionem ſolam, per objecti & ejus convenientiæ propoſitionem (in quâ gratię totam vim ab ipſis collocari palam ſupra feci) non habendam eſſe pro efficiente causâ converſionis noſtrę.

Secundus locus eſt Coloſſ. 2. 12. 13. *Cum eo reſurrexiſtis per fidem efficaciæ Dei, qui excitavit eum ex mortuis.* Tria hic obſervant Remonſtr. 1. *Poſſe hoc ſic intelligi, cum D. Calvino, ut ſignificet fidem in Dei virtute eſſe fundatam.* Quod ſalvâ quidem orthodoxiâ fieri poſſe non nego: ſed interpretatio tamen illa minus videtur accommodata. Nam 1. propoſitum fuit Apoſtoli, oſtendere quo pacto circumciſi vel regeniti erant, quum *ſine manibus* eorum circumciſionem factam eſſe dixiſſet, verſ. 11. aptiſſimum igitur fuit ut per efficacitatem Dei, vel manu Dei, non hominum, hoc efficı dicat. 2. Fundamentum fidem ſuſtentans non eſt propriè ἐνέργεια Θεȣ̃, *efficacia Dei*, ſed robur & poteſtas, cujus efficacia hæc eſt fructus. *Robur* enim, ut D. Calvinus in Eph. 1. obſervat, *eſt quaſi radix, potentia arbor, efficacia autem fructus*, qui in actum emergit.

Col. 2. 12. 13.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

2. Obſervant, *intelligi poſſe per fidem operationis fidem, qu Deus operatur in nobis ſuſcitationem ex morte peccatorum in vitæ novitatem.* Ubi incertum relinquunt, utrum fidelitatem intelligunt Dei, an fidem hominis in Deum. Si illam, aberrant ab Apoſtoli ſcopo,qui nullam juſtam cauſam habebat, cur faceret mentionem illius. Si hanc, tum ſuſcitationis totius non exponunt cauſam: nam ejus pars magna ponitur in ipſius fidei ingeneratione.

3. Obſervant, *Verba illa ſequentia, qui eum ſuſcitavit ex mortuis, non facere propriè ad deſcribendam Dei potentiam, ſed ad deſcribendum Deum.* Quaſi hæc duo inter ſe opponenda eſſent ac ſejungenda! deſcriptio potentiæ Dei eſt deſcriptio ipſius Dei. Non poteſt enim Deus nobis deſcribi, niſi per ſapientiam, juſtitiam, bonitatem, potentiam, vel ſimilem aliquam proprietatem. Quum etiam Deus deſcribitur per potentiam,in factis vel effectis potẽtibus elucentem,potentiæ ſimul & Dei deſcriptio datur. Sic in iſtoc exemplo rẽ habere cæcus eſt qui nõ videt. Imò eadem deſcriptio Dei,potentiæ Dei, & fidei in Deum ac ejus potentiæ explicationem quandam habet: ſicut & Rom. 4. 17. *Credidit Deo vivificanti mortuos, & vocanti quæ non ſunt tanquam ſint.*

2. Theſſ. 1. 11. Tertius locus eſt 2. Theſſ. 1. 11. *Precamur ſemper pro nobis, ut Deus noſter compleat omne ſuæ bonitatis placitum, & opus fidei potenter.* Reſp. Remonſtrantes. 1. *poſſe hoc fieri potenter, & tamen reſiſtibiliter, quia Evangelium eſt potentia Dei, homines tamen ei reſiſtunt.* Quod ſubterfugium potius eſt quam ſerium reſponſum. Nam. 1. quod potenter à Deo effici dicitur in Scripturâ, id ſic perficitur ut impediri non poſſit. Potentia enim Dei eſt omni potentia. 2. Evangelium eſt inſtrumentum arbitrarium potentiæ Dei, reſpectu Spiritus comitantis: ejus autem virtus ubi agit potenter, ſuperat omnem reſiſtentiam. Valida eſt enim ad ſubverſionem munitionum, ratiocinationes evertendo, omnemque ſublimitatem quæ ſeſe extollit adverſus cognitionem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

ionem Dei, & in captivitatem redigendo omnem cogitationem ad obediendum Chriſto. 2. Cor. 10. 4.

Reſp. 2. *Agi hic non de initio fidei, ſed de ejus incremento & conſtantia.* Quaſi (hoc enim ſæpius mihi eſt repetendum) majori opus eſſet potentiâ ad incrementum & conſtantiam fidei, quam ad ejus primam ingenerationem; & non ab eadem virtute augmentum & initium haberet. Neque video quomodo poſſint Remonſt. potentiam ullam precibus impetrandam, neceſſariam credere ad fidei incrementum, cum nihil fidelibus ad ſummam gratiæ perfectionē deeſſe docent præter voluntatis aſſenſum (Nicol. Grev. p. 235. 236.) quem etiam liberum in hominis arbitrio ſemper manere defendunt.

Reſp. 3. *Per opus fidei, hic propriè intelligi non fidem ipſam, ſed patientiam.* Sed 1. opus fidei nihil aliud ſignificat apud Paulum, quam operoſam vel efficacem, ſicut videre eſt ex collatione, Gal. 5. 6. cum. 1. Theſſ. 1. 3. ubi etiam apertis verbis diſtinguitur à patientiâ, *opus fidei, labor charitatis, patientia ſpei.* 2. Patientia fidelium adeò pendet ex eorum fide, quâ cum individuam habet connexionem ut una ſine alterâ compleri non poſſit.

Reſp. 4. *poſſe complementum hoc intelligi de præmio fidei conferendo.* Sed 1. prēmium illud finis potius eſt fidei, quā opus. 1 Pet. 1. 9. 2. Completionem hanc totum illud interſtitium complecti, quod eſt inter initium fidei, & ejus finem, Apoſtolus ipſe, quaſi terminos ejus conſtituens docet Philip. 1. 6. *Qui cæpit, perficiet uſque ad diem Ieſu Chriſti.*

Quartum & ultimum teſtimonium eſt 2. Pet. 1. 3. *Divina Dei potentia omnia nobis donavit, quæ ad vitam & pietatem pertinent per agnitionem illius qui vocavit nos ad gloriam ac virtutem.* Reſpondent Remonſtrantes ut prius, *divinam hic potentiam, non extendi ad fidei donationem, ſed ad fidem conſequentia.* Quod ſi verum eſſet, nihil tamen officeret argumento, ut ſæpius ante monſtravi. Sed rationis 2. Pet. 1. 3.

 illæ,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

illæ, quibus hoc probare conantur, parum aut nihil valent. 1. *Quia, hic non ſit votum de fide, ſed de multiplicatione gratiæ in fide, aut per fidem.* Quamvis autem votum quod verſ. 2. habetur, multiplicationem intendat talis gratiæ, confirmatio tamen ejus, quæ verſ. 3. continetur, peti poteſt ab ipſius gratiæ donatione primâ, ratiocinando ſcil. à pari, in hanc ſententiam, Deus vobis initium hujus gratiæ potenter donavit, optandum igitur & ſperandum eſt, ut multiplicationem ejus eâdem virtute concedat. Sic argumentatur Apoſtolus Paulus Phil. 1. 6. 4. 2. *Quia potens hæc donatio non fuit agnitionis, ſed eorum quæ ad vitam & pietatem pertinebant per agnitionem.* Fuit autem & agnitionis & cæterorum ex illâ pendentium. Hæc enim agnitio eſt principale donum, & reliquorum omnium fundamentum: ita ut de agnitione Chriſti non minus quam de Chriſto dicere nobis liceat cum Apoſtolo, qui hanc nobis dedit, qui non etiam cum hâc, & per hanc omnia nobis donabit? Et hanc vim habet quod iſtic dicitur, per agnitionem omnia nobis donari. 3. *Per donationem hoc in loco nihil aliud intelligi* (volunt) *quam propoſitionum magnorum promiſſorum in evangelio.* Quod ſi verum eſſet, tum propoſitio & propoſiti donatio unum eſſent ac idem; tum omnibus mortalibus donari dicerentur hæc omnia. Evangelium omnibus ex æquo proponi Remonſtr. affirmant, tum etiam propoſitio Verbi externa, ſatis potens eſſet per ſe ad hominem ſalvum faciendum.

Cap. VII.

Argumentum ſextum.

Pag. 317.

Gratiam converſionis eum in modum

SI hæc operatio gratiæ Dei in Chriſto non eſt efficacior, quam ut à pravæ humanæ voluntatis rebellione ſuperetur ſæpè ac impediatur, ſequitur multos hanc gratiam, id eſt, Spiritum Ieſu Chriſti vivificum, vel regenerationis ſpiritum accepiſſe, qui tamen non

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

*n fuerunt converſi, neque renati, & in quibus re ipſâ illa ſi-
on non effecit. Sed hoc verum non eſſe Scriptura docet, quum
nc gratiam Dei in Chriſto non eſſe communem oſtendit ijs, qui
nquam regenerantur, ſed eſſe gratiam peculiarem, quæ ſemper
lem & regenerationem efficit in ijs omnibus, qui ejus ſunt par-
ipes. Rom.8.14. 1.Cor.1.23.24. Ioh.14.17. Ioh.6.37.45. 1.Ioh.
13. Ioh.12.39.40. Ergo neque prius illud.*

operari, ut omnes per eam convertantur, qui ejus ſiunt participes.

Tam perplexè hic agunt Remonſtrantes, ut nihil po-
us habuiſſe videantur quam Lectorem fatigare conten-
onibus ingratis. 1. *Concluſionem hujus argumenti ſuæ theſi
n adverſari* (contendunt) *quia gratia poteſt eſſe tam efficax,
nunquam prorſus impediretur, & tamen reſiſtibilis eſſe.* Ubi
ciunt intelligendo ut nihil intelligant. Nam ſi tam ef-
ax eſt ut nunquam impediatur, id eſt, ſi efficacia in-
nſeca ipſius gratiæ tanta ſit, ut ſemper in actione ſuâ re-
gnantiam omnem vincat, tum neceſſe eſt ut ſit irreſiſti-
lis. Intelligunt (ſat ſcio) quidam per efficaciam gratiæ
entum ſolum, vel actualem ejus efficientiam: ſed talis
nſus non poteſt hic locum habere, ubi dicitur gratiam
m efficacem eſſe, ut nunquam impediatur, non ideò ef-
acem eſſe, quia nunquam impeditur. Efficacia hic po-
tur ut conſtans ac perpetua cauſa remotionis obſtantis
pedimenti, non ut ejus conſequens eventus.

Præpoſterè igitur fundari argumentum (ajunt) *ſuper ipſum* 2.
u impedire & reſiſtere, quum theſis agat de eo cui poteſt reſiſti.
d 1. theſis eſſet frivola, ſi moveret litem de reſiſtendi
tentiâ tali, quæ nunquam veniret in actum. 2. Argu-
entum non fundatur ſimpliciter ſuper ipſum actu impe-
re & reſiſtere, ſed ſuper efficaciam illam, quæ facit ut
nquam actu impediatur.

Hoc tamen conceſſo, conſequentiam in argumento nullam eſſe, 3.
cunt, *quoniam propoſitio eſt identica, tantundem valens ac ſi
tum fuiſſet, ſi gratiæ Dei ſæpè fuit repugnatum, ergo fuit illi ſæ-
repugnatum.*

Quod

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

Quod nihil aliud eſt quam nodum quærere in ſcirpo. Propoſitionis hæc vis eſt: ſi efficacia hujus gratiæ non ſit major, quam ut ſæpe impediatur, tum multi gratiam ipſam habent, in quibus effectum gratiæ non ſequitur. Ubi idem per idem non probatur, ſed hominis gratiam habentis conditio oſtenditur, ex natura gratiæ quam habet.

4. Proprius accedentes ad rem, propoſitionis conſequentem partem interpretantur, *de infuſione potentiæ & habitus fidei, unde poſtea ipſa fides re ipſa ſequitur.* Sed huic explicationi opponuntur ab ipſis tria. 1. *Pro confeſſo accipi, quod illi negant, nimirum ante ipſam fidem infuſionem talem habitus fidei præcedere.* Pro confeſſo ſcilicet haberi debet inter omnes hæredes gratiæ, vires novas nobis inſeri per gratiam divinam, antequam ſupernaturalem actum fidei poſſimus elicere, vel exercere: ne principium illud internum, cujus vi hoc agimus, virtus quædam naturæ putetur. 2. *Spiritus acceptionem ſtatui, deſtitutam hominis aſſenſu, aut voluntate accipiendi.* Quod verum ſit, an ſecus, hic nec ſtatuitur, nec deſtruitur, ſed in medio relinquitur. Arguitur tantum in præſenti, gratiam illam ab ijs non accipi in quibus non ſequitur converſionis effectum. De re ipsâ in loco ſuo diſputatum eſt, acceptionem ſcilicet ſpiritus, deſtitui aſſenſu antecedente, non tamen conſequente & concomitante: hoc eſt, prius ordine naturæ, quamvis non temporis, vires credendi nobis communicari, quam nos credamus. 3. *Cauſam cur multi manent irregeniti, in eo poni, quod Deus illis ſpiritum illum noluerit infundere.* Cujus collectionis nullam video juſtam rationem. Fieri enim poteſt ut omnes credant, qui ſpiritum illum infuſum habent, & tamen illi qui non credunt, ſint ſibimet ipſis infidelitatis ſuæ cauſa.

Ambiguitatem latere dicunt *in illâ ſententiâ: gratiam Dei in Chriſto non eſſe communem ijs, qui nunquam regenerantur: communem enim ijs eſſe quoad oblationem, ſed quoad participationem*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

onem, promiſſionem, & deſtinationem, gratiam Dei in Chriſto, qualis nobis propriè in Evangelio eſt manifeſtata, propriam eſſe fidelium. Sic unam dum tollere videntur ambiguitatem addunt ipſi plures. Nam 1. qualis illa gratia ſit, quam illi putant propriè in Evangelio manifeſtari, non liquet hic. Nos credimus illam gratiam, quâ facultas ipſa credendi communicatur hominibus, in Evangelio propriè manifeſtari: hanc autem deſtinari vel promitti ſolis ijs, qui jam credunt, ineptum eſſet affirmare. 2. Facultatem benè utendi dono illo, quod quis habet vel inſitum vel obtutum, omnium communem faciunt Remonſtrantes, quod poſſeſſionem ipſam: talem etiam facultatem gratiæ Dei in Chriſto tribuendam eſſe docent. (Art. 3.) Ergo gratiam Dei in Chriſto communem faciunt ijs, qui non regerãtur, quoad ipſam poſſeſſionem: niſi fortè ambiguitas aliqua abfuerit, quam adhuc reliquerunt inexplicatam. 3. Gratiam in mente recipi docent per irreſiſtibilem illuminationem, & in voluntate etiam eandem gratiam recipi per modum affectus, imò quidquid gratiæ recipitur irreſiſtibiliter recipi, etiam ab ijs qni reſiſtunt ipſi ac non convertuntur. Sic enim explicatur eorum ſentẽtia per Iohannem Arnoldi, Reſp. ad Bogerm. p. 2. p. 258. *Irreſiſtibilem gratiam appellamus quatenus aliquid imprimit, quod tantùm recipitur.* Et p. 262. *Actio gratiæ irreſiſtibiliter recipitur, non poteſt non recipi.* Hic tamen gratiam, quoad receptionem peculiarem eſſe fidelium fatentur. Vel aperta contradictio, vel ambiguitas magna in aſſertionibus iſtis contineri debet.

De Scripturæ locis agentes, illos omnes pronunciant à ſcopo aberrare: quod varijs etiam rationibus confirmare laborant. 1. *Conſequentiam potius probandam fuiſſe, quam aſſumptionem.* Si quidem cum Sophiſtis quis agat, qui voculas & ſyllabas captant, ut quacunque ſpecie poſſunt, in rem ſuam vertant, tum ſingulis particulis cautiſſimè proſpicere debet. Sed inter vi- 6.

ros graves conſequentiam talem ſuâ luce ſatis manifeſtam fore, non mirum eſt ſi viri boni putabant. 2. *Theſin ſuam de hac aſſumptione nullam controverſiam facere dicunt.* Quaſi in theſeos alicujus refutatione, aſſumptio Syllogiſmi debeat ipſi contradicere, & non ſatis ſit in concluſione argumenti negari illud, quod in quæſtione affirmabatur. Aſſumptio tamen, quâ nititur illa concluſio, probari debet imprimis ut eadem opera concluſio ſimul probetur. 3. *Nullum horum locorum loqui de irreſiſtibili ſpiritus infuſione in hominem, ut in inanem truncum, ex quâ poſtea reipsâ prodiret fides.* Neque verò talis infuſionis ulla mentio fuit in argumento: nec ex argumenti ſententiâ tale quid elici magis poteſt, quam ex irreſiſtibili mentis illuminatione, & affectuum inſpiratione, quam Remonſtrantes defendunt, ſequitur illuminari hominem & affectibus moveri tanquam inanem truncum.

7. De ſingulis teſtimonijs non nihil breviter monent. Rom.
Rom.8.14. 8.14. *Agi de fidelibus qui credunt.* Quod verum quidem eſt: ſed nihil impedit quin inde probetur, ſpiritum Dei non communicari niſi filijs Dei. verſ. 30. *Non agere de vocatione ad fidem, ſed fidelium ad crucem, &c*: Quod nec verum eſſe,
1.Cor.1.23 nec ſimile veri, in primâ quæſtione monſtravi. 1. Cor. 1. 23.
24. 24. *Agi de Evangelio, quo Chriſtus proponebatur, qui in virtute ac ſapientiâ agnoſcebatur à vocatis, id eſt, fidelibus, quia conſtat illis Deum ſe per Chriſtum ſapientiſſimum ac potentiſſimum demonſtrare ad ſervandos fideles.* Ubi nec falſum dicunt, nec totum id quod verum eſt, & ad hoc propoſitum ſpectat. Chriſtus enim & ſapientiſſimus & potentiſſimus etiam fuit in omnibus efficaciter vocandis & convertendis ad fidem. Ex ejus enim ſapienti electione & potenti voluntate fuit, quod vocabantur illi, quos deſcriptos illic habemus,
Ioh.14.17. ut Apoſtolus teſtatur verſ. 28. 29. Ioh. 14. 17. *Sermonem eſſe de infidelibus, qui non poſſunt verè ac ritè aſſentiri ſpiritui.* Et de ijs quidem ſermo fit, ſed non de ijs tantum: fit etiam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

eam ſermo de ijs, *apud quos manet & in quibus eſt ſpiritus*; qos omnes & ſolos recipere & noſſe eum poſſe Salvator firmat; reliquos enim non poſſe eum accipere: inter eos reliquos, non illi tantum numerari debent, qui ſunt profligatæ vitæ, ſed omnes non renati. Hæc quam benè onveniunt cum Remonſtrantium opinione, non poteſt eos latere, qui norunt ab ipſis defendi, *poſſe quemvis entis ſuæ compotem, omnem Scripturæ ſenſum ad ſalutem neceſſarium facilè percipere, ſine ſpeciali ſpiritus gratiâ: mentem ſufficienter illuminari & affectus per gratiam excitari, voluntatem etiam potentem fieri ad verè ac ritè aſſentiendum Deo vocanti, in multis non credentibus nec unquam credituri.* De Ioh. 6. 37. *ſat dictum eſſe* narrant *in reſponſione ad primam theſin.* Secundò nunc aut tertiò hujus loci vim, quâ non poſſint non graviſſimè premi, cauto ſilentio diſſimularunt, & ad primam theſin ſtudioſum Lectorem aſtutè relegant. Ibi autem nihil ſtatuunt de vero verborum horum ſenſu, ſed æquè incertum eum relinquunt, ac iſto loco, ubi nihil dicunt: ut videre eſt pag. 92. & in ijs, quæ dixi ego ad primæ partis argumentum primum. Eo pluris igitur nos facere debemus teſtimonium hoc tam luculentum, & magis urgere. *Denique* 1. *Ioh.* 4. 13. *agere volunt de donatione Spiritus, non quo creditur, ſed quo fideles confirmantur & obſignantur in diem redemptionis, ſicut & ſpiritu miraculorum.* Cujus diſtinctionis nullum fundamentum aut etiam veſtigium habetur in textu. Imò contrarium planè probari poteſt ex eo quod ſequitur verſ. 15. ubi omnium fidelium communem facit habitationem illam in Deo, quam in hac ſpirituali donatione cognoſci docet verſ. 13. quamvis igitur obſignabantur fideles hoc ſpiritu, etiam tamen rationem habuit obſignationis, quam ſpiritus ille miraculorum, qui paucis quibuſdã conceſſus fuit. Conſiderant in fine conſequentiam quandam argumento annexam, & probatam, ex Ioh. 12. 39. 40. conſequentia

Ioh. 6. 37.

1. *Ioh.* 4. 13

Ioh. 12. 39. 40.

eſt, *eos qui re ipsâ non credunt, gratiam Dei in Chriſto nunquam accepiſſe*. Concedunt hoc Remonſtr. modò illud *accipere*, ſic accipiatur, ut ab illis explicatum eſt: quomodo autem hoc ita poſſunt explicare, ut ſemet interim non implicēt contradictione, ego quidem non video. Vel enim aliquā gratiam Dei in Chriſto acceperunt illi qui non credūt, vel non ſunt potentes facti ad aliquid boni intelligēdum, cogitandum, volendum, & perficiendum (teſtibus ipſis Remonſt. in theſi tertiâ) ſed multos eorum qui non credunt potuiſſe credere docent, & omnes aliquo modo ſufficientē gratiam habere, ad fidem & ſalutem aſſequendam. Explicationem hujus nodi mittunt: amant potius in causā inquirere, quare ſcil. tales ſpiritum non acceperint, ac proinde non potuerint credere: & concedunt hoc eſſe quia Deus illum eis noluerit dare. Quid autem iſtis verbis conceſſerint, non bene videntur perpendiſſe: Deum ſcilicet quoſdam hortari, monere, vocare, & omni modo ad fidem invitare, quibus conſtituerit non dare ſpiritum, ſine quo non poſſunt credere. Concedent igitur, ſpero (negari namque non poteſt ab ijs qui prius illud agnoſcunt) impias & profanas eſſe calumnias eorum, qui diſpenſationem hanc divinam, hypocriſeos, inſipientiæ, injuſtitiæ & ſimilium fœdiſſimis titulis dehoneſtare ſolent. Sed quærunt inſuper, *Fueritne illa Dei voluntas abſoluta & præcedanea, nullâ occaſione ſumptâ ex eorum peccatis & impietatibus præcedentibus*? Quæſtiones iſtæ de cauſis remotis, & in ſinu Dei latentibus, nihil ſpectant ad hanc theſin. Reſpondeo, tamen omnis interna propriaque Dei voluntas eſt abſoluta & præcedanea, ſed reſpectu eventus, quatenus voluntas illa ferebatur in hoc objecto, hoc tempore, & hoc modo, habuit occaſionem ex hominum peccatis.

CAPUT

CAPVT VIII.

Argumentum ſeptimum.

Pag. 322.

Gratia converſionis operatur per modum efficacis tractationis.

SI operatio gratiæ Dei ſit efficax tractio, tum non eſt nudum illicium, quaſi pater alliceret infantem pomo, ſed voluntatem oſtram rebellem potenter & efficaciter ita mutat, ut ex invitis ſeu nvoluntarijs omnes ita tractos faciat re ipsâ voluntarios, ut ipſi re-ſtere nolint: alioqui poſſet Dei conſilium & voluntas ab hominibus npediri, contra quam dicitur. Iſa.14.27.& 46.10.11. Sed verum rius, Ioh.6.44. Ergo & poſterius.

1. Reſpondent iterum, ut ante, per illuſionem, *Totum hoc rgumentum nihil ſuæ theſi adverſari, neque ſententiæ ſuæ de gra-iâ reſiſtibili, quæ ſemper eſt reſiſtibilis, etiam cum non reſiſtitur pſi.* Hoc ſi de theſeos ipſius verbis affirmaſſent ſolis, nu-atorium quamvis fuiſſet reſpondendi genus, à veritatis amen ſpecie non adeò derelictum. Quum autem ſenten-iam ſuam de gratiâ reſiſtibili, eam eſſe paulò ante pro-eſſi ſunt (p.317.) ut *multos reipsâ gratiæ converſionis reſiſte-e, eamque impedire* putent, mirum eſt eos nunc affirmare, oncluſionem illam quæ huic dogmati planiſſimè contra-icit, ſententiæ ſuæ nihil adverſari. Sed & theſeos etiam pſius menti non minus adverſatur, quam ſententiæ præ-ictæ. Si enim efficaciter & potenter omnes illos volun-arios facit Deus per gratiam, quos ita trahit, tum ejus peratio non poteſt prorſus irrita fieri, vel ipſi non poteſt enitus reſiſti.

2. *Ioh.6.44.*

Socini verbis (quæ in Prælect. Theol. c. 12. ſect. 11. extant) argutum quid obtrudunt; *Ex contextu*, ſcilicet, *pro-ari poſſe negant, trahenti huic gratiæ nunquam reſiſti: quamvis nim nemo veniat niſi qui trahitur, fieri tamen poteſt, ut quidam rahantur & non veniant. Multo melius ſequitur, eos poſſe venire ui ſic trahuntur, quod poſſunt etiam multi, qui id actu non fa-iunt.* Ex verbis quidem ipſis verſ. 44. ſeorſim à cæ-eris conſideratis tam evidenter non poteſt illud colligi, ut

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

contradictioni nullus locus relinquatur. Si verò conjungantur illa verba cum ijs, quæ in textu partim antecedunt, & partim ſequuntur, tunc ad evidentiam deductionis nihil poteſt deſiderari. Dixiſſet antea dominus, *Quidquid dat mihi Pater ad me veniet* verſ. 37. dicit etiam poſtea in eandem ferè ſententiam, *Quiſquis audivit à Patre, & didicit, venit ad me* verſ. 45. Inter hæc duo tertium hoc intercedit effatum, *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater, qui miſit me, traxerit eum* verſ. 44. & poſtea repetitur verſ. 65. *Nemo poteſt venire ad me, niſi fuerit ei datum à Patre meo.* Eandem rem hiſce quatuor axiomatis explicari, adventum ſcilicet peccatoris ad Chriſtum, vel fidem in Chriſtum ex verbis ipſis manifeſtum eſt. Sibimet igitur mutuo fænerari debent lucem, quâ nos adjuvari poſſumus in mente Chriſti percipiendâ: quæ ſic eſt elicienda. *Quidquid dat mihi pater ad me veniet.* Hoc in verborum cortice non tollit quin alij etiam veniant, qui non ſunt à Patre dati. Eos enim omnes qui dati ſunt venire ſignificat, ſed non ſolos eos: at verò quia ſoli tales veniunt, & non alij, propterea Dominus paulò poſt addit, *Nemo poteſt venire ad me niſi Pater traxerit eum*: ut non ſolum omnes illos venire doceat qui à Patre dantur & attrahuntur, ſed & ſolos illos. Hæ igitur duæ veritates mutuò ſe juvant & ſententiam complent. Si enim priorem tantùm poſuiſſet Chriſtus, non tam planum fuiſſet, *ſolos* à Patre datos venire; ſi alteram ſolam dubitari potuiſſet, an *omnes* illi venirent? Quum utraque confirmatur, utrumque debet eſſe ratum inter omnes diſcipulos Chriſti: hoc præſertim quod à Remonſtrantibus in dubium vocatur, *omnes* tales venire, quia repetitur idem denuo verſ. 45. *Quiſquis audivit à Patre & didicit venit.* Neque ferendum eſt certè, ſic enervari hæc dicta Chriſti divina, ut potentiam ſolam veniendi inculcent, & rem ipſam incertam relinquant: quæ eſt Remonſtr. gloſſa. Non enim philoſophatur Dominus de ab-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

:racta fidei naturâ, nec directè docet, quid poſſit quis, ut non poſſit, ſed terrore & minis movere ſtudet quoſ-iam ſuorum auditorum, oſtendendo eos omnes venturos d ſe, quos Pater ei dedit, atque adeò eos non eſſe à Pa-re ad ſalutem ordinatos, qui non venirent: alios vero onſolari & confirmare quia non deeſſent, qui in ipſum rederent, quamvis multi Iudæorum in infidelitate ſuâ nanerent. Omnia indicant actum veniendi, non poten-iam ſolam in Chriſti verbis inculcari. Neque ullus eſt lo-us in Evangelio toto, nedum in iſto capite, ubi *venire* ihil amplius denotat quam potentiam veniendi.

De nudo illicio hanc phraſin intelligi dicunt ab Augu-tino, Oecolompadio, Bucero, & Melanthone: quod ve-um non eſt. Quamvis enim per illicium ac invitationem liquatenus illuſtratur hic locus ab auctoribus iſtis, quem-dmodum à noſtris etiam fieri ſolet, Auguſtinus tamen, uem cæteri ſequuti ſunt præeuntem, altius aliquid ſub-ſſe, quam illicium nudum clarè ſatis indicat. Contr. luas Epiſt. pelagij l. 1. c. 19. *Non ait, duxerit, ut illic aliquo modo intelligamus præcedere voluntatem: quis trahitur ſi jam volebat? & tamen nemo venit niſi velit. Trahitur ergo miris mo-is ut velit, ab illo qui novit intus in ipſis hominum cordibus ope-ari, non ut homines quod fieri non poteſt, nolentes credant, ſed t volentes ex nolentibus fiant.* Sed mirum non eſt Auguſti-um aliter ab ijs intelligi, nam ne in argumento quidem ſto, cui jam occurrunt, plus aliquid ſtatui concedent, quam gratiam allicientem, quum operatio ejus talis eſſe licitur, *quâ repugnans noſtra voluntas re ipſa ita mutatur, ut x invitis voluntarios efficiat, quia poſſunt & inviti voluntarij eddi ſolo illicio.* Miri homines, qui ubi maximè videri vel-ent oculati & cernentes acutùm, ibi vel cæcitatem ſum-nam, vel dolum non bonum apertè produnt. Prætereunt nim quaſi non dictum, quod cum emphaſi poſitum fuit 1 operationis hujus deſcriptione; illâ ſcil. voluntatem

noſtram

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

noſtram rebellem *potenter & efficaciter ita mutari.* &c. His verbis diſtinguitur operatio deſcripta ab allicio nudo. Nemo enim qui ſuaſor merus eſt, quamvis omnium ſummus, dici poteſt (niſi per hyperbolen ſummam) *potenter* & efficaciter mutare voluntatem alterius ipſi repugnantem: imò ne mutare quidem propriè loquendo, quia proponit ſolum argumenta, quibus alter ſic uti poteſt, ut voluntatem ſuam ipſe mutet. Has igitur voces non debuiſſent ex deſcriptione delere.

4. *Aequum eſſe* (dicunt) *ut à Noſtris explicetur, quid ſit hæc tractio, quando quid non ſit exponunt.* Qui verò hoc æquum eſſe pronunciant, ut non minus quid res ſit, quam quid non ſit, exponatur, ij ſemet iniquè nimis agnoſcere debent egiſſe, in eo quod unicum illud hujus controverſiæ caput, *reſiſtibilitatem*, nuſquam planè per totam hanc diſputationem explicatum dederunt, ita ut auctoribus ipſis dicere poſſit Lector, *hoc eſt. Vocem reſiſtibilis non accipimus* (inquiunt) *ſimpliciter pro repugnare, non pro ſuperare.* pag. 274. 276. Quid non ſit ſæpiùs narrant, quid ſit, non dicunt, ſæpiùs licet rogati. De tractione ſententia noſtrorum ſatis eſt clara, *Deum ſcilicet hominem trahere, quum virtutem veniendi communicat, & quâ externè, quâ internè ſic movet, ut indeclinabiliter veniat ad Chriſtum.*

5. *Irreſiſtibilitatem gratiæ non poſſe probari putant, ex voce trahendi, quia eadem vox in multis locis reſiſtibilem actionem notat.* Reſpondeo, quamvis vox eadem aliam habet alibi ſubjectam ſententiam, tamen 1. Nullibi per totam Scripturam uſurpatur, quin illum habeat uſum, & ſummum efficaciæ gradum deſignet, qui tali cauſæ circa tales res attribui poteſt. Quum igitur Deo hic tribuitur circa voluntatem humanam, quam habet in manu ſua, ſicut rivum aquarum dirigendam, & in eo negotio quod ſummam virtutem requirit, ſcilicet in converſione peccatoris, par eſt ut hic potentem & realem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

ealē efficaciam notare putetur. 2. Ubi alio ſenſu hæc vox
ſurpatur, ibi res illa, quæ hoc modo facta fuiſſe dicitur,
lio etiā medio fieri potuiſſe patet. Sic Act. 20. 30. Diſcipu-
otuiſſent perverti, quamvis à falſis illis doctoribus non
iiſſent *abſtracti*. Apoc. 12. 4. Stellæ cæli cadere potuiſſent,
uāvis Draco non traxiſſet eas caudâ. Hic verò longè ali-
er ſe res habet, ſi peccatores enim non trahantur à Patre,
on poſſunt venire ad Chriſtū, ſicut Dominus ipſe teſtatur.
Exinde etiam apparet actionem planè divinam hac voce
ic deſignari (ut Cyrillus obſervat lib. 3. cap. 39) quod Deo
atri attribuitur: quod ideò factum videtur, ne ſi Chriſto
εανθρώπῳ tributum fuiſſet, opus ipſum videretur huma-
um. 4. Quum ſuſcitationem mortuorum ſibimet hic
ibuit Chriſtus, & tractionem hominum ad ſe, Patri, (ne-
o poteſt venire ad me niſi *Pater* qui miſit me traxerit
um: & *Ego* reſuſcitabo in noviſſimo die) veriſimile vide-
ur non minoris poteſtatis eſſe, tractionem hominum ad
hriſtum, quam eorum à mortuis reſuſcitationem: ſic
nim quod minus eſt tribueret Chriſtus Patri, & ſibimet
ſi quod majus eſt. 4. Illud certiſſimum eſt tractionem
anc interioris & efficacioris, adeoque ſuperioris eſſe
rtutis, quam verba & opera Chriſti externa. Iudæi verſ.
. quærebant à Chriſto ſignum, quo moveri poſſint ut
redant in ipſum. Chriſtus poſt alia reſpondet verſ. 36.
idiſtis me (id eſt ſigna mea, tam in verbis quam in ope-
bus, Math. 12. 39. 40. 41.) *& non creditis*: & hanc occaſio-
em arripit verſ. 37. 44. 45. fidei cauſam in altius revocan-
i principium ſupra ſigna, & ſupra verba exteriora, quæ
er ſe non poſſe dicit homines ad fidem inducere, ſed *do-
ationem, tractionem*, & *inſtructionem* divinam, & præter &
upra hæc ad fidem veram ingenerandam requiri. Hoc
gitur fuit proprium Chriſti propoſitum in hoc loco pro-
are media hæc externa, aut allicium in ijs latens, non ſa-
s eſſe in ſeſe ad homines efficaciter convertendos.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

Addunt Remonſtr. 2. (cum Socino) *Irreſiſtibilitatem eo minus ex voce trahendi deduci poſſe, quia ſtatim ſequitur, ſi quis audierit & didicerit à Patre, ad me veniet, hæc igitur tractio fit audiendo & diſcendo, quorum neutrum poteſt fieri modo irreſiſtibili. Et 3. trahere idem eſſe quod dare, verſ. 65. quæ autem creaturæ rationali dantur, propriè ſunt talia, quæ poſſunt rejici vel recipi.* Quarum allegationum vanitatem percipiet ſtatim & rejiciet Lector, ſi in memoriam revocet quid ipſimet Remonſtrantes concedunt pag. 273. *Virtutem*, ſcilicet, *Spiritus ſancti in mente noſtrâ irreſiſtibilem eſſe, quando Deus nobis voluntatem ſuam patefacit, quoniam mens noſtra ipſum ſcire non poteſt effugere, & in animo noſtro, quando illum pulſat: quia velimus nolimus cogimur illud ſentire.* Hic enim apertè fatentur audire, diſcere, & ſcientiæ ac affectuum bonorum donum accipere homines irreſiſtibili quâdam virtute. Illud etiam non debet præteriri, quod in ipſo textu, peculiaris quædam audiendi ac diſcendi ratio notatur: *Si quis audierit ac didicerit à Patre*, non ab homine, *ad me veniet.* 4. Obſervant quarto in loco, *poſt veniendi facultatem datam, hominis eſſe venire voluntariò, quod cum gratia irreſiſtibili conſiſtere non poteſt.* Quod obtrudunt quidem ſæpiùs, ſed non probant. Talem verò irreſiſtibilitatem, qualem nos in iſtâ causâ defendimus, cum inclinatione non voluntariâ tantùm, ſed & ſpontaneâ, optimè convenire, elogium illud quod Apoſtolus tribuit Tito. 2. Cor. 8. 16. 17. perſpicuum facit intelligenti Lectori, *Gratia habetor Deo, qui cordi Titi indidit idem ſtudium pro vobis, quod tum exhortationem illam gratam habuit, tum verò quod majore ſtudio ultrò, vel ex propriâ voluntate (αὐθαίρετος) ad vos iter ſuſcepit.* Deus hoc indidit cordi vel voluntati Titi, & in ſolidum indidit per ſuggeſtionem & inclinationem verè efficacem ac infallibilem, aliter operis hujus gloria non deberetur ipſi in ſolidum: Titus tamen, ultrò, ſpontè, & ex propriâ voluntate perficit id, ad quod hoc modo movebatur à Deo.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

[illegible]o. 5. Adnotant ultimò, *Alias voces, in Scripturis uſur-*
p[illegible]i, quæ violentiorem habent notationem, *Luc.*14.23.*&* 24.29.
[illegible]ibus tamen non notatur violenta tractio, ſed amica invitatio.
[illegible]d 1. nec violentam tractionem in iſtâ voce notari dici-
[illegible]us, ſed efficacem ſolam. 2. Nec ſolâ nudâque voce ni-
[illegible]ur hæc collectio, ſed alijs etiam firmamentis. 3. In uno
[illegible]rum locorum eadem vis notatur, quæ eſt in hac tractio-
[illegible], quæ humanam ſuperat invitationem: nempe Luc.
[illegible].23. in altero hyperbole talis eſt, ut à currente quovis no-
[illegible]ri poſſit. Plus autem aliquid per tractionem hanc à Chri-
[illegible] ſignificari, quam ab Evangeliſtâ per *coactionem*, Luc. 24.
[illegible]. vel ipſimet Remonſtr. concedunt, vel verba nobis
[illegible]nt in paragraphi concluſione, ubi fatentur gratiam prę-
[illegible]nientem, excitantem, moventem, efficaciter & reipsâ
[illegible]erantem à Chriſto ſignificari vocibus illis *audiendi ac tra-*
[illegible]ndi. Imò ſi ſyncera hæc eſſet confeſſio, totam hanc li-
[illegible]m ſtatim finiret. Nam gratia illa, quæ præveniendo
[illegible]luntatis noſtræ actum, efficaciter & reipsâ converſio-
[illegible]em hominis operatur, non ſic agit, ut in hominis arbi-
[illegible]io relinquat utrum velit converti nec ne: ſed fallacia
[illegible]nt & phalerata verba. Per gratiam enim pręvenientem
[illegible]fficaciter in homine & re ipsâ operantem, operationem
[illegible]ominis ipſius intelligunt, gratioſa Dei monita ſequentem.
Quem in finem etiam, conſiderandam nobis proponunt
[illegible]ntentiam quandam Auguſtini, ex lib. de Spir. & lit. c. 34.
[illegible]iſorum ſuaſionibus agit Deus, ut velimus & ut credamus, ſive
[illegible]ctrinſecus per evangelicas exhortationes, ubi & mandata legiś
[illegible]liquid agunt, ſi ad hoc admonent hominem infirmitatis ſuæ, ut
[illegible]d gratiam juſtificantem credendo confugiat, ſive intrinſecus, ubi
[illegible]emo habet in poteſtate quid ei veniat in mentem, ſed conſentire
[illegible]el diſſentire propriæ voluntatis eſt: Sed fruſtrà; neque enim
[illegible]ic aſſerit Auguſtinus, ſolis viſorum ſuaſionibus Deum
[illegible]gere ut credamus: hoc illud eſt quod in Pelagio dam-
[illegible]at Lib. de Grat. Chriſti contra Pelag. & Cæleſt. cap. 7.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

10. 13. 24. nec ſic humanæ tribuit voluntati conſentire vel diſſentire, ut conſenſus vel non pendeat interim à gratiâ præveniente, vel incerti ſit eventus in ijs qui vocantur ſecundum propoſitum. Longè aliam fuiſſe mentem ejus, alia indicant loca, ut de Correp. & Grat. cap. 14. *Deo volenti ſalvum facere, nullum hominum reſiſtit arbitrium: ſic enim velle aut nolle in volentis aut nolentis eſt poteſtate, ut divinam voluntatem non impediat, nec ſuperet poteſtatem. Non eſt dubitandum voluntati Dei, qui in cælo & in terrâ omnia, quæcunque voluit, fecit, & qui etiam illa quæ futura ſunt fecit, humanas voluntates non poſſe reſiſtere, quo minus faciat ipſe quod vult, quandoquidem de ipſis hominum voluntatibus quod vult facit Deus: magis habet in poteſtate voluntates hominum, quam ipſi ſuas.* Sed opus non eſt ut aliundè petamus confirmationem hujus rei, teſtimonium luculentum habemus in eo ipſo capite, quod Remonſtr. allegant. *Si ad illam profunditatem ſcrutandam quiſquam nos coarctet, cur illi ita ſuadeatur, ut perſuadeatur, illi autem non ita, duo ſola occurrunt interim quæ reſpondere mihi placeat, O altitudo divitiarum: & Nunquid iniquitas apud Deum? cui reſponſio iſta diſplicet, quærat doctiores, ſed caveat ne inveniat præſumptiores.* Satis hic innuit Auguſtinus ex prædefiniente & inſcrutabili voluntate divinâ provenire, quod unus credit potius quam alius.

Ad argumenti propoſitionem confirmandam, incommodum grave, quod illâ negatâ ſecuturum erat, proponebatur: nempe *alioquin poſſe Dei conſilium & decretum ab hominibus impediri.*

Conſilium Dei ab hominibus poſſe reſcindi ex ſententia Remonſtr.

Regerunt hic Remonſtrantes, 1. *Non eſſe hoc abſurdum, quia Luc. 7. 30. Phariſæi & Scribæ conſilium Dei adverſus ſe rejecerunt ac inefficax reddiderunt. Et Num. 14. 30. Iſraelitæ impediverunt & aboleverunt conſilium Dei de ipſis etiam jurejurando confirmatum.* Quid igitur ipſis abſurdum videbitur (miror) quod vel ſuam cauſam juvare poteſt vel adverſam infirmare?

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

rare? Conſilium Dei ab hominibus poſſe reſcindi, tam
bſonum hoc, & indignum Deo, ut ne nominari quidem
iter pios debeat. Scripturis vim faciunt maximam, dum
ujus criminis participes eas fieri invitas quaſi cogunt.
uc.7.30. ſuperciliosi quidam Phariſæi, ſpreviſſe dicuntur *Luc.7.30.*
el contempſiſſe ſapientem illam inſtitutionem Dei,
uæ à ſapientiæ filijs agnoſcebatur, Baptiſmum ſcilicet,
: prædicationem illam regni, quam Iohannes & Chri-
us urgebant. De reſcindendis Dei decretis non legitur
i quidquam.

Ex Num. 14.30. Conſilium Dei etiam jurejurando fir- *Num.14.30.*
natum, ab hominibus abrogari, eâdem audaciâ collige-
: ſtudent Remonſtrantes, quâ Socinus (Prælect. theol.
ap. 11.) abutitur eâdem hiſtoriâ, ad præſcientiam Dei,
um ſacrilegio maximo, labefactandam. Iusjurandum *Heb.6.17.*
nim, ut Apoſtolus diſertè docet, Heb.6.17. abundè ſem-
er oſtendit τὸ ἀμετάθετον τῆς βουλῆς αὐτοῦ *immutabilitatem con-
lij divini*: quia eſt πρᾶγμα ἀμετάθετον, ἐν ᾧ ἀδύνατον ψεύσασθαι
εὸν: *res eſt prorſus immutabilis, quam Deus non poteſt non præ-
are.* Iuravit quidem Deus daturum ſe terram illam bo-
am populo Iſraelitico, nec irritum factum eſt jusjuran-
um illud, quamvis multi ex illo populo ceciderint in de-
erto, ſed in liberis eorum conſervabatur firmū ac ratum.

2. Reſpondent Remonſtr. *Dei decretum non eſſe abſolutè
unc aut illum convertere, ſed aut convertere, aut ni id fiat, in-
xcuſabilem reddere: & alterutrum ſemper obtinere, atque eâ ra-
ione conſilium Dei ſemper manere firmum, vel in promiſſionibus
ius, vel in minis.* Decretum ſcilicet Dei vel conditiona-
e fingunt, vel disjunctum: conditionale ſic: Volo hunc
ut illum convertere, ſi ipſe velit, ſi non velit, inexcuſa-
ilem reddere. Disjunctum ſic: Volo hunc hominem,
ut convertere, aut inexcuſabilem reddere. Priore
enſu Deus nihil propriè ſtatueret, ſed in hominis
oluntatem conjiceret, non eventus tantum, ſed & ſuæ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

voluntatis determinationem. Conditionatum enim vel connexum axioma, nihil propriè ponit, niſi conditio ponatur prius, & conditionis illius poſitio determinatam reddit ſententiam, quæ prius fuit indeterminata. Connexio etiam primaria, identica videtur eſſe ac vana: Si velit; convertetur, hoc eſt, ſi convertetur, convertetur, vel ſi volet, volet: volitio namque converſionis, eſt volitionis converſio. Poſterior ſenſus 1. Decretum illud affingit Deo, quod ab ejus perfectione alienum eſſe Suarez ipſe fatetur, qui tamen in iſtoc articulo cum Remonſtrantibus idem planè ſentit. Sic enim ille (De Præd. l. 1. c. 13. ſ. 5.) *Præparatio mediorum, confuſo modo, & ſub disjunctione, ut ſi unum non habuerit effectum, applicetur aliud, hic (inquam) modus non eſt conſentanens divinæ perfectioni: ad quam ſpectat, ut ex certa ſcientia, diſtinctè & in particulari, omnia diſponat, juxta uniuſcujuſque rei dignitatem & capacitatem.* 2. Incertum reddit conſilium totum Dei, nec voluntatem divinam converſionem cujuſpiam magis intendere facit, quam ejus convictionem. Nam in effato disjuncto par eſt ratio, & æqualis vis utriuſque partis. Dei autem decretum de convertendis aliquibus ad fidem, ſimplex, efficax, & abſolutum eſſe, promiſſio Abrahæ facta oſtendit, *Patrem multitudinis gentium conſtitui te, fæcundabo te quam plurimùm, efficiens tibi gentes multas.* Gen. 17. & fædus illud cum Chriſto initum, *viſurum eum ſemen longævum, & regnum habiturum in medio hoſtium ad finem uſque mundi.* Fidelium videmus generationem, vel converſionem, abſolutè promitti (non prædici tantum) & pactionum harum vi, infallibiliter debere præſtari, quod ſine abſoluto decreto præcedente, non potuit ullo modo fieri. Zanchius & Pareus, quos licet ipſorum Cauſæ inimiciſſimos à ſe ſtare fingunt hic Remonſtr. nihil habent cum iſtoc errore commune. Quamvis enim quoad ſententiam Dei in ſcripturis expreſſam, & habitudinem etiam

variarum

ariarum rerum inter ſe, quæ in decreto Dei continen-
ur, decretum ipſum conditionale dici poſſe concedant;
æternum tamen Dei decretum abſolutum eſſe ubique
ontendunt.

De Scripturæ teſtimonijs, quibus Dei conſilium im-
pediri non poſſe probatur, nempe Iſa. 14. 27. & 46. 10. *Eſai. 14. 27. & 46. 10.*
Iehova inivit conſilium, & quis irritum faciet? Conſilium meum ſtabit. &c. videri vellent ſatisfeciſſe Lectori, quum di-
ſtinctionem adhibuerunt, à Socini incunde calentem
(prælect. Theolog. cap. 7.) quamvis adeò obſcura ſit illa
& imperfecta, ut rem ipſam non minus dubiam relinquat,
quam invenit.

Non agunt (inquiunt) *hæc loca de conſilio & decreto, quale hic conſideratur, ſed de decreto aliquid potenter efficiendi, quod etiam exequitur omni potenti manu, non ſicut infirma idola, ſed ut robuſtus & potens Deus.* Sed 1. Diſtributionem conſtan-
tem ex contradicentibus, qualis hæc eſt, (*Decretum eſt vel potenter aliquid efficiendi, vel non potenter,*) in ſerijs diſputa-
tionibus non admittendam eſſe Dialectici benè monent.
Sic enim cuilibet veritati facile poteſt illudi. Alteram il-
lam decreti ſpeciem, quam exequitur Deus abſque po-
tentiâ, deſcribere nobis debuiſſent, ſi diſtinctionis ope
rem illuſtrare vellent, non obſcurare. Quod eo etiam
magis decuiſſet eos facere, ne docuiſſe videantur Deum
quædam ſuorum conſiliorum eo modo perficere, quo in-
firma ſolent idola: quum enim Deum quædam conſilia
perficere docent, *non ſicut infirma idola, ſed ut robuſtum & potentem Deum, quædam verè non ut robuſtum & potentem Deum*, occaſionem præbent exiſtimandi, ſic eos putare
Deum hæc quædam decreta exequi, ſicut infirma idola
ſua ſolent effecta dare. Veriſimilior etiam apparebit iſta
conjectura, quia (p. 311.) *nullam abſurditatem in eo eſſe* (di-
cunt) *etſi Dei ac diaboli eadem operatio & ejuſdem in ſe efficaciæ conſtituatur*. Satanas enim ea facit quæ Idolis tribuuntur.

2. Con-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

2. Contradictionem implicat ut Deus decretum ſuum exequatur, & non potenter id faciat. Omnis enim actus eſt per potentiam: omnis cauſæ effectio propria eſt per vim & poteſtatem: omnis efficientia à ſufficientia fluit. Si igitur Deus ipſe decretum ſuum effectum propriè det, potenter facit; ſi non potenter, tum non ipſe conſilium ſuum propriè exequitur, ſed homo, vel alia aliqua creatura. 3. Decretum divinum de converſione ac ſalute ſuorum, potenter ab ipſo confici Scriptura teſtatur apertè: *Nam quomodo poteſt aliquis ingredi domum potentis, & vaſa ejus diripere, niſi prius vinxerit potentem illum* (*validior ſcilicet illo*) *& tunc domum illius diripiet*? Matth. 12. & Luc. 11. non enim Satanæ corporalem ejectionem ſolam, ſed & ſpiritualem etiam explicat ibi Dominus. *Potentior eſt qui eſt in vobis, quam qui in mundo eſt.* 1. Ioh. 4. 4. *Pater ille meus qui mihi dedit eas, major omnibus eſt, neque quiſquam poteſt eas eripere è manu Patris mei.* Ioh. 10. 29. & 1. Pet. 1. 5. δυνάμει Θεȣ̃ *virtute Dei cuſtodimur ad ſalutem.* 4. Non potentiam ſolam, ſed & omnipotentiam Dei in iſtoc exequendo conſilio exerceri, Chriſtus ipſe expreſſè docet, Luc. 18. 25. quum eâdem potentiâ converti & ad ſalutem perduci homines (quoſdam ſaltem) dicit, quâ camelus ducitur per foramen acus. Qui aliter ſentiunt ij neceſſe habent ſtatuere, Deum quædam agere per omnipotentiam, quædam per magnipotentiam, quædam per parvipotentiam, & nonnulla (in quâ claſſe Remonſtr. converſionem collocant) per nullipotentiam. 5. Omnipotentem hanc effectionem Dei in actionibus ijs reperiri, quæ perficiuntur per agentia libera, hoc Remonſtr. ipſi concedunt incauti, cum conſilium illud, quod ſtatuerat Deus de Babylone debellandâ, & populo ſuo ad ſedes proprias reducendo Iſa. 46. omnipotenti manu perfectum dicunt, ita ut impediri non potuerit: per Cyrũ enim & alios homines hæc omnia Deus effecit, quorum etiam voluntas non efficacius ad illa facinora, quam
noſtras

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

ſtras trahit ad fidem. 6. Eſt ubi verbis concedunt hoc ciam ipſum vocationis decretum, Deum exequi irreſiſtili quadã vi, dicunt enim p. 287. Deum ſic rem moderari, ſemper ſint aliqui fideles, & hoc efficere irreſiſtibiliter.

Cap. IX.

Argumentum octavum.

Pag. 327.

S I non tantum potentia credendi & reſipiſcendi, ſed ipſum credere & reſipiſcere, ſit Dei donum, non exterius tantum latum, ſed interius inditum & infuſum, tum modus operandi, o Deus nobis fidem dat, talis eſt, ut non ex humanæ voluntatis bitrio, ſed merè ex Dei donatoris peculiari gratioſâ voluntate ndeat, quæ ſemper eſt efficax & inſuperabilis. Sed prius verm. Ioh. 6.65. Eph. 2.8. Phil. 1.29. 2.Tim. 2.25. Rom. 5.5. Er & poſterius. *Non tantum potentiam credendi, ſed etiam ipſum credendi actum per gratiam converſionis certò effici.*

Concedere ſe, dicunt Remonſtrantes, *non tantùm potentiam edendi & reſipiſcendi, ſed ipſum etiam actum, eſſe donum Dei:* d hac lege ac conditione, *modò voluntas hominis gratiâ Dei* 1. *citata, inde non excludatur.* Quod idem eſt ac ſi dicerent: *ncedimus actum credendi eſſe donum Dei modo actus credendi n excludatur.* Sed accipio conditionem illâ non obſtan-, cauſam totam affirmo per conceſſionem iſtam inopitò tradi. Si enim operatio gratiæ actum ipſum credendonet, tum poſitis operationibus quibus ad converſiom in nobis efficiendam Deus utitur, non manet in noâ poteſtate, ut poſſimus non converti. Poſitâ enim ipſius tus donatione, poteſtas talis non manet. Hæc tamen illa ſiſtibilitas eſt, pro quâ pugnatur in iſtâ quæſtione totâ: ut prius in ſtatus explicatione monſtravi.

2. Quam ægrè verò aſſentiuntur veritati prædictæ, licet m ſe concedere dicunt libenter, hoc palam faciunt, dum obationes ejus omnes omni ſtudio infirmare conantur.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

Ioh.6.65. Ioh.6.56. *Non aliud agere* (affirmant) *quam de credendi potentiâ, idque ipſa verba apertè notare.* Sed aliud omninò eſt quod agit ibi Chriſtus, quum repetit iterum atque iterum eandem ſententiam: *Propterea dixi vobis neminem poſſe venire ad me, niſi fuerit ei datum à Patre meo.* Quamvis enim potentia veniendi in parte doni debet collocari: nec tamen totum illud eſt quod à Deo datur, ut verſ. 44. 45. & 46. indicatur, nec id quod præcipuè ſpectabat Chriſtus, qui per totam illam concionem, non tam potentias, quam actus urget, *edendi, bibendi, diſcendi, credendi*, ac *veniendi.* Sed hæc agitata fuerunt in argumento priore.

Eph.2.8. Eph. 2. 8. *Non fidem* (ajunt) *ſed ſalutem ex fide Dei donum dici.* Quod minus conſentaneum videtur, quia majus aliquid de ſalute per fidem, antecedentibus verbis affirmatur, *Gratiâ eſtis ſervati per fidem.* Gratia enim complectitur doni vim & aliquid etiam amplius: ita ut repetitionem talem adhiberet hoc pacto Apoſtolus, quæ minueret potius quam augeret ſententiæ ſuæ pondus. 2. Quia nulla tum eſſet ratio, cur per tam abruptam prolepſim occurreret Apoſtolus præſumptioni illi propriarum virium, *Et hoc non ex vobis, &c.* Quare diceret hoc potius quã verſ. 9. ubi non agit de fide, ſed redit ad ſalutis argumentum, aut cur per copulam illam connecteret *&c* Si tamen ſalutem ex fide Dei donum affirmet, ſic debet id intelligi, ut & ſalus, & fides à donatione divinâ proficiſci dicantur.

2. Tim. 2, 25. Quod 2. Tim. 3. 25. habetur, *An fortè daturus ſit eis Deus reſipiſcentiam per agnitionem veritatis:* hoc *dubium eſſe* non dubitant affirmare, *quia phraſis eſt uſitata dicere, num daturus ſit Deus, pro num contingeret.* Præclaram ſcilicet interpretandi rationem ſecuti, quâ donationes quaſlibet à Deo pendentes, incertas facere docent & omni modo contingentes. Unicum Socinum, præeuntem habent,) Prælect. Theol. c. 12..) in hoc tam diluto interpretamento. Sed 1. ſit phraſis hæc vulgaris apud illud vulgus hominum, qui

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

Dei nomen in vanum aſſumere nihil curant, quod vix
tari poteſt ab eo cui *Deus dabit* & *continget* promiſcue
int in ore. Apoſtoli tamen ejuſmodi conſuetudinem
on habuerunt, neque Eccleſiæ Dei: Dei ſcilicet uſur-
are nomen dicis tantum causâ, nihil amplius aut altius
ogitantes, quam caſum & contingentiam rerum. 2. Si
romiſcuè hæ phraſes uſurpari ſoleant, tum quando de
eccatis dicendum eſſet, *num contingerent*, licebit in eo-
em ſenſu hac uti phraſi, *num daturus ſit Deus*: nec abuſus
llus hujus phraſeos fuiſſet ſi dixiſſet Paulus, *exſpectans an*
rte daturus ſit eis Deus impænitentiam finalem: quod eſt ab-
rdum.

Sin benè contingentibus hæc phraſis obtinuit, *num* 2.
aturus eſt Deus, hæc ipſa vox populi teſtimonij vim habet
d efficacem & præordinantem Dei providentiam con-
rmandam, in hujuſmodi rebus omnibus, quæ nobis
identur merè contingentes. 4. Quamvis in ijs locis ubi
bſolutè hæc phraſis ponitur expoſitionem talem ferre
rſan aliquando poſſit, ubi tamen tranſitivam habet
onſtructionem, & res ipſa donanda vel nomen doni ex-
rimitur, nulla ratio pati poteſt, ut ſenſum accipiat tam
eregrinum. Si in textu igitur fuiſſet, *num Deus daturus ſit*
t reſipiſcant, colorem habuiſſet qualem, qualem, hæc in-
erpretatio, num continget ut reſipiſcant, ſed quum ex-
reſsè dicitur, *An Deus eis daturus ſit reſipiſcentiam*, eâdem
: ſententiâ & phraſi, qua alibi dicitur, *Deum dediſſe genti-*
us reſipiſcentiam ad vitam, Act. 5. 31. & 11. 18. næ ille gnavi-
iter impudens ſit, oportet, qui reſipiſcentiam his verbis
Dei donum conſtitui negaret!

Et potentiam & actum credendi à Deo dari, agnoſcunt, *ſed* 8.
tentiam, irreſiſtibiliter, actum autem reſiſtibiliter: quoniam
eri non poteſt, ut ipſa actio irreſiſtibiliter efficiatur, & tamen
tio ſit & maneat, neque convertatur in paſſionem. De exce-
tionis hujus valore, ſatis ante dictum eſt ad argumentum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

primum. Ratio tamen illa, quam ad ſententiam ſuam confirmandam addunt, non debet hoc loco præteriri. *Non poteſt* (inquiunt) *ulla actio irreſiſtibiliter effici, ita ut ſit actio, & non paſſio.* A Deo hoc fieri non poſſe intelligunt, de ejus enim effectione & non aliâ quæritur in iſtâ causâ. Deum autem irreſiſtibiliter aliquid efficere dicitur ex Remonſtr. ipſorum interpretatione, cũ aliquid abſolutè fore prædefinit, & ſic operatur ad prædefinitionis illius executionem, ut non ſit in poteſtate alterius eam ſic impedire, ut nõ conſequatur. Hoc vero modo actiones plurimas hominũ à Deo adminiſtrari, omnes illæ promiſſiones & minitationes teſtantur, quas Deus abſolutè poſuit, & non aliter perfici voluit, quam humanarum actionum interventu. Hujus generis quam plurima ſunt in Scripturis exempla nobilia, generatio filiorum Abrahæ, Iſraelitarum ex Egypto redemptio, captivitas Babylonica, & ejuſdem ſolutio, Chriſti denique ſecundum carnem genitura, Legis impletio, & mortis perpeſſio, quorum nihil abſolutè præconſtitui potuit à Deo, niſi voluntates & actiones hominum & angelorum in ſuâ retineret poteſtate.

4. Adverſus poſteriorem aſſumptionis partem, quâ *fides dicitur Dei donum non exterius oblatum, ſed interius inditum & infuſum efficaci modo*, opponunt illi varia: ad iſtam enim partem, non ad concluſionem argumenti, exceptiones iſtæ debent aptari. Sed eorum pleraque prius allata ſimul & refutata fuerunt. Duo tantum ſunt quæ conſiderationem novam poſtulant: quorum unum eſt de infuſione fidei, & alterum de collatione fidei ac reſipiſcentiæ, cum dono ſapientiæ. De priore percunctantur, 1. *Quidnam ſit illa fides? Habituſne? hoc negant, & importunè produci putant, ubi agitur de credendo & reſipiſcendo, qui non ſunt habitus, ſed actus.* De virtute communicatâ, quæ habitus vel diſpoſitio fidei vocatur, admittendam eam eſſe Arminius ipſe expreſsè fatetur in declaratione ſententiæ ſuæ, p. 56. quod etiam ego varijs

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

ιarijs argumentis oſtẽdi, *in Reſcriptione ad ReſpNic. Grevinch.* . 2. *c.* 10. quorũ unum illud iſtinc repetere ſatis erit, contra ẹntientibus neceſſariò ſtatuendũ eſſe, quod expreſſe fateur Nicol. Grev. p. 327. *Hominẽ dormientem non eſſe fidei ſubectum*, id eſt, neminem inter dormiendum retinere fidem, uamvis vigilans, credebat maximè. Virtutis autem hujus nfuſæ opportuna tunc mentio fit, cum de actibus ejus diſutatur, propter arctam illam quam inter ſe habẽt connexionem, qualis eſt inter proximam potentiam, & actũ certò ecuturum, inter actum primum & ſecundũ, inter animam deniq; hominis & ejus vitã. 2. Diſputant de verbis Apoſtoli Rom. 5. 5. *Charitas Dei effuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritũ S. qui datus eſt nobis*, quę nihil facere ad infuſionẽ irreſiſtibilem fidei ac reſipiſcentiæ cõtendunt. *Quia ibi non fit ſermo de credendo aut reſipiſcendo, ſed de charitate Dei in nos: quam Spiritus fidelibus teſtatur, confirmat, & quoad ſenſum infundit irreſiſtibiliter: ſed fidem tamen non ſic operatur.* Fieri quidem iſta quæ dicunt à Spiritu, & hoc loco etiam ſignificari, negari non poteſt; ſed animadvertere debent inſuper, effuſionem iſtam charitatis, non aliter effici poſſe, quam infuſione Spiritus illius ſancti, per quẽ fit: atq; adeò in textu ſubjungi, *per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis*: quæ etiam donatio Spiritus effuſio dicitur. Tit. 3. 6. & illud ipſum eſt quod fidei habitũ, virtutẽ, diſpoſitionẽ, ac ſemen vocamus. Donationẽ hanc Spiritus & fidei per internam ac actualem fieri communicationem, exemplo monſtrabant Noſtri, dicentes, *Vti non poteſt dici alicui datam eſſe ſapientiam, priuſquã illa eſt cordi ejus indita.* De qua comparatione duo regerunt Remonſtr. 1. *Valdè diſſimilem eſſe, quia ſapientia eſt qualitas inhærens, credere autem eſt actus in exercitio ſitus.* Sed in cõparatione formandâ proportionem formandã eſſe norunt: *ſapientiam* igitur & *fidem*, *ſapere* & *credere* debent inter ſe cõponi, non ſapientia & credere, aut fides & ſapere. *Fidei* autẽ virtus non minus inhærens eſt qualitas, quam *ſapientiæ*, neque minus in ex-

Rom. 5. 5.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

ercitio & actu conſiſtit *ſapere*, quam *credere*. Addunt 2. *adverſari nobis collationem iſtam, quia ſi Fides ſic in nobis ſit donum ut ſapientia, tum non incipiet ab habitu infuſo, ſed potiùs per multiplex & continuum exercitium, deducetur in habitum: ſic enim agitur cum ſapientia.* Quamvis autem ſic ſit donum fides, quomodo ſapientia eſt donum, quoad actualem communicationem rei donatæ (quam ſolam ſpectant Noſtri in iſta collatione) non ſequitur idcircò ſic ſe fidem ut ſapientiam omni ex parte habere. 2. Sapientia illa, quæ ſpiritualis eſt, incipit etiam ab infuſione Spiritus, vel ſpiritualis cujuſdam luminis. Eph. 1. 17. 18. *Deus det vobis ſpiritum ſapientiæ, illuminatis oculis mentis veſtræ.* 3. Sicut ne ſapientiæ quidem naturalis habitum ſibimet acquirere quis poteſt per ſapientiæ exercitium, niſi ipſe haberet quædam ſapientiæ principia in ſeſe, quæ inchoati habitus rationem haberent ad actus illos, per quos perfectior acquiritur ſapientia: ſic neque per actus fidei varios, poteſt habitus ejus cuiquam acquiri, niſi principium ſupernaturale communicetur ipſi prius, quod fidem eâdem ſeminali ratione contineat, quâ naturalia principia ſapientiam naturalem in ſeſe latentem habent.

CAPVT X.

Argumentum nonum.

Pag. 331.

Corruptio hominis naturalis docet hominis Voluntatem in ſui converſione non cooperari.

S*I ſenſus carnis non tantum eſt cæcus, ſed & tenebræ, inimicitia adverſus Deum, non percipiens ea quæ ſunt ſpiritus Dei, ſed pro ſtultitiâ illa habens, ſapientiam Dei non cognoſcens, tenebris obſcuratus per ignorantiam & excæcationem cordis omne figmentum cordis malum habens à pueritia, omnis boni expers, propter ſervitutem peccati & mortem in ipſo, adeò ut homo animalis non ſit idoneus ex ſe, tanqnam ex ſe aliquid boni cogitare: tum ex ſe nihil ad ſui converſionem confert, ſed ſolius eſt gratiæ Dei in Chriſto, & non etiam voluntatis aut aſſenſionis humanæ, ut converſio ad ſa-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

d ſalutem & fides in Ieſum Chriſtum re ipsâ in eo efficiatur. Sed verum prius. Ioh. 1. 15. Eph. 5. 8. Act. 26. 18. *Rom.* 8. 7. Cor. 2. 14. 1. Cor. 1. 21. & 2. 8. *Eph.* 4. 17. *Gen.* 6. 5. 8. 21. *om.* 7. 18. *Matth.* 8. 22. *Ioh.* 5. 25. *Eph.* 2. 1. 5. *Coloſſ.* 2. 13. *oh.* 8. 38. 2. *Cor.* 3. 5. *Ergo & poſterius.*

Parum eſt quod hic reſpondent Remonſtr. dicunt im- 1.
rimis, *nihil adverſus ipſos concludi.* Si nihil dixiſſent adverſus illa verba quæ poſuerunt in theſi, ego quidem haud a repugnarem: ſed nihil adverſus ipſos, vel ipſorum opinionem concludi, hoc non verè affirmatur.

Sic enim hujus theſeos mentem explicatam habemus Nicolao Grevinchovio *ut hominis voluntatem ſuæ converſionis cauſam partialem eſſe velit, non aliter quam puer aliquis una um ſuo patre navem trahens motus illius eſt cauſa; p.* 208. 20. . *Determinantem gratiæ indifferentem operationem, per moum conditionis & cauſæ cooperantis p.* 33. 117. 206. *& cauſalitem hanc ſic exercentem, ut nihil ab efficaci Dei auxilio in via d ſuum influxum vel operationem accipiat p.* 214. *ſic denique cum ei gratiâ concurrere ad converſionis opus, ut neutra per ſe id ſola fficiat eâ virtute qua influit, in effectum.* Cui ſententiæ quaè regione adverſatur hujus argumenti concluſio, quâ omo ex ſe nihil ad ſui converſionem conferre dicitur, d gratiæ ſolius eſſe, non etiam voluntatis aut aſſenſionis umanæ ut converſio ad ſalutem & in fides in Ieſum Chrium re ipſa in eo efficiatur.

Aſſumptionem ajunt *tot Scripturæ locis fruſtra confirmari,* 2.
on aliud enim in eâ contineri, quam quod ipſi confeſſi ſunt in theſi rtiâ & quartâ. Neque multum etiam ab re hoc eſſet, ſi nentem nullam illæ theſes haberent præter verba, & nihil efenderent Remonſt. quod illis non conſentaneum eſſet. d verò an ita ſit palam jã factum eſt tam in diſputationis ujus initio quam in reſponſione proximè præcedente.

Agnoſcere ſe dicunt conſequens argumenti unà cum appendice 3.
onnexâ, voluntatem ſcilicet hominis ad ſui converſionem, nihil ex ſe

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

ex ſe conferre, & fidem pendere ex ſolâ Dei gratia, quia gratiâ eſt ſumma prima & primaria cauſa, qua noſtra voluntas ad ſenſum movetur.

Actum hic agerem ſi fuſius monſtratum irem conceſſiones haſce ambiguitatis eſſe plenas & candoris inanes. Paucis igitur ſyllogiſmis abſolvam. 1. Si voluntas agat ad converſionem ſuam ex vi quam habet inſitam, nullam tamen vim aut virtutem ſibi inditam habuit à gratia antequam ſic agere incipiat, tum aliquid à ſe confert ad converſionem ſui. Sed prius verum eſſe ex Remonſt. ſententia, teſtis eſt Nicol. Grevinchovius verbis modo citatis. Ergo poſterius hoc non poſſunt non affirmare. 2. Si converſionis decretum & ejus effectio ſit propriè conditionalis voluntatis actum ut conditionem prærequirens tum aliquo modo pendet ex voluntate. Sed converſionis effectio ex Remonſt. ſententiâ eſt conditionalis, voluntatis conſenſum ut conditionem prærequirens. Nicol. Grevinch. p. 117. collat. p. 325. Ergo pendet aliquatenus ex hominis voluntate. 3. Si gratia tantum ſit ſumma, prima ac primaria cauſa hujus converſionis tum non eſt unica ejus cauſa, ſed voluntas etiam eſt cauſa converſionis, & illa ex voluntate etiam pendet. Sed prius illud non diſſimulant Remonſt. hoc ipſo in loco ubi cautiſſimis verbis utuntur: quum enim in argumento dicebatur, *ſolam* gratiam eſſe hujus effecti cauſam, concedunt illi gratiam eſſe *ſummam primam, ac primariam* ejus cauſam: *ſolam* autem non poſſunt profari. Voluntatem igitur cauſam eſſe ſtatuunt, & partim ex ipſâ pendere fidem.

Caput

CAPVT XI.

Argumentum decimum.

Pag. 333.

SI operatio gratiæ in homine duntaxat credendi potentiam efficeret, & reliquum libero humanæ voluntatis arbitrio permitteret, ut vel hac gratia uteretur, vel eam impediret; ſequeretur. 1. *Præcipuum opus quod ad ſervandos nos requiritur, ipſum nemine credere humanæ voluntati, tanquam præcipuæ ac proximæ cauſæ eſſe tribuendum.* 2. *eum qui benè utitur gratia, ſe ipſum ab aliis diſcernere, & aliquid habere quod non acceperit peculiari aliquâ gratiâ, de quo propterea gloriari poſſit contra alios, adverſus Apoſtoli teſtimonium* 1. *Cor.* 4. 7. *ac proinde* 3. *non habere eum quod gratias Deo agat, quod credit, ſed tantum quod potentiam habuit credendi, contra morem fidelium. Rom.* 1. 8. 1. *Cor.* 1. 4. 7. *Eph.* 1. 3. 15. 16. *Coloſſ.* 1. 3. 4. 2. *Teſſ.* 1. 3. *Sed iſta non ſunt admittenda. Ergo nec prius illud.*

Abſurda, quæ conſequuntur à cooperatione voluntatis humanæ in ſui converſione.

Conqueruntur imprimis Remonſtr. *injuriam ſibi in eo fieri, quod talis ipſis impingitur ſententia, quaſi potentiam ſolam credendi gratiæ tribuerent & reliquum humanæ voluntati.* Cujus ego querelæ nullam juſtam video cauſam. 1. ne potentiam quidem credendi docent voluntati internè ac propriè per gratiam communicari (ut apertum ante feci) ſed mentem illuminari, affectus excitari, & voluntatem ipſam allici tantum ac invitari: atque hæc eſt illa potentiæ ac virium donatio tota, quam Remonſt. agnoſcunt: quæ non magis propriè dicitur potentiæ vel facultatis, quâ credimus, communicatio, quam ſi ſolis ortus aut irradiatio quotidiana corporeis noſtris oculis dicatur potentiam videndi communicare. quemadmodum enim facultatem ipſam viſivam non minus habemus in tenebris, quam in luce, quamvis eam tunc non poſſumus exercere: ſic ex Remonſt. illâ ſententiâ, voluntas extra gratiam, po-

tentiam habet credendi, quamvis ſine illuminationis & excitationis auxilio, non poſſit illam exercere. Nec deſunt inter eos qui eandem plane ſententiam cum hac Remonſtrantium theſi defendunt, qui tantundem palam profitentur. Sic enim Smalſius adverſus theſes Frantzij de lib. arb. *per divinam revelationem vel Spiritum ſanctum non poteſtas vel facultas volendi in homine excitatur: ſed occaſio ei datur id volendi, quod antea velle quia revelatum non erat, non poterat.* 2. Poſt potentiam illam communicatam, non ſic noſtri volunt reliquum (ſecundum ipſos) voluntati relinqui, quaſi ſuaſionum impulſus ibi ceſſare putarent, aut concomitantem operationem negarent: ſed ideo reliquum (ex eorum ſententiâ) voluntati permitti dicunt, quoniam nihil ſtatuunt realiter & efficientia propriâ, per gratiam agi, poſt illam potentiam datam, quod voluntatis actum vel converſionem præcedit. Hoc autem tam verum eſt, quam quod veriſſimum.

2. *Negant incommoda illa vel ſequutura, vel ſi ſequantur alicujus eſſe momenti, quamvis concederetur potentiam ſolam credendi per gratiam communicari & reliquum voluntati permitti.* Cujus aſſertionis rationes reddunt ſigillatim. 1. *communicationem potentiæ quâ creditur præſtantius opus eſſe dicunt quam ipſum credere: ſicut vitæ donatio præſtantiùs quid eſt, quam edere, bibere, currere, &c.* Sed fallunt aut falluntur ambiguitate illâ quam prius indicabam in potentiæ voce latere. Non enim talem potentiam ad fidem, voluntati per gratiam dari, concedent, qualis vita eſt ad operationes vitales. Sic namque regeneraretur voluntas, & vitam novam acciperet in actu primo, priuſquam ad actum ſecundum, vel operationem fidei ſemet applicaret. Hoc vero illi rejiciunt ubique, & vivifactionem voluntatis in eo propriè ſitam eſſe docent, quod innatam volendi ac nolendi facultatem in actum producat pag. 300. ſi igitur actus credendi voluntati, non gratiæ, ſit

ſi tribuendus, tum ex Remonſt. confeſſione, præci-
pum opus, & ipſa fidei vita, voluntati debere neceſſe
e:. 2. Ex contrariâ ſententiâ ſequi autumant, fidem
on eſſe voluntatis, ſed Dei opus, & voluntatem inſtru-
entum ejus inane eſſe, ac motu deſtitutum. ubi diſ-
ngunt illa quæ maximè debent conjungi *Dei & vo-
tatis opus*. Fides enim actualis, vel ipſum credere, eſt
ous Dei ut efficientis, opus voluntatis, ut efficientis &
iam ſubjecti, opus eſt gratiæ Dei ut principij *à quo* &
jus virtute producitur, opus voluntatis, ut principij
od eam virtute recepta producit, adeo ut voluntatis
ous dicenda ſit, quatenus ipſa voluntas eſt opus Dei,
r Dei ſcilicet gratiam, ita ut gratia unum ſicut agens
ujus tota vis activa qua pertingit ad operationem ſu-
rnaturalem eſt à gratia ſupernaturali vivificata & in
mni opere bono, cum Apoſtolo ſemper debeamus con-
teri, *ego feci: non ego tamen, ſed gratia Dei quæ mecum eſt.*
Cor. 15. 10. Quum igitur voluntas non movetur tan-
um à Deo, ſed collatum etiam habet principium in-
inſecum ejuſdem operationis, quod etiam radicalem
c naturalem ejus potentiam elevat ac perficit, accom-
odato illi modo, vel prout apta nata eſt elevari, merum
ſtrumentum non magis appellari poteſt in fidei actu,
uam corpus animatum eſt in actionibus vitæ animalis.

Secundum incommodum quo urgetur opinio hic 3.
npugnata, eſt, *hominem* (ſecundum illam) *ſemet ipſum*
aliis diſcernere. Quod Remonſtr. nihil eſſe conten-
unt, quia *poteſt homini tribui ut ſe ab aliis diſcernat.* De
iſcretione ſecundariâ & ſubordinatâ, quâ quis aliorum
nte diſſimilis factus, diſſimilem illam qualitatem ex-
rcens oſtendit, de tali (inquam) diſcretione non agi-
ur hoc in loco: ſed de primâ differentiâ, quâ fidelis
iſcerni, vel diſtingui poteſt à non fideli. prima au-
em differentia cujuſque rei eſt ejus primaria forma,

Ll 2 ſi igi-

ſi igitur hæc diſcretio ab hominis voluntate proveniat tum primaria pars ipſius vitæ ſupernaturalis vitæ debetur naturali, & fidei, ut ita dicam, eſſentia, fluit à voluntate, ſecundum formalem ejus rationem. Si hoc nullius pretij ſit apud Remonſt. tum harum certe rerum ſunt æſtimatores iniqui.

4. Tertium conſequens fuit, *aliquid eſſe in homine credente, quod non acceperit peculiari aliquâ gratiâ, qui propterea contra alios poteſt gloriari contra dictum Apoſtoli* 1. *Cor.* 4. 7. Fugiunt hic Remonſt. ipſam vim & cuſpidem argumenti, materiam ſcilicet gloriæ in eo collocantis, *quod aliquid boni ſit in homine, quod non acceperit peculiari aliquâ gratiâ.* Hanc illi rationem intactam relinquunt; & ſatis eſſe putant, nonnihil proponere de gloriatione, ac de Apoſtoli verbis, 1. Cor. 4. 7. G*loriationem omnem negant eſſe malam.* Quaſi quiſquam id affirmaſſet! aut quidquam ad rem faceret, id pernegare! argumentum inſtitutum eſſe norunt de gloriatione, quæ ortum ſuum habet à bono, quod homo non accepit peculiari aliqua gratia. ſi talem gloriationem licitam eſſe probaverint, habent & ipſi de quo gloriari poſſint. *Si non ſit licita* (addunt) *non poteſt hic habere locum, quia ejuſmodi gloriatio pugnat cum naturâ fidei.* Pugnare eam fateor cum naturâ fidei, ſed locum nihilo minus habere poteſt ex parte in eis qui tantum ex parte credunt: ſicut & alia multa vitia quæ cum fidei naturâ pugnant. Hoc ipſum vitium Apoſtolus videtur in quibuſdam fidelibus increpare Rom. 11. 8. *Ne gloriare adverſus ramos: quod ſi gloriaris, non tu radicem portas, ſed radix te.*

1. Corinth. 4. 7. De loco citato 1. Cor. 4. 7. *Quis te diſcernit quid habes quod non accepiſti? & ſi accepiſti quid gloriaris quaſi non acceperis? non illic agi* (dicunt) *de diſcretione fidelium ab infidelibus, ſed doctorum eminentium, ab ijs qui minus donorum acceperant: & hanc eſſe communem interpretationem doctorum noſtrorum.* De tali doctorũ diſcre-

iſcretione agit hic Apoſtolus, non nego: ſed tali agit ar-
umento, ut ad fidelium etiam diſcretionem optimè poſ-
t applicari. 1. Quia generalis eſt aſſertio: *nulla in re te diſ-*
rnis: nihil habes quod non accepiſti: nihil de quo gloriari potes.
eneralis autem propoſitio quamvis ad unam particula-
em concluſionem uno tempore applicatur, valet tamen
d alias etiam probandas. 2. Quia minus eſt quod Apo-
olus illic urget: ſi enim homo fidelis nihil poteſt facere
charisſmatis vel comparandis vel augendis, de quo glo-
ari poſſit, tum in fidei jaciendo fundamento, multo mi-
us id ipſi tribui debet. nec quemquam eſſe puto inter om-
es noſtros interpretes, qui alienus eſt ab hujuſmodi ver-
orum horum accommodatione. Calvinus ita cenſet: *non*
ſcitè Auguſtinus hoc teſtimonio ſæpè contendit adverſus Pelagia-
os, quidquid excellentiæ eſt in hominibus ex merâ & gratuitâ ejus
iſericordiâ manare. ſic etiam P. Martyr. *ſi quis proprius acce-*
at, videbit Auguſtinum rectè admodum exiſtimaſſe: nam ſicut in-
r miniſtros Eccleſiæ, non eſt niſi Deus qui unum donis cæleſtibus
ſis præſtare faciat, ita in regeneratione, electione, ac reparatione,
eus unus auctor eſt agnoſcendus. Ab aliorum verbis recen-
endis abſtineo: rem ipſam ſatis manifeſtam eſſe puto.

Quartum incommodum fuit, *non habere fidelem (ſenten-* 5.
â illâ poſitâ.) quod Deo gratias agat de fide, quam ei dederit, &
uod fidelis factus ſit, ſed tantum de potentia quam ei dederit, qua
ſſit credere. Hanc ſequelam Remonſtr. negant: *quia men-*
icus debet agere gratias tam accipiens liberè quod illi liberaliter
atur, quam ſi illi obtruderetur irreſiſtibiliter, diſcipulus tam de-
et præceptori gratias agere de profectu ſuo quamquam & ſua ipſius
iligentia ad illud opus eſt, quam ſi illi id per infundibulū infunde-
etur. At verò quum priores duas conſequentias admiſe-
int, hominem ſcilicet hac ratione ſe ipſum à cæteris diſ-
ernere, & eo nomine gloriari poſſe; tertiam hanc non
oſſunt negare. ſi enim diſcretio ſit ab ipſo homine, &
aus ejus homini debeatur, quin gratiæ etiam habendæ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

ſunt ipſi, non poteſt ab ijs dubitari, qui gratiarum agendarum cauſam intelligunt. 2. Mendico non datur manus, nec diſcipulo capax mens: proportio igitur nulla in iſtis exemplis. 3. Nec mendico, nec diſcipulo, nec alij cuiquam agendæ ſunt gratiæ de eo quod ab alio peti non potuit vel exſpectari, at verò homo jam potens factus (ex mente Rem.) ad credendum, non poteſt à Deo petere vel expectare, ut faciat eum re ipſa credẽtem: feciſſe enim Deum dicunt quod in ſe eſt, & hominis conſenſum ſolum deeſſe: Deo igitur de ipſo actu credendi, non poſſunt illi gratias agere, qui illum in ſua poteſtate ſitum eſſe putant.

CAPUT XII.

Examen Loci Act. 7. 51.

QUoad teſtimonium à Remonſtrantibus in theſi quartâ productum ex Act. 7. 51. *Duri cervice & incircumciſi corde & auribus vos ſemper Spiritui ſancto obnitimini, ſicut patres veſtri, ita & vos:* Reſponſum fuit à Noſtris eo non poſſe Remonſtr. ſententiam probari: *quia non dicitur eos ſpiritum vivificum accepiſſe, & operationem ejus impedijſſe vel ſuperaſſe, ſed reſtitiſſe ſpiritui ſancto, qui in Prophetis patres eorum erat allocutus, & tunc in Stephano eos alloquebatur.*

Reſp. Remonſt. 1. *nec opus eſſe, nec fieri poſſe ut illi qui reſiſtunt ſpiritui vivifico, eum recipiant, imò ſanæ mentis non eſſe compotes qui ſic affirmant.* Talem tamen Remonſtrantium eſſe mentem, Iohannes Arnoldi teſtatur adv. Bogerm. par. 2. p. 258. *irreſiſtibilem gratiam dicimus quatenus aliquid imprimit quod tantum recipitur; reſiſtibilem verò quatenus aliquid elicit:* ubi apertè indicat reſiſtere homines poſſe ac ſolere gratiæ vel ſpiritui recepto. Sic etiam pag. 262. *aliud eſt actionem irreſiſtibiliter recipi, aliud eam in eo à quo recipitur ita operari, eumque ita movere ut actus non poſſit non agere.* Nec poſſunt hic elabi dicendo, ſpiritum hunc à reſiſtẽtibus receptum,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

on eſſe *vivificum* hanc enim gratiam, vel hunc ſpiritum
b ijs ita receptum, ſufficientem eſſe contendunt, id eſt,
im ac facultatem habere vivificandi imò per talem ſpiri-
us hujus receptionem irregenitos quoſdam actu vivifi-
atos eſſe docent Remonſtrantes quoad intellectus & af- *Collat.p.*
ectus, vel voluntatem ad modum affectus conſideratam. *300.*
Quam ſana ſit hæc mens id viderint ipſi.

Rogant cui fini allocutus eſt eos Deus? *ſi ut inexcuſabiles* 2.
ntum redderet, tum non reſtiterunt ei: eum enim finem aſſecutus
t; ſi ut converteret, & illud non effecit, tum converſionis gratia eſt
ſiſtibilis. Reſpondeo 1. in theſi quartâ non agitur de *cau-*
converſionis, qua pendet ab intentione Dei: ſed de *mo-*
convertendi, quam potens & efficax ille ſit: hoc ipſimet
rofitentur p. 268. 269. hæc igitur interrogatio non per-
net propriè ad iſtam cauſam. 2. Enumeratio illa finium
eo propoſitorum, imperfecta eſt & vitioſa. Ideo Deus
locutus eſt eos, ut quoſdam inter ipſos converteret, & id
fecit obnitentibus alijs, & finem igitur ſuum aſſecutus
t Deus & illi tamen reluctabantur, & reluctantes etiam
cerunt illa quæ manus Dei & conſilium ejus prius definierat ut
rent Act. 4.28. 3. Reſiſtere dicebantur ſpiritui ſancto in
rophetis loquenti, quatenus prophetijs eorum, & ipſis
eſiſtebant: ſicut reſtitiſſe eos innuitur eidem ſpiritui, per
gis tranſgreſſionem verſ. 53. quemadmodum igitur non
oteſt inde colligi, intentionem & conſilium Dei fuiſſe
er legem eos convertere ac ſervare, ſic nec intentio ta-
s ex alterâ illâ phraſi neceſſariò poteſt probari. 4. Aliam
ullam intentionem aut voluntatem habuiſſe Deum iſtos
omines convertendi, Remonſtrantes ipſi defendunt,
uam quæ *velleitas* appellari ſolet. Tali autem inefficaci
eſiderio (modo in Deo locum habet) reſiſtere homi-
es poſſe, ne nos quidem negamus. 5. Intentionem divi-
am de homine convertendo negant eſſe abſolutam: con-
tionata verò non poteſt reſiſti, niſi poſt conditionem
poſi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

poſitam: quum igitur intentio Dei ſit hominem convertere, ſi velit, non poteſt homo huic intentioni reſiſtere vel actu contradicere, niſi cum velit converti, impedire poſſit ne convertatur à Deo. Sed *convenire affirmant hanc ſuam hujus loci accommodationem, cum expoſitionibus Gualteri, & D. Calvini*. In eo ſe modeſtius paulò quam ſolent continentes, quod *convenientiam* ſolam præ ſe ferunt cum ijs quæ à graviſſimis illis viris dicuntur, & non eadem plane ab ijs dici contendunt. Hæc tamen convenientia ſi in aliqua ſententiæ parte inveniri forte poſſit, quum in altera non minor ſit diſſentio illa, parum eos iuvaret. ſed ne convenientiam quidem jactare poſſunt cum ipſo D. Gualtero, qui finis aut propoſiti divini (de quo controverſiam hanc totam conſtitui volunt Rem.) nullam omnino mentionem facit. Cum D. Calvino autem multò minus: qui ſic de hac reſiſtentiâ cenſet, *reſiſtere ſpiritui dicuntur, qui eum in Prophetis loquentem contumaciter rejiciunt: neque enim de arcanis revelationibus hic agitur, quas Deus cuique intus inſpirat ſed de externo miniſterio quod diligenter notandum eſt.* Quæ ipſamet reſponſio eſt quam Rem. hic impugnant.

Sententia Confeſsionis & Catecheſeos de converſionis modo.

De teſtimonijs excerptis ex confeſſione & catechiſmo, & ad iſtam cauſam applicatis, nihil ſigillatim reſpondent Rem. ſed remittunt lectorem ad reſponſa priora: qui igitur à me ulterius in iſtoc argumento non debet retineri. Illud unicum tantum affirmo, confeſſionis articulum 35. ubi dicitur *ſpiritualem vitam non eſſe communem niſi ſolis electis Dei*; & catecheſeos quæſtionem octavam, ubi homo *idoneus eſſe negatur prorſus ad bene agendum niſi per ſpiritum ſanctum regeneretur*, has inquam aſſertiones (ut cæteras mittam) certus ſum nulla ſub ſpecie cum Remonſt. dogmatis conciliari poſſe.

ARTI-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

ARTICULUS QUINTUS,
DE
PERSEVERANTIA
INCERTA.

CAPUT I.
De Statu Quæſtionis.

Quinta Remonſtrantium Theſis hæc eſt:

QVI Ieſu Chriſto per veram fidem ſunt inſiti, ac proinde Spiritus ejus vivificantis participes, ij abundè habent facultatum, quibus contra Satanam, peccatum, mundum, & propriam ſuam carnem pugnent, & victoriam obtineant, veruntamen per ratiæ Spiritus ſancti ſubſidium. Ieſus Chriſtus quidem illis Spitu ſuo in omnibus tentationibus adeſt, manum porrigit, & mo- ſint ad certamen prompti, & ejus auxilium petant, neque offio ſuo deſint, eos confirmat: adeò quidem, ut nullâ Satanæ frau- aut vi ſeduci, vel è manibus Chriſti eripi poſſint, ſecundum il- d Ioan. 10. Nemo illos è manu meâ eripiet. Sed an illi ipſi neigentiâ ſuâ, principium illud quo ſuſtentantur in Chriſto deſere- non poſſint, & præſentem mundum iterum amplecti, à ſanctâ octrinâ ipſis ſemel traditâ deficere, conſcientiæ naufragium fa- re, à gratiâ excidere; penitiùs ex ſacrâ Scripturâ eſſet expenden- um, antequam illud cum plenâ animi tranquillitate & plerophoiâ docere poſſimus.

Quamvis aſſenſionem cohibere tantùm & non apertè iſſentire hic Remonſtrantes videri vellent in poſteriore heſeos hujus parte: adeò tamen indubium eſt apud omes hanc ipſam eſſe dogmaticam eorum ſententiam, quam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

dubijs hic verbis proponunt, ut magis id facere teſtatum, hoc eſſet, ex ſupervacuâ diligentia, & ocio abuti, atque etiam Lectore. Fatentur enim ipſi in ſtatu controverſiæ, quem Ordinibus tradidere, hoc neceſſarium eſſe ſuorum dogmatum antecedentium conſectarium. pag.503. verbis illis expreſſis. *Si Deus fidem vi irreſiſtibili quæ impediri non poteſt, non efficit, neque ſuſtentat: ſequatur neceſſe eſt eum, qui ſemel fidem accepit, eam denuò poſſe amittere.* Satis igitur erit, defenſionem noſtram de qua diſſentiunt, aſſertionibus brevibus explanare, & quatenus ab illâ diſcedant paucis adnotare.

Id quod à Noſtris de Fidelium Perſeverantiâ docetur axiomatis his propono.

Sententia Orthodoxorum Paſtorum Hollandiæ de Perſeverantiâ Sanctorum.

1. Deus ideò miſeros quoſdam peccatores ad ſe vocat, quoniam ad ſalutem eos elegit: *Qui ex propoſito vocati ſunt:* Rom. 8.28.

2. Hos omnes vocat ad ſempiternum conſortium, vel communionem. *Vocavit vos ad æternam ſuam gloriam.* 1. Pet. 5. 10.

3. Efficaciter eos vocando indit ipſis principium æternæ durationis, quod in ſolis Electis reperitur; hoc in Scripturis vocatur *Radix inſita.* Matth.13.21. *Semen manens.* Ioh. 3.9. & *immortale.* 1.Pet. 1.23. *Vnctio manens.* 1.Ioh.1.21. *Sermo inſitus.* Iac.1.21. *Spiritus inhabitans.* 1. Cor.3.16. & *Fons aquæ ſalientis in vitam æternam.* Ioh.4.14.

4. Principium iſtud non adeò abſolutam neceſſitatem adfert perſeverandi, quin excuti denuò poſſit, ſi eo ſemel donatus, cæteris auxilijs deſtitutus, tentationibus validis & infirmitati ſuæ relinqueretur. Luc.22. 31.

5. Deus tamen immutabili fœdere ſpopondit ſe conſervaturum in ſuis fæderatis principium illud vitale. Ierem.32. 40.

6. Hanc autem promiſſionem non ſolet exequi niſi verbi miniſterio & ſimilibus auxilijs adhibitis.Ioh.17.17.

7. Sed

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

7. Sed præter externa illa media, neceſſaria eſt etiam peculiaris aſſiſtentia Spiritus, ſicut & cuſtodiâ opus eſt, protectioneq; potente. 1.Petr. 1. 5. & 5.10.

Hæc illa fundamenta ſunt in quibus inſiſtere ſolent Nostri, dum cauſam iſtam tractant. Quæ & ipſa debent obſervari & ipſorum etiam conſectaria: Lucem enim non parvam accipient diſceptationis hujus partes illę, quę difficiliores habentur, & ſubobſcuræ. Sunt autem hujuſmodi. *Conſectaria huius ſententiæ.*

1. Perſeverantia Fidelium, vel immutabilis eorum Conditio ſecundum integram ejus rationem non provenit à principio intrinſeco ſolo, nec à ſolo extrinſeco; ſed partim ab intrinſeco, ex naturâ vitæ ſpiritualis à Chriſto fluentis: & partim ab extrinſeco, ex cuſtodiâ, protectione, & directione Dei.

2. Verè igitur dicitur fidelem poſſe à fide ſuâ deficere, quum ſcil. in ſe & principijs ſuis intrinſecis conſideratur ſolis: ſic enim defectui ſubjicitur, & mutabilis exiſtit. Aufertur quidem actus vel effectus ipſe deficiendi, ſed potentia ad actum non aufertur.

3. Verè etiam dicitur non contingere unquam, imò non poſſe, ut verè fidelis â fide ſuâ penitus deficiat: quatenus nempe vitâ donatus immortali, particeps etiam fit protectionis, cuſtodiæ, & ſtatuminationis divinæ, quam ipſi perpetuò licet non æquabiliter adeſſe facit conſtantia fœderis divini.

4. Interim tam reſpectu illius & inſiti principij æternæ vitæ, quam etiam ratione externæ hujus cuſtodiæ ac directionis, perſeverantia fidelium rectè ac propriè dicitur *Donum Dei*, nec aliam habet cauſam, rationem, aut conditionem antecedentem quoad formalem ejus efficaciam, quam gratuitam Dei donationem: Quamvis inter illam efficaciam & completum ejus effectum, voluntas

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

hominis intercedit, & perſeverans facta perſeveranter agit.

5. Certitudo objecti hujus, vel rei ipſius, verè fidelem in fide ſuâ perſeveraturum, eſt abſolutæ veritatis, modò ſic intelligatur, ut eandem certitudinem includat mediorum eorum, quæ neceſſaria ſunt ad fidem conſervandam.

6. Certitudo ſubjecti, vel hujus veritatis apprehenſio, & ſpecialis applicatio, in ipſo fideli non eſt omni modo abſoluta, ſed admixtam habet conditionem: quoniam non talis eſt aſſenſus qualem principijs per ſe notis præbemus; nec qualis fit concluſionibus ex illis principijs, immediatè fluentibus : ſed qualis fit concluſioni quæ ſequitur ex propoſitione, quæ eſt inſtar principij, & aſſumptione ex ſenſu & obſervatione aliquo modo pendente. Eſt igitur mediata per fidei ipſius notitiam & exercitium, & eorum etiam quæ fidem fovent ac augent; hæc enim apprehenſio non oritur niſi ex ſignis vel argumentis, atque adeò vel augeri, vel minui, vel etiam aliquo modo tolli ſolet, prout illa ſigna vel argumenta fidei variant.

7. Hæc igitur certitudo non poteſt conſiſtere cum deliberato propoſito peccandi, nedum tale quid cauſari. Pijs exercitijs procreatur & conſervatur: eadem etiam invicem procreat, conſervat & auget.

Remonſtrantium ſententia de Perſeverantia Sanctorum.

Hæc hujuſmodi cum ſint : videndum jam qualia ſint quæ Remonſtrantes in iſtâ cauſâ negant.

Negant imprimis Electionem divinam, quâ decrevit certos quoſdam & ſingulares homines peccatores ad vitam ex morte transferre, eſſe fundamentum vel cauſam aut perſeverantiæ, aut vocationis cujuſpiam ad ſalutem. pag. 97. & 412.

2. Negant principium ullum vitæ permanens, inditum, vel infuſum eſſe homini per efficacem vocationem. Ibid. pag. 411. 412.

3. Ne-

3. Negant quicquam intereſſe inter fidem, ſanctimo-
iam ac juſtitiam permanentem ſalvandorum, & tempo-
alem illam, quam damnati quidam Apoſtatæ habue-
unt, præter durationem ſolam, quæ ad ſubſtantiam rei
ec quicquam facit. Nic. Grev. p.141.

4. Negant ullum eſſe promiſſum, ullum fœdus, ullam
uſtodiam, vel ullam Spiritus manſionem niſi conditio-
atam, ſi ſcil. homo officium ſuum fecerit: atque adeò
uidquam eſſe cauſæ, quare fidelis quilibet à fide ſuâ &
roinde ab adoptione & gratiâ divinâ diſcedere non poſ-
t. Coll. p.412. 413. Ita ut putent nullam eſſe vim alicujus
romiſſionis, quâ Eccleſia Dei ſemper maneat in terris.
ag. 423.

5. Negant iſta promiſſa præſtari, niſi nos præſtemus
onditionem; officium noſtrum faciendo. pag.414. 415.

6. Hanc autem conditionem certitudinem aliam ha-
ere negant, quam planè mutabilem & contingentem, ſic
t eam præſtare vel non præſtare poſſimus pro arbitrio
oſtro. Nicol. Grev, pag.138.

7. Negant denique perſeverantiam fidelium rectè ac
roprie *Donum Dei* appellari: ſed actionem ſolam hominis
ſſe: cujus licet Dei gratia aliquo modo ſit cauſa, cauſa
amen propria eſt hominis ipſius voluntas, quæ non perſe-
erans facta perſeveranter agit, ſed perſeveranter agen-
o fit perſeverans. Coll. pag.406.407. Quam ſententiam
pertè ſatis proclamant in reſponſione ad Epiſtolam Fra-
rum Walachrorum. pag.75. *Voluntas proxima & ſola eſt per-*
ſeverationis cauſa phyſica.

Hæc an cum juſtâ ratione negentur, id ex reſponſio-
um earum examine pateſcet, quas argumentis noſtro-
um oppoſuerunt.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

Cap. II.

Argumentum primum.

Pag. 414.

Deum promiſiſſe verè fidelibus certam perſeverantiam.

QUOD Deus verbo ſuo promiſit, illud certum eſt, nec poteſt aliter fieri. Verè fideles totaliter & finaliter perſeveraturos (id eſt à totali ac finali apoſtaſiâ ſervandos eſſe) certò promiſit Deus verbo ſuo. Verè fideles *igitur certò, totaliter ac finaliter perſeverabunt, id eſt, à totali ac finali apoſtaſia certò ſervabuntur.*

De Majore nullus dubitat Chriſtianus. Minor probatur ex Ier. 22. 38. 39. 40. *&* 31. 33. 34. *Iſa.* 54. 10. *&* 59. 21. *Hoſ.* 2. 18. *Pſal.* 125. 1. *Ioh.* 4. 14. *&* 5. 25. *&* 6. 35. 37. 39. 44. 57. *&* 10. 28. 29. *Mat.* 16. 18. *Ioh.* 14. 16.

Reſpondent Remonſtrantes, 1. ad concluſionem. 2. ad propoſitionem. & 3. ad aſſumptionem. Nullum enim lapidem non movendum eſſe putabant, ut hujus argumenti vim retundant. In concluſione, duo ſunt, quæ ut vitio ipſi vertenda notant. 1. Non eam propriè ac directè contradicere eorum theſi, quia perſeverantiam certam ſolam concludit, non neceſſariam: non enim adjicitur ibi, *nec poſſe aliter fieri.* 2. Phraſin imprudentem uſurpari, *totaliter perſeverabunt.* Quorum poſterius, non tam imprudenter à noſtris admiſſum, quam impotenter ab iſtis objectum videtur. A gravitate namque & æquitate diſcedunt nimis qui de voce aliquâ vitilitigare amant, quum ſubjectam ſententiam perſpectam ſatis habent: id quod Remonſtr. hic ultrò fatentur. *Intelligunt* (inquiunt) *per totaliter perſeverabunt, totaliter non deficient.* Neque verò plus quidquam valet exceptio illa altera. Nam. 1. quum exprimi videbant in propoſitione id quod diſiderant, (*& non poteſt aliter fieri*) ut quæſtionis propoſitæ partem, in concluſione etiam eam intelligi, non erat cur dubitarent. 2. Tantundem exprimitur in concluſione, quum dicitur

icitur fideles *certò* perſeveraturos. Nam 1. quicquid ertò futurum eſt, in illo momento rationis vel temporis : illo reſpectu, quo certò futurum eſt, eſt etiam ita futurum, ut non poſſit non eſſe futurum. Certum quum certum eſt, non poteſt non eſſe certum: futurum, quum futurum eſt, non poteſt non eſſe futurum. Quicquid enim t quum eſt, neceſſe eſt eſſe. 2. Hoc certum affirmatur ſſe, de toto genere fidelium: omnis verò certitudo generalis, eſt ex generali cauſâ, quâ poſitâ, res illa non poteſt iter ſe habere. Si certum ſit omnes homines ad judicium enturos, tum aliter fieri non poteſt, quin hic & ille, uicunque demum fuerit, ad judicium illud accedet. Contingentia eſt in ſingularibus rebus propriè, quando : quatenus nihil certò de genere toto ſtatuitur vel denitur. 3. Certitudinis hujus cauſa, in ipſo Syllogiſmo exrimitur eſſe Promiſſio divina: quâ ſuppoſitâ, dictu imium, ac nefas eſt, *aliter fieri poſſe.*

In propoſitione tractandâ, temerè certè & irreveren- 2.
er agunt cum Sancto Dei nomine, & intemeratâ ejus ve- *Remonſtrantes negant certitudinem promiſsionum divinarũ.*
tate, ſicut olim egerunt cum ejus decretis. p. 325. Se *im non in dubium tantùm vocare, ſed & ſimpliciter negare* roclamant, *certò futurum illud omne, quod Deus verbo ſuo omiſit.* Quod, ſpecie ſaltem, veracitatem, juſtitiam & onſtantiam Dei non parùm lædit. Quicquid enim Deus romiſit, id fideliter ſervare tenetur, idque jure naturæ æ, ſeu veritatis & conſtantiæ, quæ utraque ipſi natuilis eſt. Fatetur hoc Vorſtius ipſe, Amicâ duplic. p. 382. cripturas etiam ipſas non ſinit eſſe certas, quarum pars on minima ex promiſſionibus conſtat, pars etiam earum ertiſſimæ & immutabili veritati fideles omnes inniti juet. Eo vero putidior eſt hæc aſſertio, quod exemplum ullum potuerunt adferre, ubi Deus quidquam promiſſe dicitur, quod non implevit. Proferunt. 1. Sam. 2. *1. Sam. 2. 30.*
). *Dixeram quidem ad Helin* &c. Sed hic nulla fit mentio

ſolem-

ſolemnis alicujus promiſſionis: dixiſſe id tantùm dicitur Deus, id eſt, talem ordinem inſtituiſſe in ſacerdotij Aaronici principio, ut filius patri in eo munere ſuccederet: & ſic adhuc rebus moderatum fuiſſe, ut Eli ſpem juſtam haberet illius juris privilegium ad poſteros ſuos tranſmittendi: tunc tamen aliter multo rem evaſuram. Objiciunt

Num. 14. 28. etiam Num. 14. 28. ubi ſententia fertur in rebelles quoſdam ex Iſraëlitis, illos nempe non ingreſſuros in terram promiſſam. Sed nulla mentio fit promiſſionis ullius abſolutæ ſingularibus illis hominibus, quâ talibus, factæ, ut ingrederentur. Factum eſt igitur quod Deus promiſit, quum populus idem ingreſſus eſt illam terram, quamvis ijdem illi ſingulares homines pro ſuis meritis in deſerto cudebant.

1. Sam. 13. 14. Urgent ultimò, 1. Sam. 13. 14. *Deus ſtabiliverat regnum tuum apud Iſraël uſque in ſeculum, nunc autem regnum tuum non ſtabit.* Sed neque promiſſio ulla in iſto loco comparet, (ſtabiliri namque res aliter poteſt quam per promiſſiones) neque alibi tale quid unquam promiſſum legitur Sauli. Aſſertio infeliciter certè hæc inſolens Remonſtrantibus cecidit, & in præjudicium totius cauſæ, quam aliter tueri nequeunt, quam promiſsiones divinas incertas reddendo: cujus tamen incertitudinis exemplum nullum adferre poſſunt, ne in mundanis quidem rebus (de iſtis enim agitur in locis memoratis) quarum natura multo incertior eſt & mutabilior, quam eſt cæleſtium promiſſorum. A promiſſionibus ad comminationes confugiunt, quas non ſemper impleri exemplis nonnullis oſtendere ſatagunt ex 2. Chron. 12. 5. 1. Reg. 19. 16. Iſa. 39. & Ion. 3. Sed in præſenti ſatis erit in memoriam ipſis revocare, promiſſionum & comminationum eandem non eſſe per omnia rationem. Comminationum ratio eſt in homine & ex homine ipſo, & ideò proponitur maximâ ex parte, ut homo mutetur ab eo quod eſt ratio minitandi,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

x quâ mutatione minitatio illa ſuum finem habet, tque adeò ceſſat, eodem planè modò, quo mandaum illud quod, tentandi causâ proponitur, mandati vim mittit poſt horam tentationis. Promiſſionis alia eſt raio, & alius finis.

Adhuc igitur nullam juſtam reddiderunt cauſam proofitionis illius negandæ. Nec ulla ſubeſt ratio, cur nperfectionis eam accuſent, verbis illis obtortis; *quamis hæc propoſitio eſſet univerſalis reſpectu certitudinis evenus, eſſet adhuc probandum, non alium poſſe eſſe eventum, nec liter fieri potuiſſe: certitudo enim non arguit aliter non potuiſ fieri.*

Ubi duo poſtulata ſunt involuta, quorum unum jam præſtitum habent, & alterum non eſt præſtandum. *Probandum* (inquiunt) *non alium poſſe eſſe eventum, quam uem Deus promiſit.* Hoc verò eo argumento ſatis proatur, quia Deus ita fore promiſit, niſi poſſint illi montrare, vel auſint affirmare, Deo aliquando promitten rem aliquam ita fore, & re illâ ſic certò futurâ vi proniſſionis divinæ, poſſe tamen alium eſſe eventum. *Proandum etiam* (addunt) *aliter fieri non potuiſſe.* Hoc auem ut probetur, argumenti vel cauſæ noſtræ nihil quiduam intereſt. Quamvis enim potuit aliter fieri, neme antequam Deus promiſit ſic fore, promiſſo tamen fato, non poteſt aliter fieri: & hoc totum illud eſt quod propoſitione ſupponebatur.

3. Hactenus de propoſitionis & negatione, & accuation, jam ut proprius tandem accedant, & qui ſint ſtendant, diſtinctionem quandam adhibent, quâ toam rem explicari poſſe putant. Eſt autem hujuſmoi: *Deus quædam promittit abſolutè, quæ non interveniente ominis voluntate vult efficere: quædam cum conditione* (quæ nterveniente hominis voluntate vult efficere) *quâ non*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

præſtitâ, efficere non vult quod promittit. Quæ diſtinctio ſic ad argumentum applicari debet ex regulis diſputandi, ut ſi abſoluta promiſſa intelligantur, tum vera ſit propoſitio: omnia ſcilicet illius generis impleri, ſed falſa aſſumptio, perſeverantia promiſſionem iſtius eſſe generis: ſi vero conditionata intelligantur, tum falſa ſit propoſitio, impleri nempe omnia talia, & vera aſſumptio; perſeverantiam ſcilicet illum in modum promitti.

Ubi 1. debet illud imprimis obſervari, anguſtiorem hanc deſcriptionem eſſe promiſiſti, vel decreti, cum abſoluti tum conditionati, quam Remonſtrantium gemina ſententia fert. Abſolutum enim nullum admittunt illi decretum, de futuro quovis contingenti, ſed conditionatum tantum Nicol. Grevinch. pag. 363. at vero multa ſunt effecta contingentia, in quibus nulla intervenit humana voluntas: tot ſcilicet quot piſcium, quadrupedum, avium, inſectilium, aut muſcarum ipſarum ſunt motus animales, ut nihil dicam de ijs quæ in alijs rebus contingunt. Nullum igitur decretum, promiſſum, aut comminatio abſoluta (ex eorum ſententiâ) fuit unquam aut eſſe poteſt, de iſtiuſmodi rebus, quæ non perficiuntur niſi intercedente vel hominis vel creaturæ alterius actione contingente. Qualem verò in ordinem, hoc pacto, cogunt, divina tam conſilia quam promiſſa, Lector intelligens facile perſpiciet. Ne plagas quidem illas, quas à ranis, pediculis, locuſtis, & ferocibus animalibus Egyptij & alij tulerunt, abſolutè à Deo decretas aut denunciatas fuiſſe dabunt; ſed cum conditione tantum, ſi accedat ſcilicet conſenſus animalium illorum. Multo minus agnoſcent illud Salomonis. *In gremium conjicitur ſors: à Iehova autem eſt tota ratio ejus.* Prov. 16. 33.

2. Verbis ipſis hujus deſcriptionis, præcipua Dei promiſſa, quibus hominum ſalus incumbit, abſoluta eſſe negan-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

antur. Primum illud nempe, de ſemine mulieris & ſer-
entini capitis contritione, ſive redemptione noſtrâ per
hriſtum, & inde pendens alterum, de myſterij illius re-
elatione perpetuâ per Prophetas ac Apoſtolos; unà cum
æteris omnibus, quæ non implentur niſi interveniente
ominum voluntate. Quam hoc dominio Dei & fidei
oſtræ ſit conſentaneum, Chriſtianus quiſque apud ſe
erpendat.

3. Vi hujus diſtinctionis negandam docent propoſi-
ionem illam veriſſimam, *Quod Deus verbo ſuo promiſit, cer-*
um eſt, & non poteſt aliter fieri: quia ſcilicet, quædam Dei
romiſſiones ſunt conditionatæ, & conditione illa non
ræſtitâ, non efficit Deus id quod promiſit. Ubi nimiâ ſuâ
ubtilitate promiſſiones illas irritas faciunt, quæ ſunt ra-
iſſimæ. illæ ipſæ enim promiſſiones, quæ efferuntur in
ormâ connexâ, nihil affirmant quod non ſemper imple-
ur, nec aliter fieri poteſt, ſi Deus ſit verus, in pronuncian-
do, uti res eſt. Non enim affirmat connexa vel condi-
ionata promiſſio, conſequentem partem illius axiomatis
ore, ſed connexionem tantùm conſequentis partis cum
ntecedente, quam ſemper etiam Deus præſtat. Exempli
ratiâ, quum promiſit Deus, ex legis formâ, *Si feceris hæc,*
vives ex illis, non pollicitus eſt propriè, victurum homi-
em ex operibus legis, ſed connexionem fore certam,
nter obedientiam perfectam, & vitam ex illâ: quam con-
exionem veram præſtitit, & præſtabit ſemper Deus,
uamvis nemo vivat, vi legis. Temere igitur affirmant, &
ine ratione, quaſdam Dei promiſſiones aliquando non im-
leri, id eſt, non eſſe veras.

4. Quum promiſſiones de Perſeverantiâ, abſolutas eſſe
egant, ſed conditionatas tantùm, & conditionem iſtam
n eo ponant, ſi homo ex liberâ & indeterminatâ volun-
ate officium ſuum fecerit, promittere Deum faciunt, per-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

ſeveraturum hominem, ſi modò perſeveret: hoc enim eſt officium ejus, perſeverare in fide ad quam vocatur.

5. Non magis promitti ſtatuunt (hoc pacto) fideles Deum præſervaturum à lethali apoſtaſiâ, quam à minimâ declinatione: nam & ab hac præſervabuntur, ſi modo officium ſuum fecerint: nec vel minimum peccare poſſunt, niſi non ſatis facientes officio ſuo.

6. Imò, certiorem nullam promiſſionem agnoſcunt, de perſeverantiâ cujuſpiam vel maximè fidelis, quam de converſione, perſeverantiâ, & ſalute cujuſvis Turcæ, vel hominis à fide maximè alieni. Si talis enim quiſpiam officium ſuum fecerit per vires quas habet, promiſſum & fœdus divinum eſſe dicunt, converſum enim ad veram fidem, & ſalvum etiam fore.

4. Perpenſis jam ijs, quæ ad concluſionem & propoſitionem hujus argumenti ſunt animadverſa, aſſumptio ſimiliter eſt vindicanda, in quâ affirmatur, Deum certò promiſiſſe, fideles veros certò perſeveraturos ad finem. Hoc varijs teſtimonijs ex vetere & novo Teſtamento confirmatur, de quorum vi & mente, cum Remonſtrantibus nunc breviter agendum.

Ier. 32. 38. 39. 40. Primum teſtimonium petitur ex Ier. 32. 38. 39. 40. *Erunt mihi populus, & ego ero ipſis Deus. Indam illis cor unicum, & viam unam ad reverendum me omnibus diebus, ad bonum ipſorum & filiorum ipſorum poſt ipſos: & pangam ipſis fœdus perpetuum, fore ut non avertam me a proſequendis ipſis benefaciendo ipſis, & reverentiam meam indam animo ipſorum, ut non recedant à me.* Ubi fœdere firmiſſimo pollicetur Deus, ſe non ſalutaria tantum ſingula (quæ ad juſtificationem & ſanctificationem ſpectant) abundè ſuis largiturum, ſed & perpetua illa præſtiturum, conſtanti favore & perenni Spiritus influxu, quo efficie-
Ier. 31. 33. 34. tur ut nec à Deo deſerantur, nec ipſum unquam deſerere velint. Eadem repetuntur Ier. 31. 33. 34.

Hic

Hic autem in varias exceptiones verſant & effundunt ſe Remonſtrantes. 1. Scrupulum primum injiciunt de perſonis illis ad quas hæc promiſſio ſpectat. *Eſt* (inquiunt) *ſpecialis promiſſio, quæ fit toti populo abducto, ac non ſolis electis, vel fidelibus.* Sed benè conveniunt hæc inter ſeſe, ut toti populo fiat, & ſolis tamen electis, quia totus iſte electus Dei populus quoad exteriorem eorum conditionem, tum alias typum ac figuram in ſe gerebat omnium electorum, tum in iſtâ prophetiâ præſertim, ubi & captivitas & liberatio à captivitate ſpiritualium rerum erant figuræ. Facta eſt revera hæc promiſſio toti populo Iſraëlis quoad carnem & ſtatum externum, ſed typicè. Facta eſt electis vel vocandis, ſecundum veritatem, ut Paulus ipſe in ejuſdem fœderis applicatione oſtendit Heb. 8. 8. 9. & 10. 16. 17. &c. ad ſingulos vocatos illud extendens. Facta eſt etiam toti populo, quoad communem eorum ſtatum, non præſentem, ſed futurum poſt gentium plenitudinem ingreſſam, cum maxima eorum pars ad veram fidem trahentur, ſicut idem Apoſtolus in applicatione alterâ, promiſſionis ejuſdem, non obſcurè docet, Rom. 11. 26. *tum totus Iſraël ſervabitur*, id eſt, ſecundum ſtatum communem, vel multitudo magna tunc victurorum.

2. De tempore difficultatem eandem faciunt, quam Socinus Cap. 12. Prælect. Theolog. Ille his verbis: *Certè ſi de ipſo effectu qui planè ſecuturus ſit, Hieremiam loqui velimus, neceſſe erit in eum errorem incidere, in quem hodie non pauci inciderunt, ut dicamus novum Teſtamentum adhuc non eſſe, nec futurum niſi cum major pars hominum Deum ex animo voluerit, aut ea ſaltem pars ferè univerſa, cui Deus Voluntatem ſuam ſeque ipſum patefecerit.* Iſti ſic, in eandem ſententiam: *Quia nullum tempus eſt invenire, quo hæ promiſſiones ex noſtro ſenſu acceptæ, ſint completæ. Electis idem ante captivitatem accidiſſet: qualis igitur hæc promiſſio?*

 Quaſi

Quaſi verò ex noſtra hiſtoriæ ac temporum notitiâ, divina veritas pendeat, ac non poſſint compleri promiſsiones Dei, licet nos quando compleantur non ſciamus! Dico tamen has promiſsiones eo tempore impletas eſſe, quod Apoſtolus apertè deſignat Heb. 8. 8. 9. Rom. 11. 26.

3. Apoſtoli verba objiciunt Rom. 11. 17. ubi Iudæos *ramos* eſſe *defractos* dicit, unde colligunt hanc promiſsionem in ipſis non impleri, quia *non ſunt amplius Dei populus, quod tamen eſt pars hujus promiſſionis.* Reſp. Hanc ipſam objectionem partim ab infirmis, & partim à perverſis, uſurpandam prævidit Apoſtolus, & præoccupavit Rom. 9. 6. *Non tamen* (inquit) *hæc loquor, quaſi quod exciderit ſermo ille Dei: non enim omnes qui ſunt ex patre Iſraëli, ſunt Iſraël.* & cap. 11. 7. *Iſraël non eſt aſſequutus, ſed electi aſſequuti ſunt.* Et verſ. 28. *quod ad evangelium attinet, ſunt inimici propter vos: quod ad electionem autem, diliguntur propter patres.*

4. *Præcipi* obſervant *gentilibus, quarum ſunt hæ promiſſiones in novo teſtamento, ut ſibi cavent, ne & ipſi defringantur, quum ſtarent fide ut Iudæi*, Rom. 11. *quod eſt vanum, ſi hæc promiſſio eſt abſoluta, eos non poſſe defringi.* Reſp. 1. Benè illud eſt quod veritatem diutius non poſsint detinere, quin expreſsè confiteantur, *has promiſſiones eſſe gentium in novo teſtamento.* Falſum igitur quod ante pro vero ſumebant, & hujus defenſionis præcipuum faciebant fundamentum, *hanc eſſe ſpecialem promiſſionem, quæ facta eſt populo Iudæorum abducto in captivitatem.* 2. Eodem modo, quo Iudæi defracti ſunt, defringi etiam gentem quamlibet poſſe nunc libenter fatemur: id eſt, quoad fœdus externum, & ſtatum populi communem. 3. Hortatio ad tantam diligentiam, ne deficiant, non arguit defectibilitatem abſolutam, eorum omnium, erga quos exhortatio talis adhibetur. Hortatio & cautis cum certâ perſeverantiâ conſentiunt abſolutè, ut media cum fine, vel cauſæ cum effecto.

5. Hæc eorum levior velitatio fuit de promiſsionis hujus finibus:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

nibus: nunc de poſſeſsione ipsâ decertatur, fatentur romiſſionem ipſam videri ita diſertè ſonare, ut Noſtri volunt: n contrarium tamen varia proponunt & urgent. 1. Obervant, in textu Hebræo, non diſerte haberi *& non diſcedent*, ſed poſſe legi, *ne à me diſcedant*; *& ſic non neceſſariò notare eventum promiſſionum, ſed ſæpe Dei intentionem, vel hominis officium, quod Deus non ſemper aſſequitur. Gen. 3. 11. Ioh.* 5. 34. Hæc autem obſervatio nullius planè momenti eſt. Nam 1. Laureolam (quod ajunt) in muſtaceo videntur quærere, quum hanc verſionem ut ſuam propriam venditant, & argumentum, ejus vi ſolutum eſſe ſuadere velint: norunt enim hanc ipſam eſſe interpretationem Noſtrorum, nec aliam à Noſtris adhibitam in iſtoc loco citando, (niſi forſan diſcriminis aliquid excogitare poſsint inter *ut non* & *ne*) quâ non obſtante verba nihilominus diſerte ita ſonare videri, ut noſtri ſentiunt, apertè jam jam ſunt Faſsi. 2. Poſſe verba, fatentur, etiam ſecundum hanc verſionem, ſic intelligi, ut eventum ipſum non intentionem nudam deſignent. Quum igitur alia multa ſint in textu, quæ eò faciunt, (quod ſtatim apparebit) nihil magis conſentaneum eſt, quam ut ſic à nobis intelligantur. 3. Cauſa ſufficiens, & continens, quum agit, efficit certò quod intendit: ſed talis eſt Dei gratia, quæ in iſtoc fœdere continetur: intentio igitur ab eventu in iſtoc promiſſo, nec debet nec poteſt ſeparari. 4. Diſtinguere ſemper debent inter efficacem Dei intentionem, eorum, quæ ipſe facere vult, qualem hæc promiſsi notat, *efficiam ut non recedant*; mandantem ejus voluntatem eorum quæ à nobis fieri jubet, de quâ verba fiunt Gen. 3. 11. ut etiam finem alicujùs medij ex naturâ ſuâ, quamvis accedat inſuper intentio humana, talem finem aſſequendi, ut Ioh. 5. 34. illa nunquam non aſſequitur ſuum finem in iſtis varium videmus eventum.

2. Incommodum illud oriturum dicunt ex interpre-

tatione

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

ratione noſtrâ; *poſſe nempe inferri, fœderatos hoſce nunquam peccaturos*, &c. Si verò illud ſolum & fieri & inferri poſſe velint, quod legitimè poteſt, tum poſſe hoc inferri negagamus. Si rationem aliquam illationis hujus explicaſſent, vanitatem ſuam prodidiſſet ſtatim ipſi. Reverentia ipſa quam Deus indere pollicetur, eſt imperfecta dum hic ſumus: *Ex parte enim cognoſcimus.* 1. Cor. 13. 9. acceſſionem igitur non efficit ad Deum, niſi imperfectam, nec receſsionem impedit, niſi perfectam & plenam. *Diſcedere* non dicitur propriè, qui non planè relinquit. Arbor illa fructifera Ier. 17. non diſcedit à faciendo fructum, quamvis parum aut nihil proferat dum hyems urget, quia vis fructificandi ſemper in intimis radicibus hæret. Sceptrum non diſcedere dicitur à Iuda, Gen. 49. 10. quamvis miſerè prematur alieno jugo, quia conſervatæ erant ſceptri reliquiæ in trunco & radicibus Iſai. Iſa. 11. 1. Sic fideles non diſcedunt à Deo dum unionis principium manet, quamvis peccent in multis.

3. Interrogant ſatis ineptè, *Ad quid proponetur hæc promiſſio toti populo? quæ inde ad illum utilitas poterat redire?* Reſpondeo, 1. Quædam proponebantur populo per prophetas, quæ ad ventura ſecula pertinebant, & præſentibus auditoribus non magnam adferebant utilitatem. 2. Toti populo propoſita fuit hæc promiſsio, partim ad conſolandos qui inter eos tunc erant fideles, partim ac præcipuè, ut infidelium quorundam iniquis interveniatur querelis, expoſtulantium ſcilicet cum Deo, quaſi fœderis jam oblitus fuiſſet.

4. Rogant etiam, *Quid facerent ſubſequentes exhortationes & comminationes illis, qui jam ex hac promiſsione ſciebant ſe deficere non poſſe.* Reſp. 1. Non dicimus populum illum immunem fuiſſe à defectione. 2. Qui ſunt immunes, non ſemper ſciunt ſe tam fælices eſſe. 3. Qui ex parte hoc ſciunt, ſciunt etiam, per hæc media Deum ſuas promiſsiones implere ſolere.

5. Tan-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

5. Tandem aliquando, poſt varias hujus loci & illa-
ionis exinde noſtræ eluſiones, promiſſionis hujus pro-
piam ſuam interpretationem proponunt, illuſtrant, &
robant. 1. Proponunt autem ut ſuâ luce manifeſtam.
anifeſtum eſt (inquiunt) *hanc eſſe phraſin, quæ ſignificat ma-
gam & efficacem quandam motionem, quæ erat futura per in-
nia ac multa beneficia, quorum gratiâ ſe debebant convertere,
at Deus volebat eos converti, qui & inderet ipſis reverentiam
i, & animos eorum ad ipſum redamandum flecteret, quantum
ipſo erat, quanquam hoc & aliter evenire poſsit, quoniam illud
on abſque eorum cooperatione erat eventurum.* Tam autem
olixa & ambiguis verbis involuta eſt hæc ſententiæ pro-
peticæ cavillatio, ut mirari quis meritò poſſit, cur ma-
feſtam eam appellant. Niſi fortè quod Socinus dicit,
c ſatis ex loco ipſo apparere. Ita enim ille loquitur penè eiſ-
em verbis; in Prælect. Theolog. cap. 12. Sect. 6. Ubi lo-
em parallelum Ezechielis explicat. *Ex loco ipſo ſatis appa-
t, nullam neceſsitatem Deum ſignificare voluiſſe; ſed neque ul-
m vim interiorem, cum non alia ratione, ea quæ ibi pollicetur,
effecturum oſtendat Deus, quam beneficiorum multitudine,
ibus affecturus erat populum, ejuſque cor & animum emolli-
rus, in eoque voluntatem & alacritatem ſibi obediendi ingene-
turus quodammodo, & creaturus.* Et paulò poſt. *In pollicita-
onibus illis divinis nulla neceſsitas ſignificatur, nec effectum
rtò futurum eſſe dicitur, ſed tantummodo per Deum non ſtatu-
m quo minus effectus planè conſequatur, id eſt, Deum omnia fa-
turum, quæ fieri poterunt, ut populus liberè improbitate relictâ,
obitatem veramque pietatem ſectetur ac colat.* Satis hinc
uidem apparet, ac manifeſtum eſt, quanta ſit Remonſtr.
um Socino, hiſce de rebus conſenſio: & quem autorem
abeant iſtiuſmodi novæ interpretationes, quæ apud Re-
onſtr. ubique occurrunt. Ad rem ipſam tamen & quæ-
ionem illam, de quâ jam agitur, nihil quidquam affir-
ant, nedum docent manifeſtò. De perſeverantiâ namq;

& defectione,ne verbum quidem habetur in totâ hâc circuitione. Illa verò, quæ de converſione habentur, non paucis vitijs ac erroribus ſcatent.

1. Innuunt, phraſibus his omnibus (*indam illis cor unum, & viam unam, pangam ipſis fœdus perpetuum, reverentiam mei indam animo ipſorum*) non certam harum rerum effectionem, ſed efficiendi tantùm conatum quendam notari. Hoc autem conſiſtere non poteſt, neque cum prophetiæ illius exordio verſ.27. *Ecce ego ſum Dominus Deus omnis carnis, num quidquam mihi erit* (*occultum vel*) *difficile?* Ubi ſibimet Deus arrogat poteſtatem abſolutam, illa omnia efficiendi, quæ in ſequenti fœdere continentur, & per omnipotentiam ſuam eadem ſe effecturum docet; neque cum connexis promiſſis, (*congregabo, reducam, & faciam habitare ſecurè*) quæ abſolutam effectionem in ſe continebant, & cum his conjunguntur, certitudinis ac evẽtus ratione, verſ. 42. *quẽadmodum adduxero in eos totum malũ, ita adducã ſuper eos totum hoc bonũ.* Nec deniq; cum fœderis ipſius explicatione quam idem adfert Propheta cap.31.34. ubi effecti ipſius exiſtẽtia promittitur expreſsè, *Cognoſcent me condonare iniquitatem ipſorum, &c.* 2. Conatum vel *motionem hanc ad converſionem futuram dicunt per inſignia ac multa beneficia, quorum gratiâ ſe debebant convertere.* Hoc ſi verum ac totum ſit, tum nihil hic promiſit populo huic, quod diu antea non præſtitiſſet. Tot enim tantiſque beneficijs eos oneraverat, ut amplius nihil in eo genere addendum reſtaret. Iſa.5.1.2.3.4.5

3. Moralem tantum ſuaſionem ad converſionem contineri faciunt in totâ hac promiſſione. Quod ſi ita ſit, tũ fœdere ſolenni & ſigno, multiſq; verbis promiſit ſe facturum, id quod tunc faciebat, & à multis annis cum ſummâ diligentia feciſſet. *Miſit enim ad eos, omnes ſervos ſuos Prophetas, inde à diluculo, indeſinenter, qui dicerent revertimini jam quiſque à viâ ſuâ malâ, &c.* Ier.25. 4. 5.

4. Totũ fœdus enervãt, quum efficacis hujus motionis termi-

[il]minum, ac vim, in eo ponunt, quod *propter beneficia Dei [d]ebeant homines ſe convertere.* Hoc majus nihil præ ſe fert, [q]uam quod in Lege ac fœdere vetere valebat: ubi propter [b]eneficia divina debebant homines omnia præcepta Dei [pe]rfectè obſervare. Hoc etiam converſionis cauſam pro[pri]am ac principalem in hominis conatu ponit, vim ſolam [im]pellentem divinis tribuens beneficijs.

[1]5. Deum dicunt per motionem illam convertere ho[mi]nem, *quantum in ipſo eſt,* & tamen hominem poſſe non [co]nverti. Quod perinde eſt ac ſi dicerent, cor hominis non [eſ]e in manu Iehovæ, ut quocũque vult inclinet eum, con[tr]a Scripturæ ſententiam, Prov. 21. 1. aut Deum non poſſe [fa]cere omnia quæ fieri poſſunt, quia quamvis agat quan[tu]m in ipſo eſt, id eſt, ad extremum potentiæ ſuæ, ad ho[mi]nem convertendũ, res ipſa tamen poteſt aliter evenire.

[1]Hactenus de interpretatione propoſitâ: quam illuſtrant [ſi]mili non ſimili: *Vti præceptor* (ajunt) *dicere ſolet, ego alium [vi]rum te faciam, aliam tibi linguam indam, quod tamen ſubinde [t]am non fit, nimirum, quum præceptoris induſtria non ſatis ob[ſe]rvatur.* Hanc Eraſmi explicationẽ maximoperè commẽ[da]t Socinus, ut commodam huic loco. cap. 12. prælect. [T]heolog. 5. 6. Nos ut ineptam averſamur. Præceptor enim [h]æc temerè diceret, ſi perſpectũ haberet quid eſſet even[tu]rum, fruſtra autem non diceret, ſi penes ipſum eſſet præ[ſt]are quod dixit. Deo etiam concedent (ſpero) majorem [i]n hominem poteſtatem, quam homini tribuent in ſui [ſi]milem. Neque negabunt, eum ad converſionem ſuo[ru]m, aliam vim exercere, quam adhibet præceptor in diſ[ci]pulis erudiendis. Omnes illi qui à Deo docti ſunt, ve[ni]unt ad Chriſtum. Ioh. 6. 45. Præceptores noſtri non ſo[le]nt eſſe tam fœlices. Quod verò addunt, *uſitatam Deo in [ſc]ripturis eſſe hanc loquendi rationẽ dum promiſſiones facit;* hoc [ſu]pra ſatis refutatũ fuit. Argumenta quæ ex textu petunt [a]d interpretationem ſuam confirmandam ac evidenter, ut

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

promittunt demonſtrandam, leviora ſunt, quã ut tale quid præſtare poſſint. 1. *Quia hic eſt ſermo de fœdere, cujus natura eſt ac proprium, ut qui inter ſe paciſcuntur, ultro citroq; obligētur: in quo ergo & hominis officium requiritur.* Reſpondeo, 1. Minus eſt multo in hac concluſione, quam eſt in quæſtione: quæritur, *an efficax illa motio hic promittatur ſola, quæ eſt per beneficia hominem obſtringentia ad ſuimet converſionem, quâ poſitâ, & Deo faciente quod in ſe eſt, res ipſa poſſit aliter evenire:* concluditur, *hominis officium in hoc negotio requiri.* 2. Concedimus, hominis officium requiri: illud inſuper cõtendentes, Deum hujus promiſſionis vi effecturum in ſuis, ut officium illud faciant, quatenus neceſſariò eſt faciendum. 3. Vox illa בְּרִית, quam hic uſurpat Propheta, non ſemper *fœdus* denotat in propriâ illâ ſignificatione, quâ pro mutuo contractu per ſponſionem ac ſtipulationē ſumitur: promiſſionem ſimplicem, vel unius partis diſpoſitionem nonnunquam deſignat. Gen. 6.19. & 9.9. 4. Apoſtolus ipſe hanc objectionem occupaſſe videtur, quum pro fœdere, teſtamenti ſubſtituit appellationem in hujus ipſius fœderis ex cap. 31. accommodatione, Heb. 8. 10. &c. omninò ſtatuens (ut verbis hic utar maximi viri) *Dei gratiam eo luculentiorem hominibus explicatam eſſe, quod ſuis non fœdus, ſed teſtamentum dederit: quia fœdus conditiones mutuas fuiſſet habiturũ, quas ſi altera pars non præſtet, fœdus eſt irritum: teſtamentum verò liberalitatis ac gratiæ, citra ullam conditionem inſtrumentum eſt: ex quo hæredes vocantur & inſtituuntur, citra contemplationē ullius officij, quod ab ipſis proficiſci poſſit.* 5. Tota diſpoſitio teſtamētariam habet rationem, ut ſimpliciter conſideratur, ſive integra, ſive ſecundũ partes: ſed ſi beneficia legata inter ſe cõparentur, tum unum ad alterum eſt quaſi conditio: atq; hâc ratione ad modum fœderis aliquando proponitur: qui tamen proponendi modus non ſic eſt accipiendus, ut teſtamenti naturam in ullâ parte mutet. Utrumq; à noſtris optimè conjungi ſolet, quum juſtitiam ac vitam, ſub conditione fidei,

promitti

promitti docent, & fidem ipſam electis donari, vel conditionem fœderis, in ipſo fœdere ſimul promitti.

2. *Agi hic*, dicunt, *de tali fœdere quod futurum erat: atqui ea quæ noſtri volunt electis hic promitti, erant ante ab initio: de ijs igitur non eſt hic ſermo.* Reſpondeo, 1. Si temporis obſervatio tanti ſit momẽti, ut ſecundò nunc aut tertiò debeat urgeri, tum eorum interpretatio minimè omnium conſiſtere poteſt. Motionem enim illam quæ fit per beneficia, æqualem ſaltẽ ſi non efficaciorẽ habuit hic populus ante, quam poſt hanc reductionem à Babylone. 2. Hæc gratia futura dicebatur, quia fundamentum ejus adhuc jaciendum fuit in morte Chriſti futurâ, quamvis gratiæ ipſius largitio quædam præceſſerat, quaſi per prolepſin. 3. Eodem planè gradu ac modo, non fuerat hæc gratia donata, quo electis poſteà fuit, & genti Iudaicæ adhuc eſt donanda.

3. *Sed gratia hæc* (ajunt) *ex Noſtrorum ſententia, non fit niſi uno modo, id eſt, irreſiſtibili: aut ſi alius aliquis modus fuerit, non tamen eſt major aut efficacior.* Quo nihil dilutius potuit reſponderi. Idem enim poteſt eſſe modus in genere, hoc eſt, efficaciæ certæ, & varius tamen ſpeciali aliqua ratione. Deum dicunt ipſi irreſiſtibili modo voluntatem ſuam hominibus patefacere (pag. 275.) hoc tamen multis modis fieri, & alio nunc poſt Chriſti adventum quam ante, non negabunt ipſi ſpero, quum Apoſtolus id expreſsè teſtatur. Heb. 1. 1. Idem poteſt eſſe modus quoad intenſionem, & varius tamen quoad extenſionem; idem intrinſecè, varius quoad manifeſtationem adjunctam: idem eſſentiâ, & varius interim exiſtendi ratione.

4. Concludentes tandem totam hanc rem expediendam ſuſcipiunt: quam dubiam tamen & incertam relinquunt. Sic enim disjunctè definiunt: *talis gratia promittitur, quæ vel pro Dei æternâ & infinitâ ſcientiâ certò erat*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

inſculptura ejus leges cordibus eorum ut illas reciperent, aut quæ tam eſſet efficax, ut credibile non eſſet eos receſſuros: aut ſaltem tam copioſa, ne illud per Dei gratiam minimè ſtaturum ſit. 1. Hujus concluſionis convenientia judicetur ex concluſione Socini, cap. 12. Præl. Theol. *Itaque cum Deus dicit, ſe daturum legem ſuam in viſceribus eorum nihil aliud intelligendum eſt, quam Deum ea facturum, per quæ planè veriſimile ſit, legem ſuam in hominum cordibus inſcriptum iri, idque ut fiat, quam diligentiſſimè curaturum.* Nunc rem videamus. Cautè id quidem faciunt, quod nihil horum abſolutè definiunt: ſed miſerè interim, quod eorum nihil ſtatuere poſsint ſine magno errore. Si hæc prophetia ad *præſcientiam* illam referatur, quam Remonſtr. alibi defendunt, tum non eſt promiſsio ſed prædictio, reſpectu ipſius eventus: tum promiſsio non eſt cauſa eventus, ſed eventus promiſsionis: tum etiam Deus prævidit eventum talem in toto populo, (de toto enim interpretantur hunc locum) qui nunquam tamen evenit: aut perſeverantiam prævidit in omnibus fœderatis: quod non concedent. tum denique fideles, quum perſeverant in fide, non eſſent promiſsionis filij, ſed & potius aliquo modo patres. Si *credibilis* tantum ſtatuatur efficacitas, tum hæc prophetia non tantùm non promiſsionem, ſed ne prædictionem quidem certam continet, ſed ita contingentem, ne pro ſuâ tantum probabilitate narretur. Si Deo tantùm hic caveatur, ne *per ejus gratiam ſtetiſſe* videatur, quod populus recedat; tum antea non ſic ſuam gratiam diſpenſaverat, quin per eam ſteterit, quod toties ab eo receſſerant: id enim iſtic promitti dicunt, quod erat futurum, & antea non factum. Utrum horum agnoſcere malint, id viderint ipſi.

Talis quum ſit primarius locus, quo hoc argumentum fulcitur, de cæteris facilius negotium erit.

Iſa. 54. 10. Secundus locus habetur Iſa. 14. 10. *Montes recedent & colles*

colles dimovebuntur, attamen benignitas mea à te non recedet, & fœdus pacis meæ non dimovebitur, ait miſerator tuus Iehova. Reſpondent Remonſtr. *Deum hic tantum teſtari ſe promiſſionibus ſuis fideliter ſtaturum, pro ſuis filijs, qui ab ipſo ſunt edocti p. 13. 17. ſed non promitti, eos ſemper fore ſervos Iehovæ.* Sed multa ſunt quæ contra pugnant. 1. Hac interpretatione conceſſâ, nullum eſſet novi fœderis â vetere diſcrimen, quoad ejus conſtantiam & immutabilitatem, quâ id imprimis præcellere docent Scripturæ, Heb. 8. 9. in priore enim fœdere ſtaturus Deus fuerat ſuis promiſsis, dum homines in obedientiâ manerent. 2. Hæc promiſsio ejuſmodi fuit, quoad firmiſsimam ejus conſtantiam, qualis illa fuit quæ facta eſt olim de aquis Noachi verſ. 9. *ut aquæ Noachi, hoc mihi eſt* &c. ſed illa fuit abſoluta: ergo & hæc. 3. Concedunt ipſi pertinere hanc promiſsionem ad filios Dei, qui erunt ab ipſo edocti: ſed omnes filij erunt edocti verſ. 13. qui verò edocti ſunt, veniunt ad Chriſtum. Ioh. 6. 45. & qui veniunt nec eijciuntur foras, nec ullâ ratione perduntur. ibid. verſ. 37. 39.

Tertius locus eſt ex Iſai. 59. 21. *Hoc erit fœdus meum cum ipſis, ait Iehova: Spiritus meus qui eſt in te, & verba mea quæ poſui in ore tuo, non recedent ab ore tuo,* &c. Excipiunt illi *Iſai. 59. 21.* 1. *Hanc promiſſionem cum converſis fieri, quâ talibus, ut verſ. 20. planum facit, conditionaliter eſſe intelligendam, ſi modo ſit promiſſio.* 2. *Dici poſſe externum aliquid & peculiare hic Iſraëlitis promitti.* 3. *De perſeverantiâ non poſſe intelligi, quia hæc non ab eo ſolum tempore, ſed & ante dicitur fuiſſe. Notum etiam eſt hanc non minus uni quam alteri electo contingere: atque adeò fruſtra tam latè exprimeretur, non recedet ab ore tuo, ſeminis, & ſeminis ſeminis tui.* 1. Hæſitanter hæc ab ipſis dici parentheſis illa prodit, *ſi ſit promiſſio, & non præceptum*, quâ tantùm non fatentur, hanc totam ſententiam abſolutam affirmationem præ ſe ferre: præcepti enim vel formam vel ſpeciem non haberet, ſi eſſet ex conditione ſuſpenſa.

2. Nul-

2. Nullus apex eſt vel in hoc verſu, vel in præcedente, unde conditionis præſcriptio cum ullâ ratione colligatur. Verſum viceſimum, quem hanc in partem Remonſtrantes trahunt, in alteram accipit Apoſtolus Paulus Rom. 11. 27. promiſsionem abſolutam & electorum propriam in eo contineri manifeſtis verbis confirmans. 3. *Externum* nihil ſonat, *Spiritus meus qui eſt in te:* nec in rebus illis fidei quæ ad fœderis novi ſubſtantiam ſpectant, *peculiare* quidquam Iudæi habent ſupra gentes. Gal. 3. 28. Rom. 9. 7. 8. & 16. 12. 4. Temporis circumſtantiam nihil ſe adjuvare dicent ipſi credo, quum illa bene penſiculaverint, quæ ad verba Ieremiæ diſceptata fuere. Expreſſam verò mentionem *tui*, *ſeminis tui*, *& ſeminis ſeminis tui*, non mirabuntur illi, qui fidelium norunt hæſitationes, etiam ubi ſumma rerum eſt certitudo. Seminis etiam inculcatio, ſolos electos & efficaciter vocatos notari docet, Apoſtolo ſic hunc titulum interpretante, Rom. 9. 8. Gal. 3. 16. & 4. 28.

Hoſ. 2. 19. Quartus locus eſt Hoſ. 2. 19. *Deſponſabo te mihi in ſæculum, deſponſabo te mihi &c.* Hic iterum eadem opponunt quæ prius; 1. *Promiſſionem iſtam prærequirere conditionem reſipiſcentiæ.* 2. *Illud ſolum promitti, quod à Dei parte præſtandum erat.* 3. *De beneficiis non ſpiritualibus, ſed corporalibus, hæc verba fieri, quorum natura erat, efficaciſſimè homines flectere ad Dei amorem.* In eandem igitur ſententiam, monendi ſunt denuò, 1. Sponſalia illa, quæ conſtituunt matrimonium, ſub conditione non concipi. 2. Fidem & reſipiſcentiam prærequiri concedimus, antequam in illis perſeverare poſſimus. 3. Chriſtum ipſum ſibimet parare, formare, & confirmare ſuam ſponſam, Eph. 5. 26. 27. etiamſi fuerit & planè indigna, Ezech. 16. 60. 4. Spiritualia bona ſub coporalibus promitti, apertius eſt quam ut poſſit negari, ex verſ. 20. *Deſponſabo te mihi fide, ut agnoſcas Iehovam.* & ex Rom. 2. 25. *Vt etiam apud Hoſeam dicit, vocabo populum,*
qui

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

qui meus non erat, populum meum: & eam quæ dilecta non erat, dilectam: & erit in loco ubi dictum fuerat eis, non populus meus vos, illic vocabuntur filij Dei viventis. 5. Deſponſatio duplex eſt: una per externum pactum, quomodò omnes & ſinguli Iudæi conjungebantur Deo. Iſai: 1. Ier. 13. & inter Corinthios, omnes & ſinguli veram fidem profitentes: altera per internam & efficacem diſpoſitionem, quomodo non omnes Iudæi, ſed *ex Iudæis* electi conjuncti dicuntur Deo. Rom. 9. 24. Hanc autem conjunctionem indiſſolubilem eſſe dicimus, non illam. Arctiſſimam autem hanc deſponſationem verbis illis Prophetæ deſignari, & Paulus ibi teſtatur, & Petrus etiam Epiſt. 1. cap. 2. verſ. 9. 10.

Quintus locus eſt Pſal. 125. 1. *Qui confidunt Iehovæ, non dimovebuntur, in ſæculum permanebunt ut mons Sion.* Reſpondent Remonſtrantes. 1. *Non dimovebuntur ad infortunium, quamvis poſſint à fide.* 2. *Textum nihil habere, quam, qui confidunt Iehovæ, erunt ut mons Sion, qui non dimovetur, ſed permanebit in æternum.* Pſal. 125. 1.

Quorum primum triplici ratione temerarium eſt & abſurdum: nec enim infortunium ullum aut calamitas major eſt quam à fide dimoveri: nec in cæteris, eventus alius eſt juſto quam improbo, & qui fidei ſcuto jam deſtituitur, omnibus infortunijs objicitur nudus. Secundum verò diverſa facit illa quę ſunt planè eadem. Eſſe enim ut mons Sion, vel montis illius ſimilis in iſta qualitate, quod non dimovetur ſed permanet in æternum, nihil aliud eſt quam non dimoveri, ſed permanenre in æternum, ut mons Sion.

Sextus petitur ex Ioh. 4. 14. *Quiſquis biberit ex aquâ illâ, quam ego ei dabo, non ſitiet in æternum: ſed aqua illa quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam.* Reſp. Remonſtr. *Declarari hic tantum à Chriſto ſe veniſſe ut præclariorem vitam donaret quam eſt animalis, ſuo tempore certò poſſiden-* Ioh. 4. 14.

Pp dam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

dam; vel ut daret animo ſatisfactionem talem, ut qui verè crediderint, ita expleantur ut nihil aliud ſitiant. quamdiu enim hic ſumus ſitire beatum eſt Matth. 5. & poſſumus etiam à bibendo ceſſare. Ier. 12. 13. Sed, 1. non eò ſolum Chriſti verba ſpectant, ut ad alterius vitæ conſiderationem hanc fœminam ducat: ſed & diſcrimen quantum ſit oſtendit, quod reperitur inter illam aquam, vel Spiritus gratiam, quæ facit ad vitam ſpiritualem, & elementarem hanc quæ ad animalem ſolam conducit. 2. Diſcrimen unum in eo ponit, quod aqua putealis non adeo extinguit ſitim, quin bibens eam neceſſe habeat iterum ſitire: aqua verò à Chriſto donanda, omnem ſitim aufert, ut qui eam biberit non ſitiat in æternum. Alterum diſcrimen eſt, quod aqua putei non permanet in eo qui bibit, ſed tranſit & evaneſcit: aqua verò Chriſti ſit fons permanens, & perennis. 3. Aquam iſtam ſpiritualem, à fidelibus potari in vitâ præſenti, cum ex præſenti loco manifeſtum eſt tum etiam ex cap. 6. §. 4. ubi reſurrectionis antecedens eſſe indicatur, *ſanguinem Chriſti bibere*: tum etiam ex cap. 7. verſ. 38. 39. ubi expreſsè teſtatur Evangeliſta, dici hæc *de Spiritu quem accipiunt credentes in eum.*

4. Sitis duplex eſt, una *totalis indigentiæ*, Iſa. 65. 13. altera fruitionis & *complacentiæ partialis*. 1. Pet. 2. 2. 3. illa tollitur per gratiæ participationem, hæc augeſcit indies, dum ſumus in viâ, per fidem ambulantes & non per aſpectum.

5. Deſertores illos de quibus Ieremias conqueritur Cap. 2. 13. aquam hanc unquam verè bibiſſe, nec affirmatur uſquam, nec ullo argumento probari poteſt. Relinquere enim ea dicimur quę non curamus, vel à quibus animos noſtros avertimus, quamvis participes eorum non fuimus. Sic vox hęc עזב ſæpius uſurpatur. Exod. 23. 5. Neh. 3. 8. 2. Par. 10. 8. Externè tamen appropinquaverant iſti ad Deum, à quo etiam externè jam diſceſſerant,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

ferant, & illo etiam reſpectu, eum dereliquiſſe dicuntur.

Septimum teſtimonium ex varijs locis inter ſe cognatis conſtat. Ioh. 5. 24. & 6. 35. 37. 39. 44. 46. 57. quibus omnibus unicum illud opponitur, *æternam vitam promitti, ijs qui perſeverant in fide: ſed perſeverantiam ipſam non promitti.* At verò quum fidelis dicitur, *vitam æternam habere*, in præſenti, *in condemnationem non venturus*, in futuro, & in præterito, *tranſijſſe à morte in vitam*; *foras non ejiciendus*; *non perdendus*; *in ultimo die ſuſcitandus*; *& vitam victurus æternam*; hæc omnia ſanè majorem quandam & arctiorem connexionem fidei ac vitæ præ ſe ferunt, quam promiſſionis eſt in conditionem incertam conjectæ. Nec tamen phraſibus iſtis nudis hoc argumentum nititur, ſed earum potius ratione ac propriâ causâ: fidem ſcilicet participes nos eorum facere, quæ certò nos ducent ad vitam; interceſſionis nempe Chriſti, aſſiſtentiæ Spiritus ſancti, protectionis divinæ, naturæ divinæ, & vitæ ipſius æternæ. Quâ etiam in parte, diſcrimen venit obſervandum, inter promiſſionum harum, & comminationum illarum rationem, quarum proprius finis eſt, abducere homines ab ijs medijs quæ ad exitium tendunt, non ad exitium ipſum perducere: promiſſionum enim iſtarum uſus & finis eſt, non à ſalutis medijs avocare, ſed ad ſalutem ipſam fideles transferre. *Ioh. 5. 24. & 6. 35. &c.*

Octavum eſt ex Ioh. 10. 28. 29. *Oves meas non rapiet quiſquam è manu meâ, & Patris mei.* Reſpondent Remonſtrantes, 1. *Quamvis rapi non poſſint dum ſunt oves, non ſequi tamen eos non poſſe deſinere oves eſſe, aut è manibus Patris transfugere per peccata. Contrarium apparere Ezech.* 34. 5. 16. 2. *Cauſam ovium conſervatarum ſtatui hic in Patris potentia, oppoſita infirmitati hoſtis earum, & non in immutabilitate voluntatis earum.* Sed 1. argumentatio Chriſti ob oculos eſt po- *Ioh. 10. 28. 29.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

nenda, quę eſt hujuſmodi: ſi nemo meas oves rapiet è manu meâ & Patris, tum dabo ipſis vitam æternam, & non peribunt in æternum: ſed nemo eas rapiet è manu meâ & Patris: ergo dabo iſtis vitam ęternam & non peribunt in ęternum. Iam ſi verum ſit quod Remonſtrantes reſpondent, poſſe ęas deſinere eſſe oves, quamvis non rapiantur, tum propoſitionis conſequentia non eſt neceſſaria, atque adeò neganda: poſſunt enim perire vel æterna vita deſtitui, quamvis nemo eas rapiat è manibus Chriſti.

2. Oves quæ non poſſunt abripi vel ſeduci à Chriſto, tentationibus ullorum hoſtium, illæ non poſſunt deſinere eſſe oves: nulla enim ceſſatio vel tranſmutatio talis eſt, niſi per aliquam hoſtium tentationem. Sed oves Chriſti non poſſunt abripi vel ita ſeduci ut Chriſtum deſerant, tentationibus ullis hoſtium: hic unicus enim eſt modus, quo eas rapere niti ſolent hoſtes, & fruſtra id eos conaturos promittit hoc loco Chriſtus. Ergo oves Chriſti non poſſunt deſinere eſſe oves.

3. Quoſdam homines per externam profeſſionem ovium nomine & pellibus tectos perire, vel perdi poſſe, non negamus: quales Iſraëlitæ fuerunt olim. Matth. 10. 6. & 15. 24. quales etiam pingues & validę illæ fuerunt, de quibus Ezechiel loquitur cap. 3. 16. arietes enim & hircos appellat, verſ. 17. & veras etiam oves multis calamitatibus obnoxias eſſe, prout verſ. 5. declarat: ſed gregem verum paſcui Dei perire poſſe negant ejuſdem capitis verba poſtrema.

4. Quum cauſam ovium conſervatarum ſtatui negant in immutabilitate voluntatis earum, nugas agunt. Non dicimus enim voluntates fidelium eſſe immutabiles in ſeſe, aut abſolutè immobilitari per gratiam inhabitantem, ſed per potentiam Dei conſervantem à totali mutatione liberas factas eſſe.

5. Si

5. Si potentia Patris fideles conſervans, ſuperet potentiam hoſtium impugnantem, tum ſuperat omnes fidelium tentationes, & non ſinit eos vinci.

6. Si dicant raptum hic violentum ſolum intelligi, tum nihil majus Dei potentiæ tribuunt quam ipſorum hoſtium: non poſſe enim homines docent è Satanæ ac peccati manibus per converſionem ullam neceſſariam ac prædeterminatam eripi, nedum violentam aut coactam. Deum etiam promittere faciunt conſervaturum ſe ſuos ab illo malo, cui fieri non poteſt ut vel ſubjiciantur ipſi, vel hominum quiſquam.

7. Paſtoris boni officium eſt cuſtodire ſuas oves, non ſolum ne hoſtium vi abripiantur, ſed ne aberrent etiam â paſcuis & ovili: quod Deus etiam erga ſuos facit. Pſal. 23. 3. Hucuſque aureæ hujus conſolationis locum à tentationibus defendimus, nunc auctarij loco Socini explicationem ſubjungemus, ne vel ipſe pater audacium cavillationum quidquam in hunc locum habere putetur quod iſti non habent. Sic ille cap. 12. Prælect. Theologic. *Cum Chriſtus*, ait, *Oves ſuas perire non poſſe, nec quenquam rapturum eas de manu ſuâ, nullo pacto eſt intelligendum, eos qui Chriſti ſunt, Chriſti eſſe deſinere nullo modo poſſe: Nam certè poſſunt ſi ſidem abjicere velint, ſive in Chriſti mandatorum obedientiâ non perſeverare. Neque enim in illis Chriſti verbis, de eo ſermo eſt, quod ipſæ oves contra ſeipſas facere poſſunt, & ſuâ ſponte vel propriâ culpâ, aliquo modo pati, ſed de eo quod alij poſſunt facere adverſus ipſas, deque damno quod aliunde illis invitis inferri poſſit, &c.*

Nonum teſtimonium eſt Matth. 16. 18. *Adverſus eos qui ſupra petram fundati ſunt, non prævalebunt portæ inferorum.* Matth. 16. 18.
Reſpondent Remonſtrantes. *Promitti hic Eccleſiæ, dum Eccleſia manet, mortis poteſtatem ei non ita prævalituram, ut in damnatione maneat: non autem intelligi per inferorum portas*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

diaboli fraudes ac dolos quibus ſtudet hic aliquos ſeducere. Totum hoc nugamentum è domeſticis Socini argutijs eſt. Sic enim ille primus novator. I. in Miſcell. p. 262. *Chriſti verba non ita prorſus ſunt accipienda, ut credamus quæ vera Chriſti Eccleſia eſt, eam non poſſe Sathanæ aſtutijs ſubverti, ſed quamdiu vera Chriſti Eccleſia fuerit, fieri non poſſe, ut ab ipſâ morte atque inferno quicquam detrimenti patiatur.* II. In tractatu de loco, *Tu es Petrus & ſuper hanc Petram* &c. longus & prolixus eſt in eâdem interpretatione ornandâ: cui ſufficiet hæc argumenta breviter oppoſuiſſe.

1. Quicquid adverſatur ædificationi eccleſiæ ſuper petram, vel conſtanti adhæſioni ad Chriſtum, id intelligitur per portas inferorum prævalentes: his enim verbis removet contrarium illius qnod ante poſuerat: *ſuper hanc petram ædificabo meam eccleſiam.* Sed fraudulentæ ac doloſæ Satanæ tentationes, ad ſeductionem fidelium efficaces, huic ædificationi & conſtanti adhæſioni vel maximè adverſantur. ergo illæ etiam per portas inferorum intelligi debent. 2. Quicquid egreditur ex portis inferorum vel inde principium ſuum habet, illud per hanc phraſin intelligi debet: ſed tentationes diaboli egrediuntur exinde: ergo. 3. Si damnatio ſola fidelium per haſce portas intelligatur, tum conſiſtere poteſt hæc promiſſio cum totali defectu eccleſiæ militantis: nihil enim ſponderet militantibus, ſed ſolis defunctis. Hoc autem cum intentione Chriſti in eo loco pugnat, & cum receptâ ſententiâ omnium interpretum, ne dicam etiam Chriſtianorum. 4. Similem promiſſionem eccleſiam ſcilicet in ſtatu ſuo integrali non eſſe damnandam, vix poto reperiri inter omnes Chriſti ſermones. 5. Petrus ipſe, quem allocutus eſt hic Servator, aliter videtur hanc ipſam rem interpretari. 1. Ep. 2. 7. ubi adverſarios, infideles, *ædificantes*, dum ædificant & impingunt, ad portas iſtas pertinere docet, quæ lapidum vivorum ædificationem ſuper caput

anguli,

anguli, vel petram hanc impugnant. 6. Obſervari debet proportio, quam innuit hoc loco Chriſtus, inter duas civitates, unam cælorum, quæ ſuas portas & claves habet verſ. 19. & inferorum alteram, quæ ſuis portis conſiliorum & machinationum omnium plenis, ruinam illius molitur: has verò molitiones non prævalituras, Chriſtus hic nobis fidem facit. Quum igitur civitas opponitur civitati, ac portis portæ, & una (Eccleſia ſcilicet) conſideratur in ſtatu præſentis ædificationis, alteram etiam conſentaneum eſt ſpectari prout illam impugnat in præſenti.

Vltimum teſtimonium petitur ex Ioh. 14. 16. *Ego rogabo Patrem, & alium paracletum* (vel advocatum) *dabit vobis, ut maneat vobiſcum in æternum.* Reſp. Remonſtr. 1. *Aeternam Spiritus manſionem, non opponi diſceſſioni illius ex cordibus fidelium, ſed diſceſſioni Chriſti per mortem.* 2. *Promiſſionem hanc potuiſſe fieri ſpeciatim Apoſtolis, vel toti Eccleſiæ, non ſingulis membris, idque cum conditione ſubaudiendâ, de mandatis Chriſti ſervandis. verſ.* 15. 3. *Intentionem aut finem hujus donationis poſſe verbis his notari, & non eventum.* In eandem ferè ſententiam locum hunc explicat Socinus Tract. de Eccleſiâ p. 31. Sed horum cavillorum primus eſt prorſus vanus. Manſio enim Spiritus, non eſt in humanâ naturâ per hypoſtaticam unionem aſſumptâ, ſed in cordibus fidelium: diſceſſio igitur quæ hic negatur, non eſt mors, ſed fidelium deſertio totalis: æterna ejus manſio eſt conſtans ejus habitatio in cordibus eorum in quos ingreſſus eſt. Secundum eſt merum effugium ad Apoſtolos enim non poteſt reſtringi, quod promittitur *in æternum* hic futurum, id eſt, *ad conſummationem ſeculi.* Mat. 28. 20. Nec poteſt hic Spiritus in Eccleſiâ totâ manere, niſi etiam in membris quibuſdam permaneat, nam extra hæc membra non eſt Eccleſia, quæ nihil aliud eſt quam collectio fidelium ut membrorum. Si verò quibuſdam hoc promittatur, tum omnibus: omnium enim idem jus eſt in promiſſionibus

Ioh. 14. 16.

evan-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

evangelicis. Mandatorum verò obſervatio, non eſt antecedens conditio ad ſpiritus donationem, ſed conſequens ejus effectum. Tertium autem ab omni probabilitate relinquitur. Levem enim conſolationem hoc diſcipulis attuliſſet, ad mitigandum dolorem quem Chriſti mors allatura fuit ijs, audire intentionem eſſe Dei, conſolatorem ipſis perpetuum dare, ſed non tam certam eſſe illam intentionem, quin irrita fieri poſſit, & eventu ſuo carere. Abſolutam etiam certitudinem ejuſdem eventus confirmat alibi Chriſtus verbis expreſſis. Mat. 28.20. *Ecce ego vobiſcum ſum, omnibus diebus, uſque ad conſummationem ſeculi.*

Cap. III.

Argumentum ſecundum.

Pag. 125.

Deum omnes verè fideles conſervare à totali & finali apoſtaſiâ.

SI Deus omnes verè fideles ita cuſtodiat, ut neque finaliter neque totaliter deficiant, tum fieri non poteſt ut deficiant. Sed verum prius. 1. Cor. 1. 8. & 10. 13. 1. Theſſ. 5. 23. 2. Theſſ. 3. 3. Phil. 1. 6. Ergo & ſecundum.

Reſp. Remonſtr. in genere, *Conſervationem hanc ejuſdem generis eſſe cum promiſſione, id eſt, ſub conditione præcedaneâ, quæ à fidelibus exigitur, nempe niſi deſint ipſi ſibi, quod Deus illos eſt fideliter & efficaciter conſervaturus & ſuſtentaturus.* Ubi illud quidem libenter agnoſco, & amplector etiam, cuſtodiam hanc ejuſdem omninò generis eſſe cum illâ, quâ nititur, promiſſione. Hanc autem certam & immutabilem eſſe, nec ab humano arbitrio ſuſpendi, palam jam factum eſt ad argumentum præcedens. Hæc tamen inſuper hic vellem obſervari. 1. Conditionem hanc (ut fidelis quiſque officium ſuum faciat) *præcedaneam* ab illis fieri tam ad conſervationem, quam ad promiſſionem divinam. hoc autem poſito, conſequens eſt illud, officium

illud

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

illud hominis fidelis, nullo modo præſtari vi hujus vel promiſſionis vel cõſervationis. nihil enim præcedaneum, efficitur illa virtute, quæ eſt in actu conſequente. 2. Neminem ex eorum ſententiâ per Dei gratiam in fide conſervari, qui officio ſuo deeſt. Hanc enim conditionem præcedaneam faciunt ad ſuſtentationem illam quam habemus à Deo. 3. Conſtantiam fidei prærequiri (ſecundum eorum ſententiam) ad conſervationem in fide (conſtantia enim eſt pars officij noſtri) quum tamen id quod conſervat, conſtantiam rei conſervatæ, antecedit ſemper, ut cauſa. Hæc adeò abhorrent à communi Scripturarum ſententia ac fidelium ſenſu, ut non indigeant ſolicitâ ullâ refutatione. Communi igitur hac exceptione omiſſa, quid ſigillatim adferunt ad ſingula teſtimonia, videbo.

Primum habetur 1. Cor.1.8. 9. *Qui etiam confirmabit vos* 1.
uſque ad finem inculpatos in diem Ieſu Chriſti. Varia reſpon- 1.Corinth.
dent Remonſtr. 1. *Nihil hic aliud doceri, quam non ſtaturum* 1.8.9.
per Dei fidelitatem, quo minus confirmentur. Sed 1. Si hoc totum illud ſit quod hiſce verbis docetur, ubi gratiam Dei laudat, quę fidelibus datur per Ieſum Chriſtum, uti verſ. 4. indicat, tum nihil majus habetur in evangelicâ promiſſione, quam fuit olim in pacto legali: non ſtetit enim per Dei fidelitatem quo minus homines in illo fuerint ad æternam vitam confirmati. 2. Tum etiam idem judicium faciendum eſt de vocatione, quæ confirmationis hujus ſtatuitur exemplum: *fidelis eſt Deus per quem vocati eſtis*, id eſt, *per quem non ſtetit quin vocati fueritis*. Quæ interpretatio ſi admittatur, tum non in iſtis actibus vocandi & confirmandi tantum, ſed & in redemptione, juſtificatione, cæteriſque omnibus divinæ gratiæ effectis, obvium & facile ſophiſtis erit, principalem & propriam eorum cauſam ubivis potius collocare, quam in Dei gratia. Quamvis enim per Deum non ſtetit quin hæc ſic eſſent, quod unicum ſignificatur quum Deus illa feciſſe dicitur, ab alio tamen effici poteſt ut ſint.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

Coloſſ. 1. 22. Reſp. 2. *Idem iiſdem penè verbis promitti Coloſſ.* 1. 22. *adjectâ diſertè conditione: ſiquidem permanetis in fide fundati & ſtabiles.* Ubi 1. non dicũt verum: nec enim in illo verſu tam eſt promiſſio, quàm deſcriptio; nec ulla fit mentio confirmationis. 2. Si verum hoc eſſet quod dicunt, nihil tamen ad rem faceret: eadem enim res & abſolutè promittitur, quia certò efficietur, & cum conditione, quia nõ alias efficietur niſi per media: & in illis medijs hominis ipſius exigitur cura.

Reſp. 3. *Poſſe ſic legi, confirmabit vos in adventu, hoc eſt, confirmabit ut ſtetis coram ipſo in adventu ſuo.* Quod nullo modo fieri poteſt, niſi contra interpretum omnium autoritatem ac fidem; contra vocis tam uſum, quàm ſignificationem receptam; & contra nexum illum immediatum, quem Apoſtolus ibi facit inter vocationem fidelium & confirmationem in ſtatu ad quem vocantur.

Reſp. 4. *Id non ſentire Apoſtolum quod nos volumus, quia exhortationes & admonitiones quas adhibet poſtea, inanes prorſus eſſent.* Quam crambem toties recoctam, inſulſam eſſe jam ſæpius oſtendi, quia nempe per ſuaſiones haſce confirmatio illa perficitur, quam Deus nobis promiſit.

Reſp. 5. *Deum eſſe fidelem, quamvis derelinquat eos qui ipſum derelinquunt, & illi infidi fiant.* 2. *Tim.* 2. 12. 13. Quod verum quidem eſſe nemo ſanus negaverit. Sed 1. quæritur an fidelis ſit in promiſſione de ijs in fide conſervandis. 2. Relinquendi verbum non habetur in textu, ſed abnegandi: abnegare ante quis poteſt Chriſtum, qui verus fidelis nunquam fuit.

1. Corinth. 10. 13. Secundus locus eſt 1. Cor. 10. 13. *Tentatio vos non cepit, niſi humana. Fidelis autem eſt Deus, qui non ſinet vos tentari ſupra id quod poteſtis: ſed præſtabit unà cum tentatione, etiam evaſionem, ut poſſitis ſufferre.* Ubi, *ſufficientes quidem vires ad tentationes omnes vincendas, renatis promitti* fatentur Remonſtr. *ſed evaſionis promiſſionem non niſi caventibus proponi: alias non congrueret cum prægreſſâ exhortatione, verſ.* 7. 8. 9. 10. 12. Vigilantibus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

quidem ac non dormientibus tam lex quàm evangelium, ſcribitur, ſed is vigilare nos facit, oculos noſtros aperiendo qui ipſe cuſtos eſt Iſraëlis, & non dormit neque dormitat. Pſal. 121. 4. qui etiam dormientes nos ac torpentes curat nec ceſſat inclamare, uſque dum è ſomno & lecto nos excitavit. Cant. 5. 1. atque huc præcipuè faciunt tam adhortationes quàm comminationes illę, quæ ſimul junguntur cum promiſsione.

Tertius eſt 1. Theſſ. 5. 23. *Deus pacis ſanctificet vos totos, ut integer veſter ſpiritus, & anima, & corpus inculpatè in adventum domini noſtri Ieſu Chriſti conſerventur*, Reſp. Remonſt. 1. *Hoc eſſe votum, atque ideò nihil pro nobis facere. imò hinc probari, hoc potuiſſe aliter fieri, quoniam Apoſtolus tam ardenter orat, ut ſic fiat.* Sed 1. Votum hoc non temerè fuit conceptum: ſed à Spiritu ſancto ſuggeſtum; in promiſſione fundatum, & in promiſsionem etiam converſum, tum per ſolemnem hanc & publicam propoſitionem, tum per confirmationem illam adjunctam verſ. 24. *Fidelis eſt qui vocat vos, qui etiam id efficiet.* 2. Collectio illa vaniſsima eſt, *Apoſtolus orat ut Deus hoc præſtet, poteſt igitur aliter fieri.* Fieri non potuit ut Chriſtus retineretur à morte. Act. 2. 24. hoc etiam novit ipſe, tam illâ ratione, quâ omnia novit, quàm ex eo quod prædictum fuerat Pſal. 16. 10. *In diebus tamen carnis ſuæ deprecationibus & ſupplicationibus oblatis, cum clamore valido & lachrymis apud eum qui poterat ſervare à morte, & exauditis precibus liberatus fuit à metu. Heb.* 5. 7.

1. Theſſ. 5. 23.

Secundum atq; etiam tertium reſponſum cõſtituit vetus illa cantilena de exhortationibus & commonefactionibus: de quibus toties jam dictum fuit.

Reſp, 4. *Si exactè urgeantur verba, tam perfectam immunitatem à peccatis inde poſse probari, quàm finalem perſeverantiam in fide.* Sed alium eſſe ſenſum, cum analogia fidei & aliorum locorum oſtendit, tum etiam ipſa verba quibus votum hoc explicatur. *A Deo pacis* illud petitur quod neceſſarium eſt

 ad pa-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

ad pacem cum ipſo conſervandam. *Sanctificatio* petitur quę gradatim fieri ſolet. Præſervatio etiam petitur, quæ radicis perſiſtentiam infert, non fructuum & foliorum omnium.

4. 2. Theſſ. 3.3. Quartus locus eſt 2. Theſſ. 3. 3. *Fidelis eſt Deus, qui ſtabiliet vos, & cuſtodiet ab illo improbo.* Reſp. 1. *Idem hoc eſſe cum promiſſione præcedente.* 1. Theſſ. 5. 23. Benè igitur eſt, quod promiſſionem agnoſcunt jam, quod votum tantum eſſe jam modò contēdebant. Idem autem in utroque loco promitti, nos non inficias imus: ſed alio tamen modo unum illud quum explicatur, ſeorſim poteſt urgeri.

Reſp. 2. *Promiſſionem hanc eſſe conditionalem, ut verſ.* 4. & 2. *indicant.* Collectione planè mirâ. Cōfidit Paulus eos facere & facturos ea, quæ præcipit illis: ergo Deus non abſolutè promiſit cuſtodire ipſos à ſeductione finali ac totali. Cōfidit Chriſtus Deum Patrem ipſum glorificaturum: Ioh. 17. num quid inde ſequetur, hoc abſolutè non fuiſſe decretum & promiſſum? Opponuntur fideles hominibus protervis ac ſceleratis: ergo cuſtodientur in fide conditionaliter: quam malè conſutæ ſunt iſtæ nugæ?

5. Phil. 1. 6. Quintus & ultimus locus eſt Ph. 1. 6. *Perſuaſū habens hoc ipſū fore, ut qui incepit in vobis bonū perficiet uſq; ad diē Ieſu Chriſti.*

Unum hic Remonſtrantes reſpondent, quod propriè pertinet ad hunc locum; *hanc perſuaſionem habuiſſe Apoſtolum, ſecundum legem charitatis, & judicium æquitatis, (ut liquet ex verſu ſequenti) ſicut juſtum eſt, ut ego id ſentiam de vobis, &c, ex conſideratione præteritorum*; ac proindè *non niſi conditionaliter, nempe perſuadentem ſibi, illos non defuturos in progreſſu.* Neque prorſus vanum eſt quod adferunt de judicio charitatis & æquitatis, ſic enim Apoſtolus ipſe apertè mentem ſuam explicat. Sed 1. obſervandum eſt, judicium iſtud charitatis incertum eſſe, non reſpectu electorum & verè fidelium: de ijs enim certiſſimè pronunciat aliàs: ſed reſpectu multitudinis eorum qui inter Philippenſes Chriſti fidem profitebantur. Hinc eſt quod verſ. 7. vocem illam

illam interſerit (*omnibus*) quam non adhibuit verſ. 6. nec memorant hic Remonſtr. dum 7. verſ. citant. Ex judicio charitatis ita ſperabat de omnibus illis: & idẽ tantum judicio certiſſimo credidit & enunciavĩt de verè fidelibus.

2. Eandem perſuaſionem, quam Paulus habuit de ſalute verè fidelium, voluit proculdubio in eorum ipſorum animis confirmare. Sed illa perſuaſio, quæ debet eſſe in animis fidelium de propria ſua ſalute, non eſt ex judicio charitatis, ſed fidei certæ. Ergo hæc perſuaſio eſt etiam certa. 3. Perſuaſionis illius quam exprimit Paulus verſ. 6. proprium quaſi fundamentum eſt, conſtans natura vel gratia Dei: ſed judicium charitatis non alia ratione propriè nititur quam ſignis externis. 4. Iudicium ipſum charitatis non rectè dicitur conditionale. Quamvis enim nihil ferè præter conjecturã habet; quod tamen habet, eſt abſolutũ. Charitatis non eſt judicare Titium ſalvum fore ſi perſeveret in fide, hoc ipſius fidei certiſſimũ eſt pronunciatum: ſed Titium perſeveraturũ, aut tale quid, abſolutũ.

CAP. IV.

Argumentum tertium.

Pag. 428.

SI vivifica & vera fides non detur niſi electis, & Deus definivit certò, electos ſuos ad ſalutem perducere per fidem; tum verè fideles nunquam finaliter aut etiam totaliter deficient. Sed verum prius: ergo & poſterius. *Fidem eſſe propriam electorum, quos Deus ad ſalutem certò perducere decrevit.*

Hoc argumentum accuſant Remonſtr. infirmitatis & abſurditatis apertæ. 1. *Quia ex interno Dei decreto nihil tale poteſt inferri, niſi prius probetur, Deum velle decretum illud exequi vi quâdam irreſiſtibili, cujus contrarium ante probari conſidunt.* Quo nihil infirmius adferri potuit, ne ab ijs quidem qui infirmitatem alicujus argumenti non indicare, ſed imitari ac ſuperare ſtuderent. Nam 1. Ex omni decreto divino de re quacunque præſtandâ vel efficiendâ inferri poteſt per neceſſariam conſequentiam, rem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

illam fore, nec fieri poſſe ut non ſit; quamvis modus ille quo Deus id efficiet, ſit omnibus hominibus prorſus ignotus. Non eſſet aliàs in officio noſtro, fidere tali decreto revelato, ſed rogare ſemper de modo, *(quomodo iſtud fiet?)* nec prius acquieſcere quàm illum ſciamus: quod inter verè fideles, pro infidelitatis nota ſolet haberi, ſecundum ſententiam illam veterem, quæ Iuſtino tribuitur, σαφὴς ἔλεγχος ἀπιστίας τὸ πῶς περὶ θεοῦ λέγειν: *manifeſtum infidelitatis argumentum dicere de Deo, quo modo*? 2. Abſolutum & peremptorium eſſe electionis decretum, fatentur ipſi: nam conditionatum eſſe negant. pag. 118. 3. Non dicent ipſi decretum illud quo Deus decrevit ſingulares & certas quaſdam perſonas ſervare, tam debili virtute perfici ut illi poſſit ulla creatura reſiſtere. Rationem ſecundam ex eo deducunt, quod *eâdem ratione ſequeretur, reprobationis decretum cauſam eſſe, cur multi non perſeverent.* Cujus comparationis nullam vim eſſe ad primum articulum demonſtravi. quia ſcilicet nec reprobationis nec reprobati finis propriè dictus eſt damnatio, ſicut ſalus eſt electionis & hominis electi.

Tertium hujus accuſationis argumentum addunt. *Quod non poſſet hinc inferri, fideles totaliter non defecturos, quamvis finalis perſeverantia exinde probaretur.* Utriuſque tamen eandem rationem eſſe patet, 1. Quia ſi electio ex naturâ ſuâ tam conſtans ac certa ſit, ut per ſe apoſtaſiam excludat, tum poſtquam actus ejus circa hominem ullum exercetur, non magis in viâ quàm fine liberum ipſum à defectione præſtat. 2. Quum primùm electionis actus circa hominem electum exercetur, ſalutis ipſius portionem aliquam communicat ipſi: quam ſi totaliter amitteret unquam, hoc electionem ipſam non immutabilem eſſe probaret, atque adeò, tam in fine quàm aliàs, incertum eventum habere.

Hactenus de accuſatione: teſtimonia jam examinare pergunt.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

pergunt. Primarius autem locus quem in iſtoc argumento vexant, eſt Matth. 24. 24. *Vt ſeducerent, ſi fieri poſſet, electos.* ubi Chriſtus ipſe teſtatur, fieri non poſſe ut electi ſeducantur. Matt. 24. 24.

Reſp. 1. *Illud (ſi fieri poſſet) poſſe, atque etiam ut ipſis videtur, debere ſic explicari, ut nihil aliud ſignificet, quàm ſeductores facturos.quantum poterunt, ad electos ſeducendos.* Quæ tamen explicatio, nec debet nec poteſt admitti. Non debet, quoniam nullum exemplum proferri poteſt, ex ullâ parte Scripturæ, ejuſdem phraſeos, ejuſmodi ſenſum ferentis. Non poteſt, quia propoſitum Chriſti in illis verbis eſt indicare, quàm admiranda & efficacia forent pſeudoprophetarum & pſeudochriſtorum ſigna, (adeò ſcilicet, ut ſeducerent omnes qui ſeduci poſſunt) non intentionem talium hominum, aut conatus ab ijs deſtinatos notare. *Edent ſigna & miracula: adeò ut ſeducerent,* (id eſt, adeò magna, ut ſeducerent) *ſi fieri poſſet, electos.* Eodem etiam facit, quod dicitur in textu ϗ τοὺς ἐκλέκτους, *etiam ipſos electos*, qui modus loquendi comparationem & gradationem innuit, à magis probabili, ad illud quod minus eſt veriſimile. Quod ſic non poteſt accipi, quaſi ſeductores facerent quicquid poſſent ad alios ſeducendos, atque etam ad electos: hoc namque minus probabile faceret illud quod eſt certiſſimum. Certiſſimum enim eſt, ſeductores hoſce nervos omnes intenturos potius, ad præſtantes viros (quales hic Remonſt. intelligi putant per electos,) quàm ad alios ex vulgo ſeducendos.

Reſp. 2. *Hunc loquendi modum (ſi fieri poſſet) non deſignare ſemper aliquid abſolutè impoſſibile, ut poteſt perſpici Gal.* 4. 15. *Act.* 20. 16. *Luc.* 17. 1. *Ier.* 13. 25. *ſed & difficultatem perficiendi. Matth.* 19. 23. 26. Quibus omnibus in locis, ſemel tantum aut iterum hæc eadem phraſis habetur (*ſi fieri poſſet*) Gal. Gal. 4. 15.
nempe 4. 15. *teſtimonium reddo vobis, vos (ſi fieri potuiſſet) veſtros oculos effoſſos, daturos fuiſſe.* Ubi etiam abſolutam denotat

notat

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

notat impoſſibilitatem: fieri enim non potuit, ut ſuos oculos ad Apoſtolum transferrent, vel ut ejus oculi ſint, ullo modo efficerent. Fieri etiam non potuit, ut juſtè (id enim fieri poteſt, in officijs, quod juſtè poteſt) & cum Apoſtoli, vel Eccleſiæ utilitate, ſuos oculos effoderent: aut oculorum effoſſione gratitudinem & amorem erga ipſum declararenr. Paulus dicitur *feſtinare ut* (*ſi poſſibile ei eſſet*) die
Act.20.16. Pentecoſtes Hieroſolymis eſſet. Act.20.16. reſpectu ignorantiæ ſuæ (neſciebat enim utrum hoc abſolutè impoſſibile foret ipſi nec ne.) talis verò conjectandi ratio Chriſti verbis non poteſt affingi. Cæteris in locis eadem phraſis non reperitur, *ſi fieri poſſit*. Si etiam in ipſis impoſſibile ſignificet difficile, tum poſſibile ex analogiâ in hoc loco, nihil aliud notaret quàm facile: hoc autem quam abſonum foret, res ipſa declarat, *Edent ſigna & miracula, adeò ut ſeducerent* (*ſi facile eſſet*) *etiam ipſos electos*. Negari tamen non
Matth.19. 26. poteſt, quin Matth. 19. 26. impoſſibilitas abſoluta notetur, eo nempe ſenſu, quem Chriſtus ipſe reddit, *apud homines*: & difficultas illa quæ eſt in tranſitu cameli per foramen acus, nihil differt ab impoſſibilitate abſolutâ, quoad potentiam ullam creatam.

Addunt inſuper duplex argumentum, ut probent, defectionem electorum non dici impoſſibilem. 1. ex eo *quod dicitur verſ.* 12.13. *Quoniam multiplicata erit iniquitas, refrigeſcet charitas multorum: ſed qui ſuſtinuerit ad finem uſque, is ſervabitur.* 2. *Ex commonefactionibus adjectis, quibus omnes fideles ad curam & diligentiam vocantur.* De commonefactionum hujuſmodi cum certitudine eventus convenientiâ, ſatis ante dictitatum eſt. Illud unicum addo, orationem illam quam Chriſto, ſatis perversè ac inverecundè, affingunt, *Videte, electi mei, ne ſeducamini, quia ſimpliciter non poteſt fieri ut ſeducamini*, non minus alienam eſſe ab interpretatione noſtrâ, quam eſt à Chriſti verbis. In hanc enim ſententiam Chriſti mentem concipimus, *Videte ne ſeducamini, tot enim*

ac tantis machinationibus veſtra fides impugnabitur, ut qui ſecundum electionem æternam, virtute Dei cuſtodiuntur & Spiritu verboque ejus, ad omnem vigilantiam excitantur, vix tamen ex iſtis periculis evadant ſalvi.

Verſum 12. & 13. quod attinet, dico, 1. extinctionem totalem ibi prædici, charitatis illius quæ non eſt vera & radicata charitas. Tales enim, teſte Apoſtolo, 2. Theſſ. 2. 10. *Amorem veritatis non receperunt, ut ſalvi fierent.* 2. Diminutionem etiam partialem in verè fidelibus connotari: ita ut ſenſus ſit; tanta regnabunt poſthac ſcelera, ut charitas quorundam, qui cæteris videbantur ardentiores, penitus evaneſcat, & aliorū fervor multùm decreſcat, quāvis non prorſus exuant priſtinum ſuum affectum. Videant igitur omnes, ut caveant ſibi ab iſtis offenſis, veram fidem & charitatem ad finem uſq; retinentes: ſic etenim facientes ſalvi erunt. Nihil hic de apoſtaſiâ totali verè ſanctorum.

Reſp. 3. *Chriſtus ſtudet ſeductionis efficaciam exaggerare: quæ autem eſſet iſthæc exaggeratio, ſi quis diceret futurum, quod abſolutè & ſimpliciter fieri non poteſt?* Illa quidem non eſſet exaggeratio ulla niſi apertæ falſitatis, abſolutè dicere futurum, quod abſolutè fieri non poteſt. Dicere tamen gravem rem aliquam ex aliâ re ſecuturam, niſi prævalens intercederet impedimentū, quo interpoſito jam ſequi non poteſt, hunc legitimum eſſe exaggerandi modū quis dubitat? Eſſe etiam divinū, antecedēs oratio docet, verſ. 21. 22. *Erit tunc afflictio magna, qualis non fuit, nec unquā fiet: & niſi decurtati fuiſſent dies illi, non ſervaretur ulla caro: ſed propter electos decurtabūtur.*

Reſp. 4. *Non eſt credibile, diabolum caput atque principem pſeudoprophetarum, tantum ad ſeducendum eſſe adhibiturum operæ, ſi ſciret ſe nihil effecturum apud electos, alios verò reliquos ſine ullo labore ſuo, certò ſuos eſſe.* Hoc ſcilicet Chriſtianorum eſt, de myſterijs divinis judicium facere ex illis conjecturis, quas de diabolo ſuppeditat nobis ratio. Dico tamen, credibile nobis eſſe, diabolum hoc quicquid eſt operæ, vel ex furore,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

adhibiturum. Adhibuit enim ſæpiùs circa Chriſtum ipſum, apud quem ſe nihil effecturum novit. Nec ideò tantum in tentationem homines inducere ſtudet, ut ſui ſint, ſed etiam ut Dei nomen hoc pacto ledatur: id quod per quemlibet efficere non ceſſaret, quamvis ipſum ſingulariter electum eſſe noſſet: quanto magis cum incertus maneat quinam electi ſint, & qui non. Huc etiam accedit, quod maleficijs, & conatibus ipſis pravis, adeò delectatur & quaſi paſcitur malignus iſte ſpiritus, ut vel animi causâ, hanc ſuam artem, ubi poſſit, exercere ſemper velit.

Reſp. 5. *Non ſequitur, electi non poſſunt ſeduci per ſigna & prodigia pſeudoprophetarum: ergo illi non poſſunt ullo modo ſeduci, vel ex gratia excidere, & perire. Adam non fuit ſeductus.* 1. *Tim.* 2. 14. *excidit tamen ex gratiâ.* Quam verò miſera ſunt hæc omnia? 1. Conſequentia nulla formatur à Noſtris hic, nec ipſis formanda relinquitur, aſſerunt hoc *diſertè doceri, diſertè Chriſtum hoc teſtari, electos non poſſe ſeduci,* id eſt (ut illi interpretantur, non *ergo*) non poſſunt abduci, aut ſeparari à Chriſto. 2. Conſequentia illa quam in textu contineri dicimus, non illa eſt quam ipſi hic fingunt, *Electi non poſſunt per pſeudoprophetas ſeduci: ergo non poſſunt ullo modo ſeduci:* ſed ordine inverſo; *Electi non poſſunt ullo modo ſeduci: ergo non poſſunt per pſeudoprophetas ſeduci.* 3. Valida tamen eſt illa conſequentia, non poſſunt per pſeudoprophetarum ſigna tot ac tanta ſeduci, ergo nullo modo. Ratio eſt, quia modus hic ſeductionis eſt omnium efficaciſſimus: unde etiam *efficacia* ipſa *Satanæ,* & *efficacia deceptionis* vocatur. 2. Theſſ. 2. 9. 11. 4. Firma etiam & altera illa conſequentia: *Si non poſſit ſeduci, tum non poteſt excidere & perire.* Quiſquis enim à Deo diſcedit, quamvis peſſimè ſibi conſulat, facit id tamen cum conſilio quali quali: ſi enim conſilium omne deſit, libertas arbitrij deeſt. In conſilio verò juſtam cauſam & legitimam ratio hujus diſceſſus nunquam poteſt invenire. Falſæ igitur & fallaci aſ-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

ſenſum præbet ſemper, ſub ſpecie veræ ac bonæ: Sic autem ferri in tentationem eſt etiam ſeduci. Hoc Apoſtolus Paulus expreſsè docet, quum ad communem efficacitatem peccati deſcribendam phraſin elegit, hujus omninò ſimilem, Rom. 7.15. *Peccatum ſeduxit me.* ſicut & Heb.3. 13. Eph. 4. 22. Præterea quicquid à ſeductionis periculo præſtat fideles immunes, cui primi parentes obnoxij fuerunt, id etiam à violentijs, vel, ſi ſint aliæ tentationes ullæ, eâdem ratione liberare poteſt, & liberabit. Si nec rapi poſſint, quod olim conceſſerunt, nec etiam ſeduci, manebunt indubiè, & non peribunt. 5. Si Adam non fuit ſeductus, non ſequitur tamen eum non potuiſſe ſeduci. Si verò in illo ſtatu fuiſſet, ut non potuiſſet ſeduci, tum nec à gratiâ excidere potuiſſet. 6. Non ſic intelligenda ſunt Apoſtoli verba 1. Tim. 2. 14. quaſi Adamum ſeductum fuiſſe negaret omninò: ſed ex priore verſu repetenda eſt vox illa, *prior. Adam formatus eſt prior: Adam non fuit ſeductus prior.* *1. Tim. 2. 14.*

Reſp. 6. *Negamus hic reſpici ad conſilium divinum electionis, ſed judicamus hic per electos intelligi, qui reliquos fide præcellunt,* ſecundum phraſin Hebræorum, 1. Sam. 26. 2. Ier. 22. 7. Eſa. 22. 7. 48. 10. 58. 15. Cant. 6. 9. Luc. 23. 35. 1. Pet. 2. 4. Act. 9. 15. *Quod autem ita accipimus, hæc una ratio eſt, quia hac voce ita ſumptâ, vis ſeductionis maximè amplificatur: quæ tanta fore dicitur, ut non tantùm infirmos, & mediocres, ſed & præclariſſimos & excellentiſſimos in fide ſeducerent, niſi dies in eorum gratiam abbreviarentur. Quare & Marcus addit, electos quos elegit, id eſt, quos peculiariter eo tempore vult cuſtodire.*

Sed 1. disjungunt illa quæ ſunt omnium rerum conjunctiſſima, electos nempe ſecundum æternum Dei conſilium, & eximios illos viros qui cæteros in gratia præcellunt. Omnes enim hujuſmodi præſtantia, & omnis benedictio ſpiritualis, ab electione divina promanat. Eph. 1. 2. 3. & qui electi ſunt in conſilio divino, *electi ſunt ad ſalutem*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

per ſanctificationem Spiritus, & fidem habitam veritati. 2, *Theſſ.* 2. 13.

2. Non datur exemplum in ullâ parte Evangelij, nec per totum Novum Teſtamentum, ubi vox hæc (*electi*) per ſe, vel abſolutè poſita, ſic ullam excellentiam denotat, ut non reſpectum etiam habeat ad æternum Dei conſilium. Non
Luc. 23.35 Luc. 23. 35. aut 1. Pet. 2. 4. ubi Chriſtus dicitur electus. Ideò
1. *Pet.* 2. 4. enim electus dicitur, quia *præordinatus fuit ante jacta mundi*
Act. 9. 15. *fundamenta.* 1. Pet. 1. 20. Non Act. 9. 15. ubi Paulus dicitur vas *electum*. Sic enim hoc Ananias accepit, cui dictum fuit, ut ſignificaret, Paulum *à Deo deſtinatum fuiſſe, qui cognoſceret ipſius voluntatem, & juſtum illum videret. Act.* 22. 14. Neque alius eſt hujus phraſeos uſus in veteri Teſtamento, ubi agitur de gratiâ ſpirituali.

3. Quum verſ. 31. *Mittet angelos ſuos cum tubæ voce magnâ, & congregabunt electos ejus à quatuor ventis*, palam ſit, eos deſignari, qui in conſilio divino præ ceteris eliguntur, non eſt probabile, alium hic ſenſum ejuſdem vocis latere.

4. Illud quod apud Marcum eſt cap. 13. 20. *electi quos elegit*, non modo non labefactat, ſed etiam confirmat interpretationem receptam. Pleonaſmus enim ille, *quos elegit*, apertè nos deducit ad conſilium divinum: ſicut verſ. 19. *rerum conditarum, quas condidit Deus*, ad effectionem divinam, ſimili phraſi, creaturas omnes refert. Huic autem loco dum ſuum ſenſum imponere ſtudent, magnam vim inferunt ipſis verbis. In eâdem etiam ſententiâ, ubi nomen per verbum explicatur, (*electi* quos *elegit*) nomini aliam, & aliam verbo notionem adjungunt. *Electi* (ajunt) id eſt, *præcellentes in fide*, quos *elegit*, id eſt, *vult cuſtodire.* Si novum quid comminiſci voluerint, conſentaneum illud ſanè debuerunt facere, & partibus ad ſe invicem magis aptatis: vel, *præcellentes, quos Deus præcellere fecit*, vel, *cuſtoditos, quos Deus cuſtodit*, vel tale quid congruenter ponendo.

5. Pe-

5. Peculiaris illa cuſtodia per per dierum afflictionis opportunam decurtationem, quam electis hic promitti dicunt, ijs magis deberi videtur, qui in fide infirmi ſunt, quam fortibus & confirmatis: præſertim, ſi infirmitas illa ex dierum illarum anguſtijs oriatur. Fortibus enim non adeò nocere poſſunt illæ tentationes, quam infirmis. Horum tamen Deus non minorem habet curam, quam eorum qui ſunt fortiſſimi. Arundinem quaſſatam non ſinet confringi, nec linũ fumigãs extingui. Tentationibus omnibus moderari ſolet, prout ſuis vires adeſſe videt. 1. Cor. 10. 13.

Reſp. 7. *Si mordicus urgeantur nuda verba, ſequetur fideles non poſſe in ullos errores abduci, ac proinde neque peccare.* Quod verum quidem eſſet, ſi nuda verba ſumantur, ſine illâ diſpoſitione, quam habent in textu, & ex quâ debent judicari. Hæc autem planiſſimum facit, non quamvis hic ſeductionem intelligi, ſed exitialem ſolam.

Secundum teſtimonium eſt, Rom. 8. 29. 30. quo de loco prolixè diſceptatum eſt in articulo primo, ad ſecundę partis argumentum primum. *Rom. 8. 29. 30.*

Tertium eſt Rom. 11. 1. *Deus populum ſuum non abjecit, quem præcognovit.* *Rom. 11. 1.*

Reſpondent Remonſtrantes. *Deus quidem populum ſuum non abjicit: ſed qui fuit populus Dei per fidem, poteſt non populus eſſe, vel per infidelitatem defringi. verſ.* 20. 21. 22. 23.

Ubi 1. diſtinguunt inter abjectionem & defractionem, ſine ullo fundamento. Apud Apoſtolum per totum cap. 11. *abjectio, lapſus, diminutio, & defractio,* unum planè ac idem ſonare, Lector attentus ſtatim obſervabit.

2. Totam vim & impetum hujus loci declinant. Nihil enim de *populo præcognito* reſpondent, quem Apoſtolus innuit abjici non poſſe, aut ullo pacto defringi.

3. Apoſtolus nuſquam docet per totũ caput, eoſdẽ ſingulares homines ſtetiſſe aliquando per veram fidẽ in gratiâ,

 & poſtea

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

& poſtea per infidelitatem defractos fuiſſe. verſ. 20. 21. 22. 23. nulla ſit mentio fidei, quâ defracti illi unquam ſteterunt.

Rom. 11. 7. Quartum eſt Rom. 11. 7. *Omnes electi hæreditatem vitæ æternæ aſſequuti ſunt.* Excipiunt Remonſtr. *Nihil aliud in textu haberi quam electi aſſequuti ſunt, & ſubintelligi, juſtitiam, non hæreditatem vitæ.* Inter juſtitiam verò ac vitam talis non eſt diſtantia, ut alterutram hic excludi putemus. Conjunguntur ab Apoſtolo per totam hanc Epiſtolam, quum docet ubique, *gratiam regnare per juſtitiam in vitam æternam.* Excipiunt. 2. *Quamvis electi aſſequuti ſunt juſtitiam, vel hæreditatem vitæ æternæ (ſeu potius jus ad illam hæreditatem) per fidem, non ſequi tamen, ergo non poſſunt ceſſare à fide, & bonum quod aſſequuti ſunt amittere.*

Cujus conſequentiæ ratio firmiſſima eſt, primò ex connexione certâ & infallibili, quam habent inter ſe, *electi*, ac *ſalutis aſſecutio.* Si enim vera ſit illa connexio, tum electus non fuit, qui non aſſequitur. Secundò, ex connexionis hujus causâ, quæ conſtans eſt & immutabilis, electio ſcilicet ipsa, unde eſt, quod in textu non dicitur electi aſſecuti ſunt, ſed *electio aſſecuta eſt*: quod plus eſt quâm ſi dixiſſet electi aſſecuti ſunt: quia & illud dicit, & cauſam etiam notat hujus adeptionis: quaſi diceret, electi, quâ electi, ſeu ratione & vi electionis, juſtitiam & vitam vel jus ad vitam aſſecuti ſunt. Hoc autem ex diametro pugnat cum Remonſtrantium ſententiâ, qui docent non per electionem acquiri juſtitiam, & jus ad vitam æternam: ſed per juſtitiam & perſeverantiam in eâ, acquiri jus ad electionem.

Rom. 11. 29. Quintum ac ultimum teſtimonium eſt ejuſdem cap. verſ. 29. *Dona & vocatio Dei ejuſmodi ſunt, ut eorum ipſum pœnitere non poſſit.* Reſp. Remonſtr. *Etſi Deum doni ſui non pœnitet, hominem tamen pœnitere poſſe doni accepti vel retenti. Sed & Deum etiam donorum ſuorum pœnitere, ſi homo illis abutatur.*

Gen.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

Gen.6. 1.Sam.15.&c. Hoc autem quod dicunt argumētationi Apoſtolicæ quaſi è regione obſiſtit. Sic enim Apoſtolus, quamvis Iudæi ſint hoſtes evangelij,& valdè abuſi ſint beneficijs ipſis conceſſis, firmior tamen eſt electio ac promiſſio Dei, de multis eorum vocandis & ad ſalutem perducendis, quàm ut hac indignitate irrita reddatur: ratio eſt, quia dona hæc, quæ pertinent ad electionem, & vocatio, quâ homines ad perceptionem eorum ducuntur, ejuſmodi ſunt, ut eorum Deum pœnitere non poſſit. Imò verò, reſpondent Remonſtr. quamvis hoc verum ſit aliquo ſenſu, fieri tamen poteſt, ut ipſos Iudæos pœniteat harum rerum, & vocationem, dona, promiſſionem, & electionem omnem à ſe repellant; atque adeò efficiant, ut Deum etiam pœniteat tam donorum ſuorum, quàm vocationis ad ipſa.

Quomodo Deo pœnitentia tribuatur.

Illud verò quod objiciunt, de pœnitentiâ nonnunquam Deo attributâ, nihil eſt. Neque enim ibi agitur de hujuſmodi donis & vocatione: neque propriè intelligi poteſt, niſi etiam vel ſcientiam vel eſſentiam Dei mutabilem facere velint. Neminem enim alicujus rei pœnitet propriè, qui cognita omnia habuit ante, quæ ad eam ſpectant, vel eam contingunt, & ejuſdem omninò judicij ac diſpoſitionis eſt cujus ante fuit. Quem vero pœnitet facti, hoc ipſo quod pœnitet, declarat ſe facturum non fuiſſe, ſi eventum talem præſciviſſet, & eundem habuiſſet animum quem nunc habet. Præterea, comparationem quandam hic inſtituere videtur Apoſtolus, inter hæc & alia dona, quaſi diceret, quamvis multa ſint leviora Dei beneficia, quæ aufert ſæpè Deus ijs quibus ante dederat, quo reſpectu dicitur aliquando pœnitere; dona tamen & vocatio de quibus nunc agitur, certa ſunt, nec ita promiſſa ut poſſint non impleri, vel ut Deum eorum pœnitere poſſit unquam. Pœnitentiam igitur illam, quæ circa res alias tribuitur ſic urgere, ut par ſit etiam ratio in iſtis donis,

quæ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

quæ ſunt vocationis & electionis, hoc nihil aliud eſt quàm Apoſtoli argumentum in ipſum retorquere.

Reſp. 2. *Hunc locum non facere ad rem: quia hic non agitur de immutabili decreto æternæ electionis, ſed de Iudæorum reſtauratione: neque de donis fidei & perſeverantiæ, ſed de propoſito Iudæos vocandi ad evangelij communionem, ſecundum ſuum fœdus quod exequi volebat.* Sic illis jam ſolemne eſt, partem unam veritatis aſſumere, eâque abuti, ad alteram vel evertendam, vel dimovendam. Verum hoc eſt quod dicunt, reſtaurationem Iudæorum, & reſtaurandi propoſitum in iſtoc loco tractari. Non tamen idcirco à cauſæ conſideratione diſceditur, cujus vi effectum hoc exſtiturum fuit. Electio autem æterna eſt cauſa primaria, ad quam Apoſtolus bonum omne ſalutare perpetuò ſolet referre. Non repulit Deus populum ſuum quem præcognovit, vel *præelegit*, verſ. 2. reſervatio facta eſt ſecundum *electionem* gratiæ, verſ. 5. *electio* aſſecuta eſt, verſ. 7. quod ad *electionem*, diliguntur, verſ. 28. cujus ultimi verſiculi conſideratio Suarezium ipſum Ieſuitam ad interpretationem hanc noſtram approbandam adduxit. Sic enim ille de Prædeſt. lib. 2. cap. 6. ſect. 36. *Dona Dei ſunt ἀμεταμέλητα, Rom. 11. 29. id eſt, dona illa, quæ proficiſcuntur ex electione, ut indicant verba proximè præcedentia, ſecundum electionem chariſſimi.*

Vel etiam ſupra modum ambiguè, & obſcurè nimis loquuntur, vel illud ipſum quod expreſsè concedunt, & eorum cauſam evertit & noſtram confirmat. Quum enim Deum hoc propoſitum habere dicunt, vocandi Iudæos ad evangelij communionem, & idem ipſum exequi velle, plenitudine gentium ingreſsâ; vel hoc intelligunt de propoſito abſoluto, vel conditionato; vel etiam de communione oblatâ per vocationem ſufficientem, vel de communione actu exercendâ per vocationem efficacem. Si de propoſito conditionato, & vocatione efficaci, Deum nempe velle ipſos ad communionem perducere, ſi ipſi non

deſint,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

deſint ſibi; vel de propoſito abſoluto & vocatione ſufficiente, Deum nempe velle ipſis illa media concedere, quibus poſſint ad fidem adduci; hæc in ſæcula ventura non rejiciebantur: in præſentia enim dum Paulus hæc ſcribebat, & per hanc ipſam ſcriptionem id agebat Deus, & propoſitum tale exequebatur, ſi vera ſint quæ Remonſtrantes defendunt. Si verò de propoſito abſoluto, & vocatione efficaci debeant hæc exponi; tum abſolutum decretum admittunt, de fide quibuſdam ingenerandâ; tum etiam prædeterminari quid à Deo fatentur, quod non evenit, niſi interveniente hominis liberâ voluntate.

Cap. V.

Argumentum quartum.

Pag. 414.

Quicquid Dominus noſter Chriſtus Patrem orat, hoc certò fiet. Ioh. 11.41.42. *Sed Chriſtus orat Patrem perſeverantiam verè fidelium. Luc.*22.32. *Ioh.* 17.15. 20. *Rom.* 8.34. *fideles igitur certò perſeverabunt.*

Chriſtum orare Patrem pro perſeverantia fidelium & exaudiri.

Ad propoſitionem reſpondent Remonſtr. *Eam vel abſolutè & ſimpliciter intelligi, vel cum additione & limitatione. Si abſolutè, tum periculosè dicitur: quia* 1. *Chriſtus oravit pro hoſtibus ſuis, ut Pater illis ignoſceret, & non fuit exauditus.* 2. *Orat & nos voluit orare pro hoſtibus ſuis.* 3. *Orat pro ſuis ut ſerventur ab improbo & ſint concordes, qui tamen peccant, nec ſemper concordes manent.*

Sibi quidem & ſuæ cauſæ, ſi quid periculi metuant, ex iſtâ ſententiâ Chriſti, abſolutè & ſimpliciter acceptâ, hoc non eſt adeò mirum. Sed veritati nihil exinde periculi poteſt creari. Quum enim in amicitiâ ipsâ humanâ, ſit modo ſumma, non fas eſt, amicorum unum quidquam rogantem ab altero, non impetrare; quum etiam nos ipſi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

talem fiduciam apud Deum habemus, *ipſum, ſi quid petierimus ſecundum voluntatem ejus, nos audire.* 1.Ioh.5.14. Quanto magis audit ſemper Chriſtum, in cujus voluntate tanta conformitas eſt cum divinâ, ut nihil unquam, niſi quod Patri placuit, vel petierit, vel etiam propriè voluerit? Rationes quas adferunt aſſertionis tam gravis, & periculi plenæ, ſunt paleis ipſis leviores. *Oravit* (ajunt) *pro hoſtibus, ut Pater illis ignoſceret, & non fuit exauditus.* Pro omnibus & ſingulis ſuis hoſtibus ipſi (puto) non dicent eum oraſſe: inter eos enim erant qui peccarant ad mortem, Matth, 12.24.31.32. pro quibus nemo debet orare. 1.Ioh.5.16. pro quibuſdam autem exauditum eum fuiſſe, non poſſunt ullâ ratione negare: quum hujus orationis virtute, tot millia Iudæorum, ad unam & alteram Petri concionem, converſa fuerint ad Dominum, & peccatorum omnium remiſſionem ſint actu conſequuta. Act.2.41.&c. *Orat & oravit, ut & nos voluit orare* (*dicunt*) *pro hoſtibus ſuis.* Quod, repetitione illâ demptâ (*oravit pro hoſtibus*) quâ ſecundò jam urgetur, quod ne ſemel quidem opponendum fuit, ſpeciem non habet ullius rationis. *Chriſtus voluit nos orare pro hoſtibus ſuis: ergo ipſe non impetrat, quicquid Patrem ſuum orat.* Tertium illud ejuſdem eſt farinæ, *orat pro ſuis ut ſerventur ab improbo, & unum ſint.* Non enim orat ut ſtatim liberentur ab omni peccato, & omni modo perfectam habeant charitatem: ſed ut gradatim hæc fiant, prout eadem res explicatur, Eph.4.12.13. & nihil intercedat, quod talem eventum prorſus impedire poſſit. Quam verò temerarium hoc eſt, propoſitionem illam cum Chriſti honore adeò conjunctam, (*Quicquid Patrem ſuum orat hoc impetrat*) negare, & negandi rationes tam frivolas adferre? Si tamen totum hoc ipſis concederemus, Chriſtum ſcilicet non ſemper id à Deo impetrare quod orat, & propoſitionem hanc ita corrigeremus, *Quicquid Chriſtus pro fidelibus orat, illud impetrat*, argumentum hoc eandem vim haberet.

Hoc

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

Hoc autem expreſsè fatentur ipſi pag. 437. *quando* (ajunt) *pro talibus orat* (id eſt, pro fidelibus, qui ex mundo non ſunt) *auditur ſemper.* Vel ſi hoc non obtineremus, & reducenda eſſet hæc propoſitio ad interceſſionem illam ſolemnem, quæ oblatione ejus nititur, cujus canon habetur Ioh. 17. firmum adhuc maneret argumentum. De hac autem *certo certius concludere nobis licet, Chriſti preces nunquam rejectum iri.* Sunt verba Arminij in Orat. de Sacerdotio Chriſti, pag. 19.

Sed nec adjuvat quidquam illud quod addendum eſſe putant: *Quicquid Chriſtus Patrem ſuum orat, hoc impetrat: eo nempe modo quo orat: vel quicquid abſolutè orat.* De modis orationis & impetrationis, quin inter ſe conveniant, nemo ſanus dubitare poteſt: ſed hoc nihil impedit, quin abſolutè ac ſimpliciter verum ſit, quod in propoſitione habetur. Imò refutantur hoc modo objectiones illæ de oratione Chriſti pro hoſtibus, ut Pater illis ignoſceret, & pro ſuis, ut ab improbo ſerventur. Hæc enim impetrabat eo modo, quo orabat. Ineptè igitur interrogant iſti, *Quis auſit dicere illum in iis fuiſſe exauditum?* Quis enim auſit negare, eum exauditum eſſe, qui impetrat quod orat eo modo quo orat? Neque plus valet additio ſecunda, *quicquid Chriſtus abſolutè orat, hoc fiet.* Nam 1. juxta ſententiam Arminij, quam aliquando in publicis diſputationibus explicuit (ut teſtantur viri fide digni) nulla propria eſt oratio, quæ non ſit abſoluta: quæ etiam ſententia non eſt temerè damnanda, cum inniti videtur rationibus non contemnendis, præſertim illâ, quæ deducitur ab orationis naturâ. Oratio enim eſt ſubmiſſa repræſentatio voluntatis noſtræ apud Deum, ut ab ipſo perficiatur. Explicatio velleitatis, quâ quid vellemus, ſi aliud non obſiſteret, non eſt oratio propriè dicta. Iam verò, nihil volumus propriè quod non abſolutè volumus. atque adeò nihil petimus quod non abſolutè petimus, quamvis in diſpoſitione precantium con-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

ditionis ratio, virtualiter ſæpè contineatur. Petimus quidem nonnunquam, ut unum fiat ſi alterum contingat: cujus quidem conſequētis rei futuritio ut conditionata ſit rogamus: ſed ipſa tamen petitio eſt abſoluta, quoniam abſolutè petimus, ut poſito uno, ponatur & alterum.

2. Nullum exemplum proferre poſſunt, orationis alicujus conditionatæ, quâ uſus unquam eſt Chriſtus, dum perſeverantiæ donum fidelibus à Patre contendit.

Hactenus de propoſitione. Aſſumptio ſequitur, quam ſecundum diſtinctionem præmiſſam, negant. *Chriſtus* (inquiunt) *nuſquam oravit abſolutam perſeverantiam fidelium in fide: imò non tam ſollicitè oraſſet ut perſeverarent, ſi Deus abſolutè ſtatuiſſet eam fore.* De re quicquid fuerit, ratio hæc eſt inepta. Orat enim Chriſtus Ioh. 17.5. ut glorificet eum Pater apud ſemet ipſum eâ gloriâ quam habuit apud illum priuſquam mundus eſſet. Hanc tamen glorificationem Chriſti abſolutè conſtitutam fuiſſe à Patre, Remonſtrantes puto non negaturos. Quicquid verò negent vel concedant illi, certum eſt, ſcientiam voluntatis divinæ de re aliquâ præſtandâ, non extinguere, ſed accendere potius fervorem eandem rem petendi, in ijs qui ſpiritum illum gratiæ & precationum acceperunt, quem effundit Deus ſuper domum Davidis. Zach. 12. 10. Hoc David confirmat exemplo ſuo 2. Sam. 7. 27. 28. 29. ubi hanc ipſam cauſam eſſe dicit, cur ædificationem ſuæ domus à Deo petendam eſſe judicabat, & inſtanter petebat, quia Deus revelaverat ipſi decretum ſuum, quo conſtituerat domum ejus ædificare. *Tu enim Iehova, revélaſti in aurem ſervi tui, dicendo; domum ædificaturus ſum tibi: idcirco invenit ſervus tuus cum corde ſuo, orandum te eſſe oratione hac, &c.*

Quid? quod hæc ipſa ratio Remonſtrantium ſententiam prorſus evertit. Si enim tam ſollicitè non oraſſet Chriſtus ut abſolutè perſeverent fideles, ſi illud abſolutè Deus ſtatuiſſet; tum nec orare voluit ut ex condi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

tione perſeverarent: hoc enim ſaltem tunc temporis fuit ſtatutum, ut perſeverarent, ſi ſibi non deeſſent: hoc igitur non petijt Chriſtus à Patre. Sed probationes iam ſunt perpendendæ, ex quibus liquebit, utrum oratio Chriſti abſoluta fuerit nec ne.

Prima ſumitur ex Luc. 22.32. *Ego deprecatus ſum pro te, ne deficiat fides tua.* Non negant hic orare Chriſtum abſolutam perſeverantiam, vel conſervationem certam à defectione. Sed *hanc ſpecialem orationem eſſe* contendunt, *& Petri, vel ſaltem Apoſtolorum ſingulare privilegium.* Quod ſi verum eſſet, hæc tamen inde lucraremur. *Luc.22.32*

1. Fideles aliquando in graviſſima incidere peccata, & tamen non penitus excidere à gratia & fide. Petro enim Chriſtum fœdè abnegante, fides ejus non penitus defecit.

2. Abſolutam prædefinitionem fidei, vel perſeverantiæ in fide, non tollere omnem voluntatis libertatem; nec admonitiones inutiles ac vanas efficere. Nam poſt orationem hanc oblatam, & exauditam, libertatem ſuam retinuit Petrus, & admonitionem illam audivit etiam verſ. 46. *Surgite & orate, ne introeatis in tentationem.*

Sed neque Petri proprium fuit hujus orationis beneficium: Chriſtus enim alloquitur plures, *Satanas appetit vos,* &c: nec Apoſtolorum tantum: omnes enim fideles ſuper eandem petram ſunt ædificati, atque adeò ijſdem ſuſtentantur fulcris. Et ad omnes *fratres* hujus conſolationis & confirmationis rationem ſpectare, Chriſtus ipſe non obſcurè docet verſ. 33. Sed nihil planius eſt, *Ioh.17.15.*
quam quod à noſtris adfertur, ex Ioh. 17.15.20. Ubi pro reli- *20.*
quis diſcipulis orat, *ut Pater eos ſervet ab improbo,* & apertè profitetur, *ſe illud non tantum orare pro diſcipulis ſuis,*

 ſed

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

ſed & pro ijs, qui per ſermonem ipſorum erant crediturì in ipſum.

Reſp. Remonſtr. petitionem illam verſ. 15. *ut eos ab improbo conſerves, poſſe dici ſpecialiter pro diſcipulis factam eſſe, idque reſpectu muneris Apoſtolici: vel per improbum intelligi perſequutiones miniſterium ipſorum impedientes. & illud tempus potiſſimum reſpici, quo diſpergendi erant per Chriſti apprehenſionem & mortem. Vel ſi per improbum intelligatur peccatum, tum Deum à ſuâ parte cuſtodire, ſed eorum eſſe officium ſuum curare.* Ultimum hoc de partibus hujus conſervationis inter Deum & hominem diviſis, aliquoties ante examinavi. Obſervari tamen poteſt, partes Dei in conſervatione Apoſtolorum ſaltem tales fuiſſe, ut abſolutam perſeverantiam ipſis præſtaret: ac proinde illã officij curam, quam hominibus aſſignant, certitudinẽ perſeverantiæ non impedire.

In reliquo ſermone, multis verbis nihil dicunt. Tempus enim quod Chriſtus potiſſimum reſpicit, ab ipſo clarè denotatur, verſ. 12. 15. *(quum eſſem cum ijs in mundo, &c. nunc autem ad te venio)* illud nempè quod diſceſſum ejus ex mundo ad Patrem ſequebatur: non excluſo tamen intercedente illo ſpatio, cujus illi mentionem faciunt. 1. Per *improbum* vel *malum illum*, & conſervationem ab ipſo, defenſionem quidem à perſequutionibus intelligi non negamus: ſed quatenus tentationis rationem habent, ut in precatione dominicâ, phraſin hanc expoſitam habemus ab ipſo Chriſto, *Ne nos inducas in tentationem, ſed libera nos à malo:* ubi malum, & tentatio, eodem ſenſu dicuntur. Si verò illâ ratione, tum non à ſolis perſequutionibus liberari ſuos vult Chriſtus, ſed & ab omnibus tentationibus, ne in eas inducantur, vel per eas penitùs abducantur ab ipſo. Hoc ſic eſſe, planiſſimum illud facit quod verſ. 11. habetur, *Pater ſancte ſerva eos in nomine tuo, ut ſint unum ſicut & nos:* ubi ab omni tentatione ſervari eos vult, quæ à nomine Chriſti, ac unitate fidei & charitatis divellere eos poſſit.

& verſ.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

& verſ.12. ubi Chriſtus dicit ſe eos ſervaſſe, quum fuit cum ijs in mundo, & ab illo malo ſervaſſe, quod perdidit Iudam. Iudas autem non perſequutionis vi abreptus fuit, ſed avaritiæ: neq; multum diſcipuli perpeſſi fuerant Chriſto cum ijs præſente. Hoc etiam Remonſtrantes ipſi nuper conceſſerunt, quum ad hujus argumenti propoſitionem dicunt, pag. 435. *Pro ſuis orat ut ſerventur ab improbo: non igitur fideles peccant?* ubi per conſervationem ab improbo, cuſtodiam à peccato intelligi non tam concedunt, quam docent & contendunt. An de Apoſtolis tantum hæc verba fiant, non eſt cur ſollicitè laboremus: verſ. 20. parem eſſe omnium fidelium rationem expreſſis verbis teſtatur: *Non tantum pro iſtis oro, ſed & pro ijs qui per ſermonem eorum credituri ſunt in me.*

Reſp. Remonſtr. 1. *Velle hic Chriſtum id ſolum indicare, non orare ſe pro Apoſtolis, quaſi pro ſingularibus hominibus, ſed ut pro Apoſtolis, quorum miniſterio alij quoque erant credituri, pro quibus quaſi re ipſa orabat.* Hoc eſt, non orabat Chriſtus pro omnibus fidelibus *reipſa*, ſed *quaſi reipſa*. Quod ſi prius ipſis in mentem veniſſet, potuiſſent etiam eâdem facilitate ad Apoſtolos ipſos aptare, dicendo, Chriſtum in priore hujus orationis parte, à verſ. 6. id ſolum indicare velle, ſe non orare pro ſeipſo, quaſi pro homine ſingulari, ſed ut pro Eccleſiæ capite, cujus autoritate Apoſtoli quidam erant mittendi & conſervandi, pro quibus quaſi re ipſa orabat. Ubi etiam locus huic effugio accõmodatior fuiſſet, quum tranſitio à Chriſto ad Apoſtolos verſ. 6. obſcurior ſit & minus diſtincta, quam hæc eſt, quæ verſ. 20. ab Apoſtolis ad cæteros fideles habetur. Hæc enim tam clara fit ex ipſo loquendi modo, ut vel percurrens neceſſariò obſervet. Axioma eſt copulatum, duas res inter ſe conjungens, & disjunctionẽm earum negans, orationem ſcilicet pro Apoſtolis, & orationem pro cæteris fidelibus; axiomatis vinculum eſt conjunctio illa copulativa *&*: non ſolum, *ſed &*. Ex

&c. Ex Remonſtrantium verò depravatione, non eſſet hujuſmodi copulatio propria, non unum ullum axioma, ſed duo, quorum uno, negaret Chriſtus orare ſe pro Apoſtolis ut pro ſingularibus hominibus, & altero, affirmaret, ſe pro iiſdem orare ut pro Apoſtolis. craſſa nimis eſt hæc evaſio.

Reſp. 2. *Hoc longius non eſſe extendendum, quam quod ſequitur, ut concordes ſint, & per fidem ſanctificati, in charitate etiam devincirentur.* Neque ſanè opus eſt ut longius extendatur, quam ad id quod in ſequentibus verbis indicatur. *Vt omnes unum ſint, ſicut tu Pater in me, & ego in te, ut & ipſi in nobis unum ſint.* Ubi ſub notâ illâ generali *omnes* & cæteros fideles & Apoſtolos etiam comprehendit: ſic enim ſeries illius dictionis oſtendit, *Non tantum pro Apoſtolis, ſed & pro cæteris fidelibus, ut omnes* (tam Apoſtoli quam cæteri) *unum ſint.* Quum igitur omnes hos ſimul ſpectabat Chriſtus ut corpus unum, eadem etiam ſe beneficia, (quoad ſubſtantiam) oraſſe omnibus docet. Præterea unitas hæc quam iſtis orat Chriſtus verſ. 21. una eademque res eſt cum illa unitate, quam Apoſtolis orat verſ. 11. *Serva eos ut ſint unum, prout & nos*, quæ eadem eſt conſervatio, & eadem planè petitio, cum illâ quæ repetitur verſ. 15. *Rogo ut ſerves eos à malo illo.* Nulla hic patet rima, quâ poſſunt elabi. De ultimo teſtimonio ex Rom. 8. 34. ſatis diſputatum fuit ad theſin primam.

Rom. 8. 34.

CAPUT VI.
Argumentum quintum.
Pag. 437.

Verè fideles orare quotidie pro perſeverantia, & exaudiri.

Qvicquid fideles neceſſarium ad ſalutem in Chriſti nomine orant, hoc obtinebunt certò Ioh. 16. 13. 1. Ioh. 5. 14. Sed illi ſic petunt quotidie perſeverantiam, in verâ fide, Matth. 6. 13. Ergo perſeverantiam in fide certò obtinebunt.

Mirantur

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

Mirantur hic imprimis Remonſtr. hoc argumentum in medium proferri; quia *vel convenit prorſus cum eorum theſi, quâ dicitur, Chriſtum fideles conſervare, ſi non deſint officio, ſed ejus auxilium implorent, &c. vel idem per idem probat, errore magno & ingente abſurditate.* Deſinent autem ulterius mirari, ſi ad ſuos animos attentè referant. 1. Hic orationem ſolam ſupponi: ſed officium totum ab ijs requiri. 2. Perſeverantiam ab ipſis incertam ſtatui (*conſervabuntur ſi orent:*) hic autem certam: *orant, ergo perſeverabunt.* 3. Certam hic ſtatui, quandocunque ex fide rogatur: ab illis autem incertam relinqui uſque ad ultimas illas preces, quas anima tunc emittit, quum ipſa è corpore jam jam eſt emittenda. 4. Eam hic dici *quotidie* rogari, non (ut illi interpretantur) quod perſeveranter petitur ad extremum uſque ſpiritum, quamvis illud etiam verum ſit; ſed quia precibus illis petitur quibus ordinariè fideles utuntur. Atque adeò ſenſum verum rationis hujus eſſe, fideles omnes ab eo tempore quo fideles exiſtunt, perſeverantiam à Deo ut ad ſalutem neceſſariam rogant: omnes igitur fideles ab eo etiam tempore, certi eſſe poſſunt ac debent de ſuâ perſeverantiâ.

Reſpondent porrò ſpeciatim. 1. *Propoſitionem eſſe falſam, niſi ſic reſtringatur.* 1. *Quicquid petierint ſecundum voluntatem Dei;* 2. *Vt quotidie orent;* & 3. *Vt ſemper orent.* Quod idem eſt ac ſi dicerent promiſſionem Chriſti, Ioh. 16. 13. eſſe falſam, niſi reſtringatur hiſce conditionibus. Quaſi conditiones iſtæ, quatenus neceſſariæ ſunt, in Chriſti ac propoſitionis verbis non continerentur omnes.

Sed *negant voluntatem Dei eſſe, ut fideles eum rogent ne poſſint deficere.* Negent igitur ſimul, voluntatem Dei eſſe, ut fideles eum rogent miſericordiam&gratiam illam, quâ conceſsâ, non poſſunt damnari. Salus namq;, & quæ cum ſalute conjuncta ſunt, eâdẽ fide &rogantur&accipiuntur. Unà etiam negẽt, voluntatẽ Dei eſſe, ut fideles ita Chriſtũ

apprehendant, ut in ipſo redemptionem habeant, quæ non ſinet ipſos perire. Negent denique, voluntatem ejus eſſe, ut ipſum rogent ne ſinat eos deficere. Si enim non ſinat vel permittat ille, fieri non poteſt ut unquam pereant. Neque ſanè mirum eſt, ſi hæc omnia negent, & quicquid etiam ad ſalutem ſpectat à Deo unquam rogandum eſſe. Illud enim oratione quærendum eſſe non putant, quod abſolutè decreti vi donabitur: abſolutè autem ſtatutum dicunt, ut quiſque ſufficientem gratiam habeat ad credendum, & ſi credat, ad perſeverandum & ultra ſufficientem illam gratiam, nihil à Deo expectandum eſſe, antequam ipſi applicent ſeſe ad actum: quid igitur peterent, ego certè non video.

Sed præter orationem ipſam, requiri etiam dicunt, ut *quotidie & ſemper* orent. Dormiendi tempus excipient ſpero in gratiam Nicolai Grevinchovij, qui pag. 327. dormitare eum putat, vel apud ſe non eſſe, qui exiſtimat hominem dormientem, vel fidei, vel operationis divinæ in voluntatem, (ſine quâ tamen oratio vera non exiſtit) ſubjectum capax eſſe. Neque ita debent rationis omnis obliviſci, ut perſeverantiam in oratione, prærequiſitum eſſe putent ad perſeverantiam in fide, quum palam ſit fidem ipſam ad orationem prærequiri. Preces tamen continuas, fidem conſtantem comitari, haud illibenter fatemur.

Reſp. 2. *Majorem nullam eſſe in hoc argumento difficultatem, quam in petitione illâ, quâ rogatur, ut voluntas Dei ab omnibus hominibus fiat in terris, ſicut in cælo.* Sed nodus unus non ſolvitur altero nodo. Dici tamen poteſt, *ſicut* hic non æqualitatem vel paritatem, ſed ſimilitudinem ſolam denotare: atque adeò omni generi hominum, ſeu omnibus hominibus qui regno Dei ſeſe ſubjiciunt, vel qui hoc rogant ex animo (de alijs enim non debet hoc intelligi) impetratur illud quod iſta petitio rogat.

Reſp.

Reſp. 3. *Quum fideles orant, ne Deus eos inducat in tentationem, tum impetrant à Deo, non modo ut in tentationibus conſerventur, ſed & ne unquam in illas incidant.* Quo quid ſibi velint, niſi totam cauſam nobis tradant, ego quidem non intelligo.

CAPUT VII.

Argumentum ſextum.

Pag. 439.

QUI à Domino noſtro Ieſu Chriſto, certò *& fideliter ad finem uſque in fide conſervantur, illi eam nunquam vel finaliter vel totaliter amittent. Sed omnes verè fideles conſervantur à Domino Chriſto in fide ad finem uſque, fideliter ac certò. Ioh.* 6.37.39. *&* 10. 27.28. & 17.12. *&* 13.1. 1.*Cor.* 1. 8. *Eph.*5. 23. *Iud.*1.2. *Tim.*1.12. 1.*Pet.*1.5. *Ergo nulli verè fideles fidem ſuam vel finaliter vel totaliter amittent.* *Fideles à Chriſto conſervari certò, ne totaliter & finaliter deficiant.*

Reſpondent Remonſtrantes 1. *Majorem non eſſe ſimpliciter veram: quia conſervatio fidelium in fide non pendet tantum ex certâ & fideli Ieſu Chriſti conſervatione, ſed ad hoc etiam requiritur debita obedientia ipſorum fidelium, ne officio ſuo deſint.*

Obedientiam quidem debitam, & officij præſtationem requiri, non dubitatur, ſed nos eam ut perſeverantiæ partem, & conſervantis gratiæ effectum requiri dicimus. Remonſtrantes verò contendunt, perſeverantiam ipſam ex hac obedientia pendere tanquam ex causâ. Hoc ſatis liquet ex iſtoc ipſo reſponſo. Nam 1. negant propoſitionem illam ſimpliciter veram eſſe, quâ affirmatur, illos omnes perſeverare qui à Chriſto certò conſervantur ad finem. Negant igitur, conſervantem Chriſti gratiam cauſam eſſe unicam & ſufficientem per ſe ad effectum iſtud producendum. Poſitâ enim cauſæ per ſe ſufficientis actione ad effectum, effectum ipſum certò ſequitur. 2. Expreſsè pronunciant, conſervationem fidelium in fide non pen-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

dere *tantùm* ex certâ & fideli Ieſu Chriſti conſervatione. Aliquid aliud igitur indicant eſſe, ex quo pendet *etiam*. Quid autem illud alterum ſit, ſequentia docent, *ſed ad hoc etiam requiritur debita obedientia, &c.* id eſt, ſed pendet etiam ex debitâ fidelium obedientiâ.

Hoc ſi verum eſſet, tum 1. majorem nullam efficaciam haberet conſervans Chriſti gratia, quâ membra ſua ſibi confirmat, quam fuit illius gratiæ, cujus particeps Adam fuit in ſtatu innocentiæ: nec potentius aut fortius eſſet auxilium ſecundi Adam, quam fuit primi. Adamo enim auxilium illud conceſſum fuit, & promiſſio etiam facta, ut conſervaretur in vitâ, ſi debitam obedientiam præſtaret & officio ſuo non deeſſet. 2. Tolleretur etiam diſcrimen illud, quod Apoſtolus ex Propheta ponit inter vetus & novum fœdus, Heb. 8. 9. 10. in priore enim fœdere conſervati fuiſſent homines, ſi obedientiam debitã præſtitiſſent. 3. Hac denique ratione actualis fidelium conſervatio, non præveniret eorum obedientiam ut cauſa, ſed eam ſubſequeretur, ut effectum: quum tamen apertum ſit, ideò fideles obedientiam Deo pręſtare, quia cõſervantur ab ipſo; & ideò eos à Deo conſervari, ut obedientiam illam præſtare poſſint, & actu præſtent.

Reſp. 2. *Minorem acceptam ut ſonat, ſe recipere. Omnes nempe verè fideles conſervari à Domino Chriſto in fide, ad finem uſque, fideliter.* Qualem illi ſonum ex iſtis verbis elicere poſſunt, ut cum eorum ſententiâ concentum habeat, ego certè nequeo divinare. Si enim Chriſtus omnes fideles ad finem uſque in fide conſervet, tum omnes fideles ad finem uſque in fide conſervantur & perſeverant: nec fidelium ullus eſt, qui non perſiſtit in fide ad finem uſque vitæ. Quid igitur eſt, quod in iſtâ parte reprehendere poſſunt? Nihil inquiunt in ipsâ ſententiâ: ſed in ejus probatione ſolâ. Quanquam inquiunt vera ſit hæc propoſitio, *non tamen probatur locis citatis; quoniam in ijs paſſim non deſignetur cuſtodia, multo minus cuſtodia fideliũ inevitabilis in fide:*

ſed fidelium, quâ fidelium, ſi ſint & maneant in gratiâ ſalutiferâ.

De probatione autem non eſt cur multum laboremus, modò verum ſit illud quod probatum volumus. Pergratum nobis facerent Remonſtr. ſi alios locos loco horum ſubſtituerent, quibus eadem veritas fortius probaretur. Ratio tamen illa, quâ probationes has invalidas eſſe contendunt, non à valore tantum & veritate, ſed & à ſenſu cõmuni relicta videtur. 1. *In citatis locis non deſignari* dicunt *cuſtodiam paſſim.* Quod ſi verum eſſet de verbali deſignatione hujus ipſius voculæ, nihil tamẽ valeret. Probari enim aſſumptio poteſt, abſq; illâ: & æquè probatur etiam ijs locis ubi mentio fit *confirmationis*, *aſſervationis*, *conſummationis*, & ſimilium verborũ, vel etiam phraſium æquipollentium. Sed expreſsè etiam *cuſtodia* deſignatur Ioh. 17. 12. 2. Tim. 1. 12. & 1. Pet. 1. 5. 2. *Multo minus* ajunt *cuſtodia fidelium inevitabilis in fide.* Evitabilia quidem non ſolent beneficia dici, ſed pericula tantùm: infallibilem tamen & certam cuſtodiam fidelium his locis doceri, ex eorũ ſequenti conſideratione liquebit. Nec illud negant ipſi Remonſtr. ſed tantũ cuſtodiam hanc non eſſe *in fide* contendunt. Addunt enim 3. *cuſtodiam fidelium quâ fidelium,* his locis probari, *ſi ſint & maneant in gratiâ ſalutiferâ.* Ubi 1. fatentur illud quod prius negabant, cuſtodiam his locis paſſim deſignari: ſic enim pronunciant, *cuſtodia his locis paſſim non deſignatur, multo minus cuſtodia fidelium inevitabilis in fide, ſed fidelium, &c.* certè ſi fidelium quâ fideliũ cuſtodia paſſim his locis deſignetur, tum aliqua cuſtodia. 2. In contradictionem etiam incurrunt in eo, quod diſtinctionis modo proponunt, *non deſignatur cuſtodia fidelium in fide, ſed fidelium quâ fidelium.* Sicut enim cauſa procreans fidelem quâ fidelem ſic dicitur, quia procreat eum in fide, vel fidem ejus procreat: ita cauſa conſervans fidelem, quâ fidelem, eſt illa propriè, quæ eum in fide, vel ejus fidem conſervat. 3. Dilutè nimis exponunt promiſſiones has divinas, de cuſtodia

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

fidelium in gratiâ ſalutiferâ, ſi maneant fideles. Quid enim opus eſt *cuſtodiâ*, quæ actionem denotat, tranſeuntem, & verſatam circa rem cuſtoditam, ſi illa gratia ſola ſpectetur, quæ eſt intra Deum ipſum? Quid opus etiam præſidij illius, cujus Petrus mentionem facit 1. Epiſt. c. 1. 5. ad hoc, ut dum quis manet in fide, in gratiâ etiam permaneat? ſed melius hæc diſcutientur, in ſingularium locorum examinatione.

1. Ioh. 6. 37 1. Ioh. 6. 57. *Quicquid dat mihi Pater, ad me veniet, & eum qui venit ad me, non ejiciam foras.* Reſp. Remonſtr. *Si ſemper veniat, nunquam ejicietur: ſed qui venit poteſt tergiverſari & retrogradi, vel deficere.*

Sed 1. Advertendum eſt, hanc phraſin, *non ejiciam*, per meioſin, idem ſignificare, quod, *in æternum erit in familiâ. & communione meâ*, vel ut verſ. 40. per Chriſtum ipſum explicatur, *faciam ut habeat vitam æternam*. 2. Acceſſio ad Chriſtum & permanſio hæc in ejus communione, fluere dicitur ab electione divinâ, *Quicquid dat mihi Pater, &c.* quæ electio, cum certò & infallibiliter effecerit ut quis accedat ad Chriſtum, eâdem etiam & ratione & facilitate efficiet ut maneat in eo.

Ioh. 6. 39. 2. Ioh. 6. 39. *Hæc eſt voluntas Patris, ut quicquid mihi dederit, non perdam ex eo, ſed reſuſcitem illud in noviſſimo die.* Reſp. Remonſtr. *Non agi hic de amiſſione fidelium per defectionem à fide, ſed de eorum perditione per mortem. Verbum enim eſt ἀπολέσω.* Ubi tamen manifeſtum eſt 1. exponere Chriſtum illud quod prius dixerat verſ. 37. *Non ejiciam foras.* Rationem enim cur non ejiciet, in voluntate Patris aſſignat, verſ. 38. quam voluntatem exponit hoc verſ. 39. 2. Agere Chriſtum, de omni eo quod adverſatur illi communioni, quam fideles habent cum Chriſto, vel quod vitam æternam impedire poſſit. Nec vis aut uſus verbi quidquam repugnat. Sæpè enim ſignificat amiſſionem: ut alios locos omittam, Luc. 15. tres parabolæ proponuntur, primâ de ove

de ove perditâ, ſecunda de drachmâ perditâ, & tertia de filio perdito, eâdem hac voce ἀπόλλυμι, eodem hoc ſenſu conſtanter uſurpatâ.

De Ioh. 10. 27. 28. vide (ajunt illi, & ego etiam ajo) ſupra, argumento primo. *Ioh. 10. 27. 28.*

3. Ioh. 17. 12. *Quas dediſti mihi, ego cuſtodivi, & nemo ex iis periit.* Reſp. Remonſtr. *Refutari conſequutionem, verbis illis ſequentibus, niſi filius perditionis, quod hic non debeat omitti.* Nec igitur omitti debeat, quod inſuper ſequitur, & ad objectionem illam diluendam à Chriſto tum ſubjungebatur, *ut Scriptura impleatur:* quæ Scriptura manifeſto eſt indicio, Iudam non ita Chriſto datum & commendatum fuiſſe à Patre ut cæteros. Novit enim Chriſtus quinam electi erant. Ioh. 13. 18. *Ioh. 17. 12.*

4. Ioh. 13. 1. *Chriſtus dilexit ſuos uſque ad finem.* id eſt, Reſpon. Remonſtr. *uſque ad ſuam mortem.* ſed iſtud *uſque*, non excludit illud æternitatis quod ultra eſt: ſed includit potius, ſicut Iſa. 46. 4. *Vſque ad ſenium ego idem, & uſque ad canitiem ego portaturus ſum.* Vide etiam Pſal. 71. 18. *Concedimus* (inquiunt) *ſemper eos diligere qui eum diligunt.* Quod verum quidem eſt, ſed non ſatis tribuit amori Chriſti. Si enim Apoſtolus ejus, verè dicere potuit ad Corinthios, cap. 12. 15. *Abundè vos diligo, etiamſi minus diligar*, de Chriſti amore erga ſuos, anguſtius aliquid non debet cogitari: præſertim cum diligendo efficiat ut diligatur. *Ioh. 13. 1.*

De 1. Cor. 1. 8. actum eſt in argumento ſecundo. *1. Cor. 1. 8.*

5. Eph. 5. 23. *Chriſtus eſt ſervator corporis ſui.* Reſp. Remonſtr. *Verum hoc eſſe, etiam reſpectu cujuſque membri in corpore, ſed quatenus vivum, & corporis membrum, rationale, probum, ac morigerum.* Sed 1. hæc pars eſt ſalutis illius quam corpori dat, quod omnia ejus membra in hujuſmodi vitâ conſervat. 2. Curat etiam & reſtituit ægra membra, non quâ proba ſunt & morigera, ſed quâ membra, licet maleſana. 3. Curavit & purgavit peccatis pollutam Eccleſiam, *Eph. 5. 23.*

ſiam, verſ. 25. 26. quum adhuc Eccleſia ejus non fuit actu, niſi quoad æternum Dei decretum. Duo illa quæ objiciunt ex alterâ parte comparationis, quam Apoſtolus ibidem habet, de marito & uxore: *uxorem*, ſcilicet *maritum ſuum deſerere poſſe, & uxores proprijs ſuis viris ſubjici debere*, nullius momenti ſunt. Uxor enim nunquam diſcederet à marito, ſi tantum erga eam valere ac efficere poſſit, quantum Chriſtus poteſt ergâ Eccleſiam: ipſius enim mariti officium eſt, diſcedentem uxorem ſi poſſit revocare. Similia verò non ſunt in omnibus paria: in eo tamen proportio valet, quod ſicut uxor ſubjici debet marito, ſic Eccleſia Chriſto.

Iud. 1. 6. Iud. 1. *Vocatis à Deo Patre, ſanctificatis, & à Ieſu Chriſto aſſervatis.*

Reſp. 1. *Se non negare omnem aſſervationem ſanctorum: ſed neceſſitatem impoſitam inevitabiliter in fide permanendi, juxta aliquod immutabile decretum.* Voces iſtæ quas uſurpant, *neceſſitas, inevitabilis, impoſita*, coactionem aliquam ſonant, à perſeverantiæ dono prorſus alienam. Si talem aſſervationem fidelium omnium agnoſcant, qualem circa Petrum & reliquos Apoſtolos adhibitam fuiſſe concedere videntur, pag. 435. quâ nempe certò fit ut fides actu non deficiat; tum de *neceſſitate inevitabili impoſitâ*, litem nullam nobiſcum habebunt. Sed revera, nullam fidelium aſſervationem docent, præter illam quæ communis eſt infidelium, vel apoſtatarum: quâ Deus paratus eſt eos efficaciter ſervare, ſi ſemet ipſi ante ſervent.

Reſp. 2. *Hanc aſſervationem ad præteritum tempus pertinere: vel ad certitudinem viæ, quæ ducit ad æternam conſervationem: ſaltem non talem eſſe, qualem noſtri volunt, quia monet eos Apoſtolus ad certandum pro fide, verſ. 5. & commonefacit de defectione exemplo Angelorum. verſ. 6.* Sed 1. temporis varietas non variat ſpeciem aut certitudinem aſſervationis hujus. Heri, hodie, & in craſtinum, idem ſemper eſt Chriſtus, & eadem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

eadem ejus aſſervatio. Si igitur antea per Chriſtum fuerant conſervati, erant & porrò etiam ab ipſo conſervandi, ſecundum illud Apoſtoli, Phil.1.6. *Qui incepit in vobis opus bonum, perficiet uſque ad diem Ieſu Chriſti.* 2. Atque hujus eventus certitudo, non mediorum aptitudo ſola in causâ eſt, quare Apoſtolus hic loquitur quaſi de re jam factâ, *conſervatis* vel *ijs qui conſervati ſunt.* Si illa tota ratio eſſet, quam iſti reddunt, quia erant in viâ quæ ducit ad æternam conſervationem, tum de Adamo etiam ante lapſum potuiſſet idem affirmari: fuit enim in viâ, quam ſi ſecutus fuiſſet, certò perveniſſet ad conſervationem æternam. 3. Objectiones quas addunt non merentur ullam confutationem. Monet eos Apoſtolus, ut pro veritate decertent: & in memoriam ijs revocat horrenda ſupplicia eorum qui beneficijs Dei abuſi fuerant. Ergone incertum fuit an illi conſervarentur nec ne?

7. 2.Tim.1.12. *Novi cui credidi, & mihi perſuaſum eſt, eum poſſe depoſitum meum in illum diem cuſtodire.* Reſp. Remonſtr. 2. Tim. 1. 12. *Non eſſe quæſtionem de Dei potentiâ, neque de ejus voluntate, ſed de modo.* Quum res ipſa tamen ſic ſe habeat, ut ſi fideles omnes ſic à Deo ſervatos eſſe concederent, ut eorum nemò penitùs à fide deficiat, quamvis nihil omninò ſtatuerent de conſervationis hujus particulari modo, hæc tota quæſtio ſtatim eſſet finita. Si verò & poſſe hoc Deum agnoſcant, & etiam propriè velle; tum idem eum facere, ſuâ ſponte ſequetur.

Reſp. 2. *Depoſitum hic non eſt fides, ſed vita æterna.* Sed nec fides propriè eſt hoc depoſitum, ſed actus deponendi; nec vita æterna, quæ res eſt Dei, atque adeò non poteſt propriè apud ipſum deponi, ſed ab ipſo reponitur ſuis. Animas ſuas fideles deponunt apud Deum, quum cuſtodiendas illas ipſius fidei committunt per fidem, ut reſtituantur denuò cum vitâ æternâ. Hoc depoſitum ſervat Deus, dũ non ſinit in illum ſtatum venire, quo illâ vitâ privarentur.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

Reſp. 3. *Paulum innuere verſ.14. Deum non cuſtodire depoſitum noſtrum, niſi quum nos ejus depoſitum probè cuſtodimus. quod etiam poſſe nos negligere oſtendit Apoſtolus 1.Tim.6.20.* Quorum neutrum ex textu probari poteſt. Neque enim ullo nutu conditionem talem Timotheo ſignificat Apoſtolus verſ.14. Nec de Timothei ſimilibus, id eſt, verè fidelibus loquitur 1.6.20.

Heb.12,2. 8. Heb. 12. 2. *Chriſtus eſt dux & conſummator fidei.* Reſp. Remonſtr. *Non reſpici hic ullam actionem Chriſti circa fidem noſtram: ſed illam perfectionem fidei quæ fuit in Chriſto, proponi tantùm ad imitationem. Se tamen in theſi faſſos fuiſſe, Chriſtum eſſe initium, progreſſum, & exitum fidei. Vnde nihil adverſus eos concludi poſſe.* Exemplum Chriſti hic nobis proponi ad imitationem, palam eſt: ſed illa Chriſti deſcriptio hac occaſione profertur, quæ & officium, & operationem ejus circa fidem noſtram deſignat: *dux eſt & conſummator.* Quorum titulorum neuter ad merum & nudum exemplum quamvis omnium nobiliſſimum concinnè poteſt adaptari. Sed Chriſto conveniunt, quoniam exemplar efficax eſt, fidem eorum efficienter perficiens, qui in illum rectè intuentur, ſicut Apoſtolus optimè exponit, 2. Cor. 3. 18. *Nos omnes retectâ facie, gloriam Domini ut in ſpeculo intuentes, in eandem imaginem transformamur, ex gloriâ in gloriam, ſicut à Domini Spiritu.* Si verò Chriſtus initium, progreſſus, & exitus fidei noſtræ ſit; tum totaliter ab ipſo pendet: & ipſo tam merito, & interceſſione, quam etiam efficaciâ, ſtabilitionem ejus procurante, nunquam penitus extinguetur.

1.Pet.1.5. 9. 1.Pet.1.5. *Qui virtutis Dei præſidio cuſtodimini per fidem ad ſalutem.* Reſp. Remonſtr. *Dicitur nos cuſtodiri non in fide, ſed per fidem.* Quaſi quum cuſtodiri dicimur *per gratiam*, non intelligatur etiam, nos cuſtodiri *in gratia?* aut cum deducebantur Iſraelitæ *per deſertum*, non *in deſerto* etiam deducti fuerint?

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

Reſp. 2. *Non eſt ſermo, quomodo fides in nobis conſervetur, ſed quomodo per fidem cuſtodiamur.* Sicut autem cuſtodiri non potuit Noachus per arcam, niſi arca cuſtodita fuiſſet, & ipſe in arca: ſic nec homo per fidem, niſi fides cuſtodiatur, & homo in fide. Hominem autem cuſtodiri in fide, ſpe, pace, gaudio, & fidem, ſpem, pacem, ac gaudium in homine, variæ ſunt phraſes, res verò una.

Reſp. 3. *Ex verſ. 13. 14. 15. apparet, conſervationem hic non promitti, niſi hac lege, ut fideles officium ſuum fideliter præſtent.* Legem quidem hanc fidelibus omnibus ferri ac imponi per exhortationes illas apparet. Officia autem illa non beneficijs ante commemoratis præſtrui, ut conditiones antecedentes, vel prærequiſitas, ſed ex ijs deduci, tanquam ex fundamentis ante jactis, attento Lectori ſtatim apparebit.

Reſp. 4. *Deus ſeriò non potuit fidem eorum explorare, ſi non potuerint deſciſcere à fide.* Quâ eâdem ratione, imperiti homines diſputare poſſunt adverſus præſcientiam divinam; eum ſcilicet non poſſe fidem hominum ſeriò explorare, quia cognitam eam & perſpectam habet ante. Sed Scriptura docet, Chriſti ipſius fidem & obedientiam per ea quæ paſſus eſt probatam fuiſſe. Heb. 5. 8. Quamvis poſitus ille fuerit extra omne periculum defectionis. Chriſtus etiam Deum timuit: ut exemplo ſuo doceret, timorem omnem non eſſe fruſtraneum, ubi perſeverantia eſt certa: quod imperitè à Remonſtr. objicitur ex verſ. 17. ubi Petrus hortatur ad Dei timorem.

CAPUT VIII.
Argumentum ſeptimum.
Pag. 443.

QUI per Spiritum ſanctum obſignati ſunt in cordibus ſuis, ſe certò ſervandos, illi fidem neque totaliter, neque finaliter amittent. Sed verè fideles ita ſunt per Spiritum ſanctum obſignati. *Verè fideles per Spiritum ſanctum obſignati.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

tum ſunt obſignati ſe certò ſervandos.

ſignati. 2.*Cor.*1.21. *Eph.*1.13.14. *&* 4.30. *Ergo nunquam fidem finaliter vel totaliter amittent.*

Reſp. Remonſtrantes 1. *Hæc obſignatio non eſt fidelium in fide, ſed in ſalute, quia crediderunt: ſtante igitur fide, ſtat & obſignatio, alias minimè.* 1. Separant hic iterum ea quæ nec diſparata ſunt, nec diverſa. Qui obſignat enim in ſalute, obſignat in ijs omnibus, quæ neceſſariò conjuncta ſunt cum ſalute, atque adeò in fide. 2. Expreſsè etiam dicitur hæc obſignatio fieri *in Chriſtum* 2.Cor.1.21. id eſt, ut in Chriſto conſtanter maneamus per fidem. 3. Proprius finis obſignationis tum externæ per ſacramenta, tum internæ per Spiritum, eſt ut fides confirmetur & ſtabiliatur. 4. Veritas illa quæ in corde hominis jam credentis obſignatur, non eſt merè conditionalis, (*Si conſtanter perſeveraveris, ſalvus eris,*) neque enim opus eſt ſigillo privato, ad communem veritatem in ſe confirmandam; neque ſigilli ratio patitur, ut res obſignata in conditionem incertam conjiciatur. Abſoluta verò ſi ſit, (*ſalvus eris*) & certa, tum fieri non poteſt, ut unquam actu evadat falſa: quod tamen fieret, ſi quis obſignatus unquam à fide ac ſalute deficeret.

Reſp. 2. *Qualis promiſſio, talis eſt ejus obſignatio. Probavimus autem promiſſionem eſſe conditionalem.* Dico ego ex adverſo, quales illæ probationes ſunt, talis eſt hæc aſſertio. Sed illas improbas & fallaces eſſe monſtravi, ad argum. 1. ergo hæc aſſertio, (*obſignationem eſſe conditionalem*) non eſt probanda.

Sed quare alias (rogant) *hortaretur Epheſios Apoſtolus, ne Spiritum ſanctum triſtitiâ afficerent, & ne fierent ſcortatores,* &c? Quia inquam ingratiſſimè facerent, ſi tantam gratiam tam indignis modis dehoneſtarent: quia per has admonitiones efficere voluit Deus ne ſic facerent; quia denique oſtendere voluit, eos qui ſic facerent, vel nunquam hanc obſignationem habuiſſe, vel ſaltem conſolationem ejus, dum ſic faciunt, retinere non poſſe.

CAPUT

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

CAPUT IX.

Argumentum octavum.

Pag. 444.

SI fidelis omnis, ſit inſtar arboris, quæ non marceſſit; domus ædificatæ ſuper petram, quæ non cadit; & ſeminis in illam terram bonam cadentis, quod retinetur, & fructum conſtanter profert; tum non penitus unquam deficit, ſed ad finem uſque perſeverat. Sed verum prius: Pſal. 1. 3. *Matth.*7. 24. 25. *Luc.*8. 15. *Ergo & poſterius.*

Fideles comparantur rebus, quæ ſtabiles ſunt, & perſeverantiam arguunt.

Reſp. Remonſtr. *His & hujuſmodi comparationibus, ſalutem & fœlicitatem fidelium qui perſeverant doceri: non perſeverantiam ipſam.* Sed ipſa conſtantia immota, & pars eſt deſcriptionis fidelis, & etiam fœlicitatis illius quæ ipſi adjudicatur, Pſal.92.14.15. quo nomine inter privilegia fidelium hiſce locis expreſsè numeratur.

Pſal.1.3. Plantatio, & fructificatio, ſuum locum habent in ſimilitudinis inſtitutæ redditione, ſed perpetua viriditas & vigor præcipuè ibi ſpectatur, ut repræſentans ad oculum, perpetuitatem illam fœlicis vitæ, cujus pars non minima in perſeverantia collocatur. Objiciunt Remonſt. *Tum fidelis abominationibus ſeſe polluens, dicendus eſt virere.* Cujus conſequentiæ vis nulla eſt. Neque enim fideles id faciunt, niſi extraordinaria aliquâ tentatione ad tempus præoccupati; neque judicium facere debemus de promiſſionum divinarum impletione, aut fidelium ſtatutâ conditione, ex eo quod in extraordinariæ tentationis & deſertionis horâ contingit, quam de vitâ hominis judicari debet, ex eo tempore quo eum videmus deliquium animi pati. *Pſal.1.3.*

Matth. 7. 24. apertè teſtatur Chriſtus omnem verè fidelem ſalutem ſuam habere ſupra petram immotam, & in *Matth.7. 24.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

tentationibus perſeverare. Objiciunt Remonſtr. *Qui peccant non ſunt tales.* Quod verum quidem eſt de ijs, qui ita peccant, ut ædificationem illam diruant: ſed hæc eſt conſolatio quam omnibus verè fidelibus largitur ibi Chriſtus, nullas tentationes eo uſque adverſus eorum fidem prævalituras.

Dum facit verbum Dei (ajunt illi) *nulla vis externa nocebit ei.* Verum illud quoque: ſed hanc noxam in ſpecie Chriſtus docet abeſſe, *Non cecidit*, *Non cadet*, hoc eſt, non removebitur ab ædificatione illâ ſupra petram: cujus promiſſionis, ſi conditionem prærequiſitam faciant, conſtanter adhærere petræ; tum eam ſententiam exinde formabunt, quaſi dictum fuiſſet, *ſi non cadat, non cadet.*

Luc. 8. 15. Ex Luc. 8. 15. exiſtimant Remonſtr. nihil poſſe concludi. Sed qui animadvertit bonam illam terram retinere ſemen in ſeſe, & fructum ferre cum patientia; neque ideò eam propriè ac primò eſſe bonam, quia ſemen retinet: ſed ideò ſemen retinere, quia eſt bona, & illam ipſam internam bonitatem, vel honeſtatem, differentiam facere hujus terræ, à cæteris omnibus externè ſpecioſis; is facile videbit, conſtantiam in fide, veræ fidei perpetuam comitem hic pronunciari.

CAPUT. X.

Argumentum nonum.

SI ij qui deficiunt à fide quam aliquandiu profeſſi ſunt, nunquam verè fideles fuerunt, tum ij qui verè fideles ſunt, nunquam deficiunt. Sed prius verum Ioh. 8. 31. 1.*Ioh.*2.19. *Heb.*3.6. 14. *Ergo & poſterius.*

Non longum hic faciunt Remonſtr. Duo ſe dicunt prætermiſſuros, & reſpondent etiam ad teſtimonia duo. Quæ prætereunt autem, ea non planè omittunt, ſed quaſi reſpicien-

ſpicientes à tergo, lapidem unum aut alterum in illa projiciunt. 1. *Paradoxum eſſe* (putant) *dicere, eos qui à fide deficiunt, nunquam antea habuiſſe veram fidem.* & 2. *Fidem quæ illis tribuitur intelligendam eſſe de externa fidei confeſſione.* Quæ ſi eſſent quidem paradoxa, id eſt, admirabilia, contraque hominum opinionem, nihil tamen idcirco continerent, aut à veritate, aut à ratione Scripturæ tam alienum, ut eo nomine rejicienda putentur. Sed ab hujuſmodi formis loquendi, non abhorret uſus ipſe communis. Stellæ cadere dicuntur de cælo, quæ neque veræ ſtellæ fuerunt, neque propriè in cælo, ſed ita ſolum videbantur. Hiſtrio à ſcena deſcendens, deſinere dicitur rex aut miles eſſe, quum talem ſe antea ſimulabat. Sed quicquid ſit de opinione & uſu communi; certum eſt, hunc modum loquendi Chriſto & Apoſtolis non raro fuiſſe in uſu. Sic enim legimus Luc. 8. 18. *Quicunque non habet, etiam quod putat ſe habere auferetur ab illo.* & Ioh. 2. 23. 24. *Multi crediderunt in nomen ejus, videntes ſigna quæ edebat: ipſe autem Ieſus non credebat ſemetipſum eis, eo quod ipſe noſſet omnes, nec opus haberet ut quiſquam teſtaretur de homine: ipſe enim ſciebat quid eſſet in homine.* Ubi expreſsè docemur fideles multos in Scriptura dici, non quia veram fidem habebant in corde, ſed quia tales externè apparebant. Ab hac autem fidei ſpecie ac profeſſione qui poſtea diſcedunt, ij deficere dicuntur à fide, quamvis veram ac ſolidam fidem nunquam habuerunt.

Objiciunt Remonſtr. hujus interpretationis incommoda eſſe multa; *eâ* nempe, *exhortationes ad perſeverantiam in fide vehementer concuti; periculum defectionis valde minui; peccatum apoſtaſiæ elevari, deſcriptiones talium in Scripturis propoſitas perverti.* Quum tamen ad perſeverantiæ ſolicitè ſtudendum, nihil magis urget, quam intelligere, ſolos perſeverantes coram Deo fideles haberi; & periculum defectionis non planè tollatur à veris fidelibus, ſed ipſa defectio

ctio

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

ctio ſola ; neque gravius peccatum cogitari ferè poſſit, quam agnitam veritatem ex odio blaſphemare , quod facere ſolent ij qui nunquam verè fideles fuerunt.

A præteritionibus ad ſolutiones accedunt : ubi 1. ad Ioh. 8.31.& Heb.3.6.14. reſpondent, *homines tum demum diſcipulos Chriſti, domum Chriſti, participes Chriſti fore, ſi perſeveraverint ad finem ; non ut ſignificetur, eos ante finem vitæ ſuæ, verè diſcipulos aut credentes non fuiſſe ; ſed quod quicquid ante, prioris eorum ſtatus nulla habeatur coram tribunali Chriſti ratio, non magis ac ſi nunquam id fuiſſent, niſi ad finem perſeveraverint. Iudicem enim ſententiam de homine pronunciare, non ex eo quod fuit, ſed ex eo quod eſt.*

Ubi 1. artificium illud notandum, quo Lectori vellent ſuadere, Noſtrorum ſententiam eſſe, *neminem eſſe verè diſcipulum Chriſti, aut credentem ante finem ſuæ vitæ* ; quum palam ſit, in hoc ipſo argumento, à Noſtris aſſumi, perſeverationem ſignum eſſe non antecedens, ſed conſequens verum diſcipulum ac fidem Chriſti. 2. Obſervandum etiam quantâ cum licentiâ tempus præſens, in futurum vertunt, in teſtimonijs ipſis recitandis, non exponendis tantum. In textu enim habetur, *ſi manſeritis verè diſcipuli mei eſtis, domus Chriſti ſumus, & participes ejus facti ſumus*: quam lectionem quum ſibi non favere videbant, in aliam commutant, ſine ulla hæſitatione, *eſtis* & *ſumus* in *fore* vertentes.

3. Ad vitæ finem & futurum judicium ſine ullâ ratione reſtringunt illa dicta, quæ in ſuis locis, ad præſentem hominum conditionem apertè referuntur. Nam Ioh. 8. 31.32. cognitio veritatis liberatricis verè diſcipulis promittitur, quæ finem vitæ, & futurum judicium ſemper antecedit.

2. Pluſculum coloris in verbis illis Iohannis reperiri fatentur. 1. Ioh. 2. 19. *Ex nobis egreſſi ſunt*, &c. ſed & hunc locum præter ſenſum ejus genuinum citari dicunt, quem ſic oſtendunt ; *Iohannes* (ajunt) *loquitur de falſis & antichri-*

ſtianis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

ſtianis doctoribus, qui egreſſi fuerant, tanquam ſi fuiſſent miſſi ab Apoſtolis, & interea ex cœtu Apoſtolorum & orthodoxorum Doctorum non erant: nam ſi fuiſſent tales, permanſiſſent cum ipſis, hoc eſt, regreſſi ad Apoſtolos fuiſſent, & in communione eorundem orthodoxorum à quibus miſſi fuerant, manſiſſent, tanquam legatione ſua probè defuncti. In quo tam ſuavi commento, nihil quidquam invenio præter fabulas malè conſutas. Nam 1. Nulla mentio fit in textu alicujus *miſſionis:* neque tale quid probari poteſt ullo pacto ex verbis illis *egreſsi ſunt*, niſi per tritam illam ſophiſmatis formam, quidam qui fingebant ſe mitti ab Apoſtolis, dicebantur ex ijs egreſſi: ſed iſti antichriſti dicebantur ab ijs egreſſi: ergo iſti antichriſti fingebant ſe mitti ab Apoſtolis.

2. Nullam veri ſimilitudinem habet, illos falſos doctores qui negabant Chriſtum in carne veniſſe (quod primarium antechriſtorum horum dogma fuit 1. Ioh. 4. 3.) ficturos unquam ſe ab Apoſtolis Chriſti fuiſſe miſſos. 3. Plerique omnes Apoſtoli deſierant jam in vivis eſſe, quum Iohannes hanc Epiſtolam ſcribebat: ſi igitur miſſionem Apoſtolorum jactaſſent iſti nebulones, reditum tamen ad Apoſtolos, & manſionem cum ipſis Iohannes minimè deſideraſſet. 4. Si reverſio ſola deſiderata fuiſſet in ijs, tum Iohannis ratio nihil valeret, *Egreſsi ſunt, ſed non erant ex nobis* (ante ſcilicet egreſſionem illam) *quia non ſunt reverſi.* Potuerant enim ex ijs ante fuiſſe, quamvis denuò non reverterentur. 5. Nulla in textu fit mentio ullius reverſionis, ſed permanſionis tantùm. 6. Permanſio hæc opponitur egreſſioni: permanſiſſent, id eſt, non egreſſi fuiſſent: ſed ex Remonſtr. interpretatione, permanſio, id eſt, reverſio cum egreſſione optimè convenit & conſentit. 7. Conceſsâ Remonſtrantium gloſsâ, Apoſtolus ipſe Paulus vix poteſt ab impietate defendi, qui ſerò ad Apoſtolos eſt regreſſus, & diu cum ipſis non permanſit. 8. Iohannem fingunt eandem rationem hic proferre, quam Chri-

ſtus olim, ab eo ipſo propoſitam, vitioſam eſſe monſtrarat: Luc. 9.49. *Prohibuimus eum, quia non ſequitur te nobiſcum.* 9. Culpæ hujus, quam antichriſtis iſtis affingunt, hæretici tales non ſolent eſſe rei. Non enim tam fugere ſolent conſortium fidelium quam ab ijs fugari: id quod in eorum redivivâ progenie, Socini familiâ, videre licet: qui unitatem & communionem cum orthodoxis habere vel maximè ſtudent. 7. Conſilium illud Dei, quo hæreſes iſtæ ordinatæ dicuntur, *ut patefieret non omnes eſſe ex nobis*, craſsè nimis detorquetur, quum ſic exponitur, *Ex quo facile poterat apparere, eos non eſſe Apoſtolicos Doctores, neque ab illis miſſos.* Genuinam interpretationem, ab iſta longè diſſidentem, cum noſtrâ verò omninò conjunctam, Apoſtolus nobis ingerit quaſi in os ipſum, 1. Cor. 11. 19. *Oportet hæreſes inter vos eſſe; ut qui probati ſunt, manifeſti fiant inter vos.*

Objiciunt autem Remonſtr. adverſus interpretationem noſtram, *Eam neque cum Apoſtoli verbis, neque cum ejus ſenſu conſiſtere. Non cum verbis, quia dicitur, ſed ex nobis non erant, non, quia ex nobis non erant. Non cum ſenſu & ſcopo, quia præmonet de Antichriſtis, & hortatur ad perſeverantiam.* Verba quod attinet, illa ſunt, quæ axioma diſcretum, & argumenta diverſa notare ſolent: *non hoc, ſed illud*, vel, *hoc eſt, ſed non illud.* Optimè igitur conveniunt illi ſententiæ, quam nos credimus hic ab Apoſtolo proponi: *quanquam è nobis egreſſi ſunt, atque adeò ex nobis videri poſſint fuiſſe, quippe fidem Chriſtianam ad tempus unà nobiſcum profeſſi: tamen ex nobis non erant, id eſt, verâ ſolidâque fide imbuti.* In ſenſu etiam diſſonum nihil occurrit: per iſtas enim præmonitiones, & exhortationes, confirmantur veri fideles, & ne diſcedant cum illis apoſtatis, quaſi retinaculis Dei cohibentur.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

CAPVT XI.

Argumentum decimum.
Pag. 447.

SI fideles ita ſint peccato mortui, ut ijs iterum non dominetur; ita ex Deo nati per ſemen in ijs manens, ut non poßint dare operam peccato; ita fide donati, ut vincant ſuos hoſtes, & ab ipſis non vincantur; tum non finaliter vel totaliter ſuam fidem amittunt. Sed ve*rum prius: Rom.6.2.8.9.11. 1.Ioh.3.9. & 5. 4.18. Apoc.20.6. Rom.8.35.37.38. Ergo & poſterius.*

In verè fidelibus ſemper manere ſemen regenerationis, & peccatum nunquam dominari. Rom.6.2. 8.9.10.11.

Reſp. Remonſtr. ad Rom.6.2.8.9.10.11. *Nihil aliud ibi doceri, quam iniquum ac indecorum eſſe, ut qui renati ſunt ad peccata revertantur; quod Chriſti mortem ac vitam referre debent, ſi velint eſſe Chriſtiani; & quod virtute gratiæ ſatis haberent virium ad hæc præſtanda.* Hæc quidem ibi docentur: ſed non hæc ſola. Docet enim Apoſtolus, complantatione coaleſcere fideles in unum verſ. 5. ita ut hujus inſitionis neceſſarium conſequens ſit, perinde eos peccato mori & vivere Deo, ac Chriſtus mortuus eſt & reſurrexit, idque perpetuo progreſſu, ſine reverſione ad priſtinum illum ſtatum. Regreſſum hunc omnibus indecorum eſſe monet, qui Chriſti nomen profitentur; & quamvis in quibuſdam eorum locum habeat, quales illi fuerunt de quibus Petrus loquitur 2.Pet.2.20. in ijs tamen qui verè Chriſto ſunt inſiti, ruinam talem per Chriſti gratiam prohiberi. Hæc tamen fateor non ſunt adeò clara, ut anſam omnem contradicendi tollant, ſi per ſe conſiderentur ſola, & non lucem & vim accipiant, à clariſſimo illo Iohannis effato, 1. Ioh.3.9. *Quiſquis natus eſt ex Deo peccato non dat operam, quia ſemen ipſius manet in eo: nec poteſt peccare, eo quod ex Deo natus eſt.* Cujus teſtimonij vim, ut evitare poſſint Remonſtr. nullum lapidem immotum relinquunt: ſed 1.Ioh.3.9.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

quam fruſtra ſint in hoc toto conatu, id ſigillatim oſtendet ſequens hoc examen.

Obſervant Noſtri, per *natum ex Deo*, intelligi verum fidelem, qui dicitur *non peccare, nec poſſe peccare*, eò uſque ut peccatum ipſi iterum dominetur, cujus immunitatis duæ redduntur rationes: una, *quia regenerationis ſemen in eo manet*: altera, *quod ex Deo ſit natus*. Reſp. Remonſtr. 1. *Peccatum hic ad certam quandam peccati ſpeciem, regnantis nempe, vel dominantis, temerè, & ſine juſtâ causâ reſtringi.* Synecdochen autem hic generis haberi, & ad aliquam ſpeciem vel gradum peccati hanc phraſin reſtringendam eſſe, manifeſtum eſt ex alijs Scripturæ locis, ubi ſimpliciter & univerſaliter prout ſonat, accipi hoc non poſſe docemur, quod *renatus non pecca*t: Legimus enim Iac.3.2. *In multis offendimus omnes.* Et hujus ipſius Epiſtolæ cap.1.8. *Si dixerimus nos peccata non habere; nos ipſos fallimus, & veritas in nobis non eſt.* Ad iſtam autem ſpeciem vel gradum, regnantis nempe peccati, hanc ſententiam eſſe referendam, non illud ſolùm ſuadet, quod vox hæc intenſivè ſumpta, vel aggravationem ſecum ferens, ſic accipi ſolet in ſacris literis; ſed etiam, quod idem hic Apoſtolus cap.5.17.18. eandem ſententiam hoc modo explanat. Quum enim ibi repetit, verſ.18. quod hic affirmat, (*Quiſquis genitus eſt ex Deo, non peccat*) verſ. 17. liquidis verbis oſtendit, loqui ſe de *peccato ad mortem*, id eſt, de peccato regnante ad mortem. Hujus autem generis, mortiferæ nempe naturæ, totalem apoſtaſiam eſſe, vel regnum peccati in ijs qui vel ſemel fuerunt illuſtrati, & guſtaverunt cæleſtem gratiam, Apoſtolus alter apertè docet ad Heb.6.4.5.6.

Reſp. 2. *Phraſin hanc* (*non poteſt*) *variè accipi in Scriptura. Hic verò, nihil aliud ſignificare, quam naturam & conditionem filiorum Dei eſſe, ut vi efficacis charitatis & deſiderij, quod regeneratione* (*ut novæ creaturæ*) *acceperunt, quam maximè indecorùm exiſtiment contrarium naturæ ſuæ facere, quæ ipſos in vijs Domini*

mini

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

mini ita quaſi facit incedere, ut moleſtum & grave ſit illis peccare, quia hoc ipſorum naturæ & conſuetudini repugnat, & proinde eſt quaſi quod fieri non poteſt.

Quicquid verò ſit de vario hujus phraſeos uſu in alijs locis, ſignificationem illam non poteſt hoc loco ferre, quam volunt iſti. Nam 1. Gradatio manifeſta continetur in his verbis, quâ ſurgit oratio à minore ad majus, *Non peccat, Nec poteſt peccare:* adeò ut *non poſſe peccare*, majus quid ſit, quam ſimpliciter *non peccare*. Sed *difficulter peccare, & indecorum id exiſtimare*, minus eſt multo, quam non peccare: eo igitur ſenſu, non dicitur hic, *renatum non poſſe peccare*. Sententiam Apoſtoli in contradictionem transformant. Nam *renatus non peccat*, & *renatus peccat*, quamvis adjiciatur *difficulter & indecorè*, eandem planè rem & affirmant & negant. 3. Non eſt difficile renatis in quædam peccata labi: imò difficile, moleſtum, & grave eſt (propter concupiſcentiam carnis) ab ijs abſtinere, Rom. 7. 18. Gal. 5. 17. ut in diſcipulis videre eſt, Matth. 26. 40. 41. 43. Ad unam autem peccati ſpeciem hanc phraſin reſtringi negabant Remonſtr. in exceptione priore. 4. Difficile non eſt renato in graviſſimum infidelitatis peccatum relabi, ſi vera ſint quæ Remonſtrantes docent. Pro arbitrio enim ſuo, eum vel credere dicunt, vel aſſenſum negare: & nihil magis in poteſtate hominis eſſe, quam ad utrumlibet horum voluntatem ſuam liberè inclinare. 5. Conſuetudo non prohibet omnes renatos peccare. Multi enim eorum novitij ſunt in fide, nec iteratis actibus adhuc benè facere conſueverunt. Conſuetudo autem benè faciendi eorum tantum eſt, qui cum Mnaſone audiunt ἀρχαῖοι μαθηταὶ, Act. 21. 16.

Ad hanc verò interpretationem ſuam confirmandam, rationes nonnullas adhibent Remonſtrantes, quæ quidem operculum conſtituunt dignum tali patellâ. 1. *Congruere* dicunt *cum multis Scripturæ locis, quibus natura & con-*

ditio pietatis deſcribitur, tum reſpectu loquutionis ipſius, tum rei quoque. Sed dicunt ſolum, non probant. Duos locos profe-
Pſal.119.3. runt ex Pſ.119.3. Ioh.14,23. in quibus nec eadem eſt loquu-
Ioh.14.23. tio, nam poſſibilitatis & impoſſibilitatis nulla fit mentio; nec eadem res: nam de regeneratione, ac ſemine divino, ejuſque manſione, altum ibi ſilentium habetur. 2. *Congruere hoc Apoſtoli ſcopo* putant. Quod ſi verum ſit, nihil tamen exinde concludi poteſt, quia pars quævis argumenti Apoſtolici congruit ſcopo ejus, nec tamen facit illa congruitas, ut nihil amplius in eodem argumento contineatur. 3. *Senſum alias abſurdum fore dicunt, (ne peccate, quia non poteſtis peccare) pugnantem cum multis Scripturæ locis; & cum multis peccantium exemplis: illud etiam incommodum ſecum trahentem, quod quæcunque peccata, quamlibet ſcelerate ac flagitioſè à filijs Dei commitantur, illis imputari non poſſunt pro peccatis.*

Sed 1. pervertunt noſtram interpretationem: quæ talem conſtituit adhortationem; *Cavete fratres ne peccatis indulgeatis: quod ſi quis faciat, & natum ſe tamen ex Deo putet, ſeipſum planè decipit: qui enim natus eſt ex Deo, non ita facere ſolet, nec quidem fieri poteſt ut ſic faciat.* 2. Nullum teſtimonium, neque exemplum ullum proferre poſſunt, quo falſum arguitur id, quod hic à Noſtris affirmatur, eo ſenſu quo ſemet exponunt. 3. Principium petunt, & illud ſupponunt verum, quod in quæſtione poni norunt; fieri ſcilicet poſſe, ut homo renatus flagitioſè ac ſceleratè vivat.

Reſp. Remonſtr. 3. ad rationem illam, quæ hiſce verbis continetur, *Quoniam ſemen ipſius in eo manet.* Ubi duo contendunt; 1. ex phraſi illa *manendi*, nihil certi concludi poſſe. 2. Nihil ſaltem adverſus ipſos pro noſtrâ ſententiâ. Illud ut oſtendant, varias quidem adferunt rationes, ſed ponderis omnis inanes.

1. *Quia Scriptura, & maximè Iohannes, illud manere, & eſſe,*

eſſe, ſæpe pro eodem uſurpat, non conſideratâ ejus proprietate. Ioh. 14.17. *&* 1.*Ioh.* 2.4.6. 14.24. *&* 3.5.14.15. Quod ſi planè verum eſſet, argumentum hoc tamen nihil infirmaret. Si etenim varius hujus vocis uſus in ſacris literis habetur, tum ſic debet exponi in loco aliquo ſingulari, prout ſubjecta ſententia, & aliæ voces adjunctæ ſuadent, licet alium ſenſum habeat in multis alijs locis. Quamvis igitur *manere* ſæpè nihil aliud ſignificaret quam *eſſe*; hoc tamen in loco, ubi verba fiunt de *ſemine Dei*, de *ſemine immortali*, *de regeneratione ad vitam æternam*, *de eo denique ſtatu, qui hominem nec peccare, nec poſſe peccare ſinet*, nihil magis eſt conſentaneum, quam eam hujus verbi ſignificationem eligere, quæ maximè congruit æternitati. Neque tamen ex illis quæ citarunt locis, probari poteſt quod ajunt, *manere ſæpe uſurpari pro eſſe, non conſideratâ ejus proprietate.*

Ioh. 14.17. *Apud vos manet*, ex verſu præcedente, debet exponi de conſtanti permanſione, *alium advocatum dabit vobis, ut maneat vobiſcum in æternum.* Conſideratur etiam proprietas hujus vocis 1.Ioh.2.4.6. 14. 24. ſicut intelligere datur verſ. 27. *Manet in vobis, manebitis in eo.* Illud verò ineptum eſt, quod objiciunt hic Remonſtr. *Superfluum eſſe, hortari eum qui propriè manet in Chriſto, ut ambulet ſicut ille: aut hortari ut maneat, qui manet & certò manſurus eſt.* Manſionis enim effectum eſt ambulatio ſancta, & ejus continuatio eſt ulterior manſio: ad effecti autem & continuationis hujus productionem, Apoſtoli hortatio eſt medium accommodatum. Neq; penitus negligitur hujus verbi proprietas. 1.Ioh.3.14. *Qui non diligit fratrem, manet in morte.* Eam enim tyrannidem mortis denotat, quæ permanſura eſt in æternum ex naturâ ſuâ, nec removeri poteſt, niſi virtute aliquâ ſuperiore. Ex Negatione autem illâ, quæ verſ. 15. reperitur, *Nullus homicida habet vitam æternâ in ſe manentem*, nihil aliud poteſt concludi, quam, occaſione præcedentis phraſeos, id non manere dici in homicida,

Ioh.14.17.

1.Ioh.2.4.6.14.24.

1.Ioh.3.14 15.

micida, quod nunquam in eo fuit: vita enim æterna nunquam fuit in illo, qui odio lethali proſequitur ſuum fratrem. Tale autem peccati mancipium deſignat ibi Iohannes nomine homicidæ: in quo nihil eſt quod argumentum noſtrum lædit.

2. Secundam rationem ſic diſponunt: *Scriptura agit de duobus manendi generibus, quorum alterum eſt temporale, alterum æternum ac perpetuò durans, Ioh.* 8. 35. 1. *Ioh.*3.15. *Ioh.* 1. 39. 40. *Luc.* 10.7. *Illud etiam manere, accipitur aliquando pro florere, regnare, & potentem eſſe, Pſal.*119.111. *Ioh.*3.36. *Eſſet conſiderandum, quomodo hic debeat accipi.* Quam concluſionem nemo ſanus non ſuâ ſponte concedit. Inter conſiderandum autem, obſervamus, 1. Exemplum nullum hic proferri temporalis alicujus manſionis, niſi quum hoc *manere* pro *commorari* aut *diverſari* ponitur: hæc autem vocis hujus modificatio, in iſtoc loco, locum non habet. 2. Ex eo ipſo
Ioh.8.35. loco quem illi primarium faciunt Ioh.8.35. probari facilè poſſe, æternam fidelium permanſionem. Quum enim teſtatur ibi Chriſtus verbis expreſſis, *Filium in æternum manere*; & palam ſit fideles omnes recipere filiorum adoptionem; ſequitur etiam eos omnes in æternum permanere. 3. Eam ipſam rationem in verbis his afferri, de quibus nunc diſputatur, *qui renatus*, vel *regeneratus eſt*. 4. Regnum & potentiam, cum æternâ permanſione filiorum, optimè conſiſtere & convenire.

3. Tertiam rationem ex verbis ipſis petunt: *Orationis filum* (ajunt) *non permittit, ut propriè accipiatur hæc vox hoc in loco.* 1. *Quia hæc ſeminis manſio nihil juvat ad hoc ut renatus non peccet: poterat illud non manere, & hic quoque non peccare.* 2. *Quoniam hac ratione ſemen hoc maneret in renatis, etiam quum peccatum in illis regnat.* Hoc autem argumentandi filum, adeò eſt tenue, ut nullas omninò habeat vires. Cauſam ipſam procreantem & conſervantem ſanctitatis, nihil valere ad non peccandum; regenerationis conſtantem gratiam,

peccati

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

peccati regnum nihil prohibere; poſſe hominem non peccare, per totam ſuam vitam, (eouſque enim extenditur actus illius negatio) quamvis gratia Dei per totum illud ſpatium non maneat in ipſo; manſionem gratiæ in regno peccati doceri, quum talis manſio docetur, quâ regnum illud certo removetur; hæc inquam tam cruda commenta, nihil ſerium ac verum, ne præ ſe ferunt quidem.

Hactenus quid certitudinis in hoc argumento ſit vidimus. Videndum nunc quas cauſas adferunt Remonſtr. cur iſtinc nihil adverſus ipſos concludi poſſit.

1. *Sub hoc permanente ſemine comprehenditur aut Spiritus regenerationis unà cum ſuis fructibus, quos non permanere ſemper manifeſtum eſt; aut ſine fructibus, quod neque honeſtum eſt ipſi Spiritui, nec nobis ſufficiens ad vitam.*

Et ſemen autem, & cum ſemine fructus manent in renatis: ſed cum eo diſcrimine, quod inter virtutem eſt & ejus exercitium. Virtutis actus primus nunquam prorſus deeſt: juſta tamen vis & exercitatio ejus, aliquando non reperitur. Suam hyemem habet arbor juſtitiæ, quando fructus actuales deſiderari ſolent: quum tamen in radice interim, & ſeminis vis, & ejus virtute fructus ipſi modo quodam deliteſcunt. Eodem hoc modo fit in cæteris fidelibus, quo in Petro fidem remanſiſſe concedunt ipſi Remonſtr. pag. 435. quando fructum illum quem debuit, non proferebat.

2. *Hoc Manere non promitti nobis* (dicunt) *niſi præeunte conditione, Ioh. 14. 23. quâ manente, manet nobiſcum Deus.* Dilectionem noſtram erga Deum, & obſervationem ejus mandatorum, per conditionem hanc præeuntem intelligunt: quam etiam præire faciunt dilectionem Dei erga nos, & ejus acceſſum ad nos, æquè ac manſionem ejus in nobis. Hæc enim omnia æquè pendent ex conditione illâ. *Si quis diligit me, ſermonem meum ſervabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & apud ipſum habitabimus.* Si-

 cut

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

cut autem dilectio Dei erga nos, & gratioſa ejus viſitatio, dilectionem & obedientiam noſtram re ipſa prævenit. 1. Ioh. 4. 10. quamvis obſervationis ſenſus & quorundam etiam effectuum ratione, eaſdem ſubſequantur; ſic etiam ejuſdem gratiæ conſtantia vel manſio, eodem planè modo, dilectionis & obedientiæ noſtræ conſtantiam & prævenit ut cauſa, & ſubſequendo tanquam præmium ſemper comitatur.

Talia ſunt, quæ de ſemine permanente objecta fuerunt à Remonſtr. Adverſus alteram illam rationem (*quia ex Deo natus eſt*) nihil adferunt præter duas minutulas interrogationes, quæ vix ullam ſpeciem habent alicujus difficultatis. 1. *Si hæc* (ajunt) *ſit ratio, qui ex Deo natus eſt, idcirco peccare non poteſt, quoniam ex Deo natus eſt, an non idem per idem probatur?* Non (inquam ego) niſi vel oppoſita, vel cauſa procreans & effectum, unum ſint ac idē. ex Deo enim naſci, & poſſe peccare, vel deficere à Deo, ſunt inter ſe contraria: ex Deo naſci, & non poſſe ita peccare, ſunt cauſa & effectum: ſicut veracitas in Deo & poſſe mentiri, inter ſe opponuntur more contrariorum: eadem autem veracitas, & non poſſe mentiri, cauſa eſt & effectum. Probationis autem explicata forma hæc eſt; ſi regenerationis ea natura ſit, ut apoſtaſiam excludat, tum qui regenitus eſt, non poteſt deficere: ſed regenerationis talis eſt natura: ergo qui renatus eſt non poteſt deficere. Nec identitas hic ulla major eſt, quam quum dicitur, Deus verax non poteſt mentiri, quia Deus verax eſt. 2. *Quam vim hæc ratio in ſe haberet, niſi illa acciperetur, ut à nobis explicatur, de naturâ & proprietate regenerationis, quæ flectit ac inclinat homines ad bonum, & avertit à malo?* De illa (inquam) naturâ & proprietate regenerationis intelligenda ſunt hæc verba: non tamen prout à vobis explicatur, quaſi incertum eſſet, utrum hæc regenerationis natura prævaleret nec ne, ad prohibendum finalem ac totalem apoſtaſiam: ſed cum actualis efficaciæ certitudine ſummâ.

Ha-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

Hactenus de verbis illis Iohannis ex Epiſt.1. cap.3. verſ. 9. deſumptis: duo alia teſtimonia ſequuntur, quæ ejuſdem Epiſt. cap. 5. reperiuntur.

Primum habetur verſ. 4. *Quicquid natum eſt ex Deo, vincit mundum: & hæc eſt victoria noſtra quæ vicit mundum, nempe fides noſtra.* Reſp. Remonſtr. *Fide conſervatâ, vincere filios Dei: ſed quæſtionem eſſe, an fidem ipſam non poſſint abjicere, ac proinde ſuperari à mundo, poſtquam eum ſuperarint, quod iſtinc non poteſt probari.* Sed quum renatus omnis, per fidem, fidei hoſtes vincit, & ideò vincit, quia fidem non abjicit aut amittit; nec aliter vinci poteſt quam illi tentationi cedendo, quâ ipſa fides impugnatur; qui fidelem vincere, & non vinci teſtatur, oſtendit etiam fidem ipſam non extingui. *1. Ioh. 5. 4.*

Alter locus eſt verſ. 18. *Scimus quod quiſquis natus eſt ex Deo, non peccat: ſed qui genitus eſt ex Deo, conſervat ſe ipſum, & improbus non attingit illum.* Reſp. Remonſtr. *Nihil hic aliud proponi, quam qui illi ſint, qui jure titulo filiorum Dei inſigniri poſſint: ij nimirum qui bonis operibus ſeſe dedunt, prout regenerationis virtute moventur. Nihil itaque hic amplius dici, quam eum qui filius Dei eſt, conſervare ſe ipſum: & eum qui ſeipſum non conſervat, non eſſe, vel deſinere eſſe filium Dei.* *1. Ioh. 5. 18.*

Sed 1. amplius, & aliud quid indicant prima illa verba, *Scimus quod quiſquis genitus eſt ex Deo, non peccat:* quorum eadem eſt mens, cum illis cap.3. verſ. 9. quæ Remonſtrantibus adverſari, ſatis ante monſtravi. 2. Hac ratione, nullam conſolationem adhiberet hic Apoſtolus erga verè fideles, de peccato illo ad mortem, cujus verbis antegreſſis mentionem feciſſet: quem tamen primarium eſſe Apoſtoli ſcopum, ſeries contextus demonſtrat. 3. Magnificentius nihil prædicaret hic Apoſtolus de ſtatu regenerationis per Chriſtum, quam quod verè dici potuit de Adamo in ſtatu generationis vel creationis primæ, quum adhuc fuit extra Chriſtum. Dignitatem enim, quâ tunc

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

indutus fuit, diutius non potuit retinere, quam dum conſervaret ſemet in juſtitiâ, eo movebatur ut conſervaret, & non conſervans ſemet cum illâ perdidit. 4. Si hoc indicare voluiſſet Apoſtolus, *eum qui ſe non conſervat, non eſſe diutius, vel deſinere eſſe ex Deo natum,* tum in præſenti tempore dixiſſet, γεννώμενος, non in præterito, γεγεννημένος, γεννηθεὶς. Hoc enim propriè dici non poteſt, eum qui genitus *fuit* ex Deo, ſeſe conſervare, & eum qui ſe non conſervat, non *fuiſſe* genitum ex Deo, ſi vera ſint quæ Remonſtr. affirmant: ſed tantum, eum qui *eſt* genitus, ita facere, & qui ita non facit, non *eſſe* genitum ex Deo.

Ad illuſtrationem eorum quæ ex Iohanne prolata fuerunt de regenerationis naturâ, addunt obiter Noſtri, *nos tantùm ſemel regenerari, ſicut & tantùm ſemel naſcimur: ac ideò ſemel tantùm baptizari in noſtræ regenerationis obſignationem.*

Reſp. Remonſtr. *Figuratam locutionem non eſſe tam latè extendendam, ut omnibus partibus quadret, & congruat cum re à qua eſt ſumpta: ſe tamen hoc tempore poſſe concedere regenerationem tantùm ſemel fieri, & deficientes nullos unquam reſtaurari.*

De figuratâ locutione quod ajunt, & multis verbis inculcant, verum id quidem eſt, ſed vanum tamen hoc in loco. Non enim diſputant noſtri, idcirco nos tantum ſemel regenerari, quia non ſæpius generamur: ſed obſervant ex dictis Apoſtoli, regenerationem unicam eſſe, ac ſemel tantùm fieri, quod illuſtrant, & explicant per illam comparationem, unde actio hæc denominationem ſuam accepit. Alterum verò illud, quod ab ipſis concedi poſſe dicunt, eſt hæreſis vetus Novatianorum & Catharorum.

Reſp. 2. *Non eſſe abſurdum iteratò renaſci, quia ſolarum qualitatum eſt immutatio: & Scriptura illud diſertè ſignificat Galat.* 4. 19. Hoc tamen abſurdum videtur, duplici nomine. 1. reſpectu relationis illius quæ oritur ex regenerationis actu. Patris enim & filij relatio mutua, non habet fundamentum in actu præſenti, ut amans & amatum, ſed in

actu

actu præterito, ut efficiens & effectum. Pater namque dicitur, non quia generat ſed quoniam generavit filium: quod autem jam factum eſt, infectum fieri non poteſt: nec fundamentum igitur hujus relationis, nec ipſa relatio tolli poteſt, dum ſubjecta manent. Si autem fieri non poſſit, ut deſinat eſſe filius Dei, qui ſemel ab ipſo generatus fuit, tum ſubabſurdum videtur, ut ſecundo renaſci vel regenerari dicatur. 2. Eadem etiam eſt ratio juris illius quod Filius Dei acquirit ad hæreditatem ſuam æternam. Vel enim adoptione ac regeneratione duplice nititur jus illud hæreditarium, vel unâ ſolâ. Si duplice, tum una non ſufficiet, ſi una, tum duplex eſt ſuperflua, quorum neutrum ab illis niſi abſurdè poteſt affirmari. Quamvis autem regeneratio poſſit referri ad qualitatum immutationem; hæ tamen qualitates, eſſentialis ac vitalis principij rationem habent, ad hominem vel creaturam novam; atque adeò ipſa mutatio eſt ſuo modo eſſentialis. De hujus autem regenerationis totali renovatione, non loquitur Apoſtolus ad Gal. 4. 19. tum enim nec *Eccleſiam* nec *Filiolos* illos appellare potuit, antequam perfeciſſet illud quod agebat; nec tam *formare* quam *gignere* Chriſtum in iſtis laboraſſet, ſi penitùs ab ipſis diſceſſiſſet.

Reſp. 3. *Diſputari poſſe, utrum renati ſic deficiant, ut quibuſdam regenerationis partibus non revulſis, (cognitione ſcil. & accuſatione animi) non opus habeant denuò regenerari, quamvis quod relinquitur illis nihil eos juvare poteſt, abque novâ converſione, ad quam reduci poteſt per id quod in eo manet? an verò omnes regenerationis partes abjicientes, renaſci denuò nunquam poſſint?* Diſputari quidem varia poſſunt, quæ non poſſunt defendi. Talia ſunt hæc reſponſionis hujus effata. 1. *Omnem cognitionem quæ accuſationem animi efficit, partem eſſe regenerationis.* 2. *Manere hominem in eo ſtatu, ut regenerari non opus habeat ad vitam æternam, & tamen ad vitam nihil eo ſtatu per ſe juvetur.* 3. *Omnem hominem, qui in peccato cognitionem &*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

accuſationem animi habet, ad converſionem reduci poſſe, ſine regeneratione.

Reſp. 4. *Baptiſmum non repeti, quia novum fœdus non initur; nec mandatum ullum extat, illum repetendi.* Quæ quidem veræ ſunt rationes: ſed hoc fundamento nituntur ambæ, quod initiatio & inſitio in Chriſtum, cujus ſymbolum proprium eſt in Baptiſmo, ſemel tantum fit, nec repetitionem ullam admittit. Alias enim reſponderi poſſet, nec fœdus novum in cœnâ dominicâ paciſci, ſed pactum renovari; & quum eadem ſit ratio ac neceſſitas, cur utriuſque ſacramenti ſæpius repetitio fiat, mandatum illud quod circa unum adhibetur, ad alterum etiam extendendum eſſe. Videtur etiam novum fœdus iniri debere, ſi ſpiritualis mors interveniat, quoniam obligatio viventis per mortem ſolvitur: adeò ut, ſi quis moriatur, & denuò reſurgat, (ſicut in Lazaro accidit) matrimonij prioris lege non teneri eum, ſed contrahere de novo debere docti quidam colligant ex Rom. 7. 2.

Iud.3. De Iudæ 3. cum iſtiuſmodi adverſarijs non arbitror con-
Apoc.20.6 tendendum eſſe. Firmius eſt illud ex Apoc. 20. 6. deſumptum, *Beatus & ſanctus qui habet partem in reſurrectione primâ: in hos enim ſecunda mors non habet poteſtatem: ſed erunt Sacerdotes Dei & Chriſti:* cujus verba ferè ſingula, defenſionem illam Remonſtrantium convellunt, quâ promiſſionis illius eventum, in conditionem incertam conjiciunt, *modo in primâ reſurrectione conſtantes perſeverent.* Nam 1. Beatus nemo propriè dicitur ex poſſeſſione corruptibilis vel amiſſibilis alicujus boni. 2. Beatus, hac ratione, non eſſet quiſquam dicendus, quum habet partem in illâ reſurrectione, ſed quum habet ejus finem, id eſt, non ante mortem. 3. Reſurrectio ſæpè ſecunda, tertia, vel etiam viceſima, illa nempe quæ proximè ante mortem habetur, poſt mortis & vitæ viciſſitudines multas (plures enim Remonſtrantes faciunt) beatitudini multo conjunctior eſſet quam pri-

ma.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

ma. 4. Mors etiam ſecunda non tam opponeretur reſurrectioni huic, quam quæ eſt omnium ultima: plures enim numero ſpirituales mortes, quam primam & ſecundam, ſtatuunt Remonſtrantes. 5. Ratio illa quæ huic ſubſtruitur promiſſioni, *Erunt Sacerdotes Dei & Chriſti*, certitudinē ejus, finalem perſeverantiam antecedere palam oſtendunt: unctionem hanc enim accipiunt fideles antequam ad metam illam attingant. 1.Ioh.2.27. quamvis ante perfectam ejus fruitionem conſtans & fortis perſiſtentia requiratur: quod ſolum docetur Apoc.2.11. Neque oppoſitum quidquam ijs verbis continetur, quæ Remonſtr. huc referunt ex Ezech.18.& 33.nulla enim in illis fit mentio, vel *reſurrectionis primæ* per fidem in Chriſtum vel *Sacerdotij* ſpiritualis per ejus unctionem: ſed legalis diſpenſationis juſtitia monſtratur, quæ gratiæ evangelicæ præjudicium nullum adferre debet.

Triumphalis illa Pauli profeſſio reſtat, Rom. 8. 35. 37. 38. quæ concluſionis vice à Noſtris adhibetur, *Quis ſeparabit nos à charitate Chriſti? Num afflictio &c? imò in his omnibus amplius quam victores ſumus. Nam mihi perſuaſum eſt, neque mortem, neque vitam, neque ullam rem aliam conditam, poſſe nos ſeparare à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu Domino noſtro.* Hæc autem exultantis fiduciæ expreſſio, nec debet, nec poteſt nobis eripi. *Rom.8. 35. 37.38.*

Hoc tamen ſatagunt Remonſtr. duabus rationibus. 1. *Quia hæc gloriatio eſt tantum fidelium per fidem: itaque retinentes fidem non poſſunt dubitare, quin nihil poſſit eos ab illâ charitate ſeparare, qua Chriſtus illos dilexit.*

Ubi illud quidem verè obſervant, hanc gloriationem ſolorum fidelium eſſe per fidem: perſeverantia enim quam Apoſtolus docet & nos tuemur, non eſt infidelium, ſed fidelium in fide, ac per fidem. Sed in eo pervertunt Apoſtoli mentem, quod conſolationem hanc, in conditionem (ut ipſi volunt) dubiam & incertam conjiciunt, hoc modo

Nihil

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

Nihil efficiet quin Deus nos diligat, nec poſſumus de eâ re dubitare, ſi nos fidem conſtanter retineamus.

Nam 1. fides noſtra, non antecedit ut cauſa, ſed ut effectum ſequitur charitatem illam ſpecialem, quâ nos complectitur Chriſtus. Rom.5.8. Gal.2.20. Apoc.1.5, 6.2. Dilectio illa Chriſti, eam habet naturam, ſive proprietatem, ut non patiatur amatos à ſe divellei: illa igitur efficiet, ut fidem ſuam retineat conſtanter. 3. Hoc ſenſu, idem æquè potuit affirmari de Adamo integro, nihil potuiſſe eum à charitate Dei ſeperare; dum ſcilicet juſtitiam ſuam retinebat. 4. Sic Pauli ſententiam diluunt, quaſi dixiſſet, non poſſimus à charitate Dei ſeparari, dum permanemus in illâ: nec de illâ poſſumus dubitare, dum eam certò apprehenſam habemus. Fides enim eſt certa apprehenſio charitatis vel miſericordiæ Dei in Chriſto: & in fide manere, eſt in charitate Dei manere.

2. Secundam adferunt rationem, *Quia in toto hoc catalogo, non recenſetur peccatum. Nec mirum* (ajunt) *quia peccatum hominem & Deum diſterminat. Eſa.*59.1. *nec prodeſt ad ſalutem, quod de ijs omnibus rebus quas Apoſtolus hic includit, affirmatur verſ.* 28. Singularis quidem peccati mentio non fit, quoniam afflictionum omnium aculeus eſt. 1.Cor.15. 56. & ſcopus etiam omnium tentationum: non debuit igitur ſeorſim in iſto catalogo poni, quia in omnibus & ſingulis eorum quæ memorantur, præcipuum locum tenet: quæ eadem eſt ratio, cur non recenſeatur peccatum inter hoſtes illos, adverſus quos armaturam Dei aſſumere jubemur. Eph.6. 12. Sed quum Satanæ conatus omnes eo dirigantur, ut fidem in Chriſtum nobis excutiat; & contra eos omnes victores nos & plus quam victores fore, fidem ſibi nobiſque faciat Apoſtolus; oſtendit ſimul manifeſtò, fidem nobis nunquam excutiendam, quæcunque nos urgent tentationes. Quum etiam nihil propriè poteſtatem habeat hominem à Deo ſeparandi, præter

peccatum;

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

peccatum; & nihil id effecturum dicit Apoſtolus, perinde eſt ac ſi dixiſſet, nihil quidquam, verum fidelem eouſque in tentationem & peccatum inducturum, ut ejus vi à charitate Dei penitus ſeparetur. Nec tamen omne peccatum, omnem hominem à Deo penitus diſterminare ſolet, ſed regnans tantum. Imò, ſi (cum Auguſtino de Corr. & grat. cap. 9.) quædam peccata, per Dei gratiam & eminentem directionem, ad ſalutem fidelibus proficere, & in bonum cooperari dicamus, quatenus humiliores, cautiores, doctiores, & ferventiores, horum occaſione, fiunt; nihil hoc abeſſet à verò. Paulus tamen hoc nomine videtur affirmare omnes adverſitates in bonum fidelibus cedere, quia fidem ipſam ubi veram inveniunt, non evertunt, ſed probant & firmant. Peccatum etiam ipſum, non poteſt fidelem dum ſuam fidem retinet, à Dei charitate ſeparare. Quum igitur de tali fideli hanc gloriationem intelligi Remonſtrantes affirmant, peccatum aliud non debent ſupponere, quam quod cum fide conſiſtere poteſt.

CAPUT XI.

Doctrina Confeſſionis & Catecheſeos Belgicæ de Perſeverantiâ verè fidelium.

POST locupletiſſimam hujus cauſæ probationem, ex illis teſtimonijs & argumentis, quæ ſunt omni exceptione majora; præſumptiones quaſdam adjiciebant Noſtri, ex confeſſione Belgicâ Art. 29. 34. & 35. & ex Catecheſi, Reſp. 1. 28. 32. 51. 52. 53. 54. 58. 64. 76. 127. nec non ex Theologorum Leydenſium judicio, quod DD. Ordinibus tradiderunt 9. Decemb. anno 1595. in negotio Cornelij Wiggeri, qui inter alia, cenſebant, *opinionem illam VViggeri, quâ docuit, electos Dei pro ſua arbitrij libertate ex* *Sententia Profeſſorum Leydenſium.*

 fædere,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

fœdere, & Dei gratiâ excidere poſſe, adeò alienam eſſe à Scripturis ſacris, harum Eccleſiarum Confeſſione & Catechiſmo recepto, ut neque cum ijs benè conciliari poſſint, neque ſine gravi damno & ſcandalo, doceri in Eccleſia Dei.

Sententia Confeſſionum aliarum Eccleſiarum.

1. Reſpondent hic Remonſtr. in genere; *Varias confeſſiones aliarum Eccleſiarum, nihil diſertè de hac re definire; alias rejicere diſertè ſententiam Noſtrorum; quæ tamen inter ſe concordes permanent in fidei harmoniâ. Vnde concludunt,* 1. *licere ipſis liberè ſuis fratribus in hoc articulo contradicere, fidei veritate ac unitate neceſſariâ retentâ;* 2. *Confeſſionis Belgicæ definitionem, ſi tale quid definierit, eſſe recentem, privatam, & contra conſenſum Eccleſiarum reformatarum inter ſe, & ex diametro contra ſcopum, in quem omnes Confeſſiones cònſcriptæ ſunt.*

1. Quod forum ſuum proprium quaſi declinant, & alias Eccleſias appellant; diffidentiam ſuam in eo produnt, & periculi metum, ſi ex Confeſſione & Catechiſmo recepto, in iſtâ causâ judicium feratur. 2. Confeſſionum quarundam in articulis quibuſdam ſilentium, nullum præjudicium cæteris poteſt adferre. Maxima autem pars noſtræ ſententiæ adſtipulatur. Vix, aut ne vix quidem, unam eſt invenire, quæ certò dici poteſt repugnare.

3. Quouſque verò diſcedere poſſint à ſententiâ receptâ, ſine crimine fidei læſæ, hoc non eſt hujus loci: nec inſtituti mei eſt de hac re quidquam pronunciare. 4. Si tamen verum eſſet, quod pro vero ſupponunt illi, Confeſſionem ſcilicet Belgicam, tale quid, vel citra, vel contra quaſdam alias confeſſiones definijſſe; hæc tamen non ſatis juſta foret cauſa, cur *recens, privata, conſenſui Eccleſiarum & ſcopo ſuo repugnans* audiret, ab ijs præſertim, qui inter amicos ejus nomina ſua profitentur, qui ſciunt alias varias Confeſſiones cum ſuâ in hac re conſentire, nec poſſunt ignorare, illas quæ diſſentire videntur, in multis eſſe imperfectas.

2. Reſp. 2. *Ea quæ producuntur, elici per conſequentias ex locis,*

quæ

quæ de aliјs rebus agunt. Quod idem à Saducæis potuiſſet Chriſto reſponderi, quum reſurrectionem probabat ex illis verbis, *Deus Abrahami, Deus Iſaaci, & Deus Iacobi,* Luc. 20. 37. Per conſequentiam enim eliciebat quod voluit, ex eo loco, ubi alia res agebatur. Nec tamen ſolis conſequentijs agi in iſtis teſtimonijs omnibus, documento ſint Catecheſeos illa clariſſima verba, Reſp. 54. *Credo, me vivum ejus coetus* (ad vitam æternam electi) *membrum eſſe, & perpetuò manſurum.*

Reſp. Remonſtr. 3. *Loca producta, rectè intellecta, vel pro ſe prorſus facere, vel huc non pertinere.* Si verò tum demum rectè quæ ſcribuntur intelligantur, quum ex mente ſcribentium accipiuntur, & ex verborum ſignificatione ac uſu probato, tum certè Confeſſionis & Catecheſeos loca nulla ſunt, quæ rectè intellecta, poſſunt facere pro Remonſtrantium causâ. Notum eſt enim, nec ſine impudentia poteſt negari, tam autores primos harum formularum, quam profeſſores ac interpretes earum omnes, à Remonſtrantium dogmatis alienos prorſus fuiſſe. Neque ſanè rectam hanc intelligentiam reperire poſſumus in Remonſtrantium ipſorum interpretatione. 3.

Pro nobis (inquiunt) *facit art. 29. quo de ejuſmodi Chriſtianis agitur, qui adverſus carnem certant, omnibus diebus vitæ ſuæ.* Qui docet igitur, omnes verè fideles perſeverare ad finem vitæ, & eos qui non perſeverant, non eſſe vel fuiſſe fideles, is facit pro Remonſt. quamvis illi contrarium planè doceant, multos nempe fideles, non perſeverare per totam vitam; & illos qui temporarij ſunt, æquè veram fidem habere ac permanentes. Nicol. Grevinch. pag. 141. *Pro ſe etiam facere* dicunt *Art. 34. quia baptiſmus eſt ſolis fidelibus & in fide perſeverantibus, teſtimonium æternæ Dei benevolentiæ.* Quaſi fideles, & perſeverantes in fide, ijdem ipſis eſſent; aut nullum teſtimonium hujus benevolentiæ fideles haberent in ſeſe, antequam ad finem per-

Artic. 29. Confeſſ.

Artic. 34. Confeſſ.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

ſeverarint; & ipſa benevolentia & gratia quæ in baptiſmo obſignatur, non eſſet cauſa propria cur fidelis in fide ſua perſeverat.

Artic. 35. Confeſſ. *Ad hanc rem facere negant Art. 35. ubi vita ſpiritualis ſolis electis peculiaris eſſe dicitur.* Hoc tamen facit, 1. Neminem non electum, veram ſpiritualem vitam, aut veram fidem unquam habere. 2. Electionem eſſe cauſam antecedentem veræ fidei ac vitæ ſpiritualis. 3. Vitam ſpiritualem non magis amitti, quam electionem æternam.

Reſp. adloca ex Catech. producta. De Reſponſionibus Catecheticis non reſpondent ſigillatim, ſed obſervant in genere, 1. *Agere illas de perſeverantiâ in gratiâ, non in fide.* 2. *De ſeparatione per afflictiones, non per peccata.* 3. *Quaſdam amplius non dicere, quam Dei auxilium non defuturum.* 4. *Ex omnibus commodiſſimè pro nobis acceptis, non probari impoſſibilitatem defectionis, ſed actum ſolum perſeverantiæ.*

Reſp. Catech. 51. 1. Quorum primum, apertè falſum, oſtendit Reſp. 51. ubi Deus nos *protegere & defendere dicitur contra omnes hoſtes*, atque adeò contra tentationes illas quæ fidem noſtram impugnant. *Reſp. 53. 54.* Reſp. 53. 54. quæ *de æternâ ſpiritus manſione in fidelibus* & de *perpetuâ fidelium in Chriſto manſione*, expreſſis verbis agunt. *Reſp. 127.* Reſp. denique 127. quæ agit de ſuſtentatione & confirmatione fidei, quâ fit, ut in ſpirituali certamine non ſuccumbat, ſed integram tandem victoriam ferat.

Reſp. 32. 2. Secundum etiam refutant Reſp. 32. 51. & 127. ubi mentio fit pugnæ *contra peccatum*, protectionis contra *omnes hoſtes, Satanæ mundi, & noſtræ ipſorum carnis.* Refutatur etiam ſuâ propriâ vanitate, afflictiones enim non ſeparant nos à Deo, niſi in tentationes ac peccatum inducendo. Quum igitur certum ſit, afflictiones nos non ſeparaturas, certum etiam eſt, earum occaſione, non inducendos nos in talia peccata, quæ ſeparationem talem inferrent.

3. Ter-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

3. Tertium nullius eſt momenti. Si enim de quibuſdam verum eſſet quod ajunt, de cæteris tamen id non oſtendit, *eas aut pro ipſis facere, aut huc non pertinere*. Imò verò, iſtud ipſum quod concedunt, vel maximè contra eos facit. Si enim certum ſit, *auxilium Dei nunquam nobis defuturum*, eo ſenſu qui in reſponſionibus hiſce continetur, tum certum etiam eſt, *Spiritum Dei, inhabitantem, unientem, vivificantem, & gubernantem*, nunquam nobis defuturum. Hoc enim auxilium illud eſt, quod nobis ad perſeverantiam neceſſarium eſſe, & à Deo etiam conferri, docet Reſp. 76. *Reſp.76.*

Ultimum autem eſt merum effugium. Si enim omnes fideles actu perſeverent, idque vi promiſſionis & gratiæ divinæ, & hoc ab omnibus fidelibus certâ fide ſibimet credendum ſit, quæ ſimul docentur in Catecheſi, tum certum eſt, fideles non poſſe à fide deficere, eo ſenſu, quo nos hoc fieri poſſe negamus. Nihil enim amplius, quiſquam unquam Noſtrorum, concedi ſibi poſtulavit.

Reſpondent Remonſt. ad judicium Theologorum Leydenſium, ſeorſim. 1. *Illud privatum eſſe tantum paucorum doctorum judicium: cui opponi poſſunt judicia multa.* Quod non mirũ eſt, quum non communẽ ſolum conſenſum (ſi unum aut alterum excipias) omnium interpretum & doctorum, qui in Reformatis Eccleſijs, Anglicis, Gallicis, Belgicis, & pleriſque Germanicis, per ſeculum integrum claruerunt, *privatam* doctorum quorundam ſententiam appellare ſolent; ſed & Confeſſionis publicæ definitionem, quam communem habet cum Eccleſiarum parte maximâ, *privatam* pronuntiant, paginâ proximè præcedente. In hoc tamen negotio, & judices ipſi publici fuerunt Theologicæ facultatis Profeſſores, & publica Ordinum autoritate, ad ſententiam ferendam vocati fuere. 4. *Reſp. ad judicium Profeſſorum Leydenſium.*

De oppoſitione aliorum judiciorum quod jactant, neque verum eſt; ſimile quid enim pro ſe non poſſunt ad-

 ferre,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

ferre, in Eccleſiâ ſcilicet & Academiâ tam purâ, communi conſenſu omnium Theologorum, qui etiam judices dati vel conſtituti fuerunt à ſummo Magiſtratu, tam clare unquam pronunciatum fuiſſe ab alterâ parte, atque hic à noſtrâ fuit. Et vanum etiam eſt: non enim aliò tendit hujus judicij allegatio, quam ut exinde palam fiat, Remonſtrantium doctrinam pugnare cum eo, quod hucuſque in Academijs & Eccleſijs Belgicis traditum fuit. Hujus autem contrarium non poſſunt illi probare, quicquid extraneum eligant opponendum.

Reſp. 2. *Tale judicium nunquam ab Eccleſijs unanimiter confirmatum fuiſſe.* Quia ſcilicet, nullus ab eo tempore habitus eſt conventus, vel Synodus Eccleſiarum omnium Belgicarum: nec quidquam omninò unanimiter ab ijs confirmatum fuit.

Interrogant poſtea ſatis futiliter, *Cur obeſſet ipſis magis Gomari, quam prodeſſet Arminij judicium.* Quaſi *Gomari* ſolius hoc judicium fuiſſet, & non etiam, *Iunij*, *Trelcatij*, *Baſtingij*, nec non ipſius *Vtenbogardi? Cur etiam producitur* (quærunt) *tale judicium, quod non poteſt confirmare vel veritatem, vel Eccleſiarum reformatarum in genere conſenſum*? Vel ideo tamen produci poteſt, ut ſi veritas inde non poſſit confirmari, ejus tamen confirmatio poſſit hoc pacto aliquatenus illuſtrari. Probatur etiam hoc teſtimonio, receptam Belgicarum Eccleſiarum ſententiam Remonſtrantium dogmatis adverſari: ſaltem præſumptionis vim habet, uſque dum contrarium ab ipſis evincatur.

Iohannis Vtenbogardus. Fr. Iunij ſententia de Perſeverantia fidelium.

An ſic itur monſtratum (rogant) *quod fortè aliqui noſtrum tum aliter judicarint, quam jam nobiſcum profitentur?* Hic pro Utenbogardo ſuo laborant, ne inuratur ipſi inconſtantiæ nota, quod tam acriter jam illam cauſam tuetur, quam olim ſolemniter damnavit ut non ferendam. *Sed & Iunium* (ajunt) *tum damnaſſe quod ante ſcripſerat, Deum* (ſcilicet) *non defuturum, ſi nobis non deſimus. Item, Fieri poſſe, ut*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

juſtus vel fidelis deficiat: in Heb. 3. 6. *&* 6. 4. 5. 6. Quam comparationem ijs verbis inſtituunt, quaſi mutatio quidem ſententiæ communis fuerit utriuſque; ſed in Utenbogardo honeſtior modus & ratio facti: *ille tantum aliter tum judicabat, quam nunc profitetur: at verò Iunius tum damnavit, quod ante ſcripſerat.* Sed atrox eſt hæc injuria, quâ violant memoriam, ſanctiſſimi ſimul & conſtantiſſimi viri. Ille enim conſtanter ſemper docuit, *Fidem veram ſemper conjunctum habere donum perſeverantiæ finalis.* Diſp. 33. theſ. 11. Diſp. 37. Coroll. 2. Not. in Ep. Iudæ verſ. 3. in Pſal. 1. in Ezech. 33. 12. & alibi paſſim. Neque contrarium quidquam in ijs locis continetur, quos Remonſtrantes hic objiciunt, ex enarrat: ejus in Heb. 3. & 6. Prior namque ſententia (*à Deo nihil nobis defuturum eſt, modò ne nobis deſimus ipſi*) quâ infirmæ mentes noſtræ ad officium ſuum excitantur, talis eſt, ut ex illâ, per nullam analyſin, aut conſequentiam logicam, vel incertitudo perſeverantiæ probari poſſit, vel quidquam eorum quæ in Wiggero damnavit. In poſteriore verò & verba & mentem autoris, non ſine manifeſtâ calumniâ pervertunt. Verba, quia hominis *juſti vel fidelis* titulo, non ornat illum Iunius, de quo hæc pronunciat; ſed quærit indefinitè, *poſſitne fieri, ut qui illa Dei dona, quæ Apoſtolus enumeravit, acceperunt ex ijs decidant:* & uno verbo reſpondet, *poſſe excidere.* Eos autem quos excidere poſſe dicit, à verè fidelibus, apertè diſtinguit poſtea, dum ijs hæc dona ſic dicit exhiberi, *ut ipſi ſibi non applicent ea ſalutariter; ut quæ non ſint contemperata in ipſis fide juſtâ per Spiritum ſanctificationis.* Mentem etiam ejus, quam injurioſè detorquent, in eâdem explicatione oſtendit ipſe planiſſimè: ubi, quoſdam eſſe docet, qui *non poſſunt excidere, electos nempe Dei, qui dona gratiæ, cum radice ac fonte percipiunt, & in corde habent illa recondita per fidem, & bonam conſcientiam.* De cæteris autem concludit, *non debere cuiquam videri mirum,*

mirum, ſi ex ijs bonis dicuntur decidere, qui fundamentum, baſin, radicemque, ac fontem bonorum nunquam tenuerunt. Hanc ego graviſſimam hujus cauſæ determinationem, terminum eſſe volo iſtius diſceptationis: cujus finem nullum alium propoſui, nec fructum voveo, quam poteſtatis, veritatis, & gratiæ divinæ illuſtrationem, unà cum fidelium exinde humili firma gratâque conſolatione. Faxis tu, Deus omnis gratiæ, in Chriſto Ieſu. Amen.

FINIS.

Typis ISAACI ELZEVIRI,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 2